
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
2 D
27

Disputationum Philosophicarum

PARS I.

exhibens

PRINCIPIA DISSERENDI EX NOBILISS. PERIPATETICIS ET SCHOLASTICIS DEDUCTA;

ante hac in incluta Salana, *permissu superiorum*, modo priuatim, modo publice discussa; nunc autem ita emendata, vt studioso instar clypei esse possint.



Accessit recens DISPUTATIO, *DE DISTINCTIONE REALI ET rationis vtilissima, prolixe tractata.*



Auctore & Præside,

M. GVILIELMO VRSINO,

Deissellano, Hesso.

Cum Præfatione

RODOLPHI GOCLENII, SENIORIS,

Marpurg. Philos. longe celeberrimi, &c.



MD CX.



PROSTAT

In Nobilis Francofurti Paltheniana.





Viro Nobiliss. eruditione, virtute, & usu multo præstantiss.

DN. PHILIPPO A SCHOLLEY, Illustrissimi Principis OTHONIS Landgravii Hassiæ, &c. MAGNI illius, MAVRITII, heroica indole filii ὀπισθίῳ & præfecto dignissimo; Domino & Mecœnati suo plurimum suspiciendo S.

COMMODVM *decennis eram, vir a Nobilitate, doctrina & virtute insignis, cum stivæ & ligoni (hæc enim talia patria & avita sunt, & esse neque me, neq; illos pudet) penitus præreptus calamo & literis terendis totus demum mancipor: initio avibus, quod veteres dicebant, bene addicentibus,* Helmershusium *inferioris Hassiæ patriæ meæ, ad Dimellam fluvium oppidum longe amœnissimum, a me vix semimilliari dissitum, missus: inde, anno iam vertente, & initiis studiorum quoquo modo iam tentatis, velut promtus & ad illustre* Cassellanum *Gymnasium promotus. Ubi quadriennium & anni semissem, bonam temporis partem, non sine asperis, quos id ætatis experiebar creberrimos, ventis, nunc his, nunc illis, uti nosti, serumnorum procellis agitatus, tolero. Hyemis unius istius interca-*

laris, quæ vera literulis meis hyems & frigus erat, Corbachii ſcilicet in Waldecia mihi peractæ, cum ea in tam inita temporis ratione compreſſa ſit, nihil quicquam meminiſſe volo. Caſſellis, *cum parentes, rei literariæ minus intelligentes, ad ſufficiendum vel tenuiſſimos ſumtus etiam atq; etiam grauarentur, ad Nobilem quendam præcipuum* Rabotthonem de Wreda, *cui, vt priſco precabantur,* terra leuis ſit, *vocatus pædagogium per duos annos & dimidium, honeſtiſſime licet habitus, ſubire cogor: ſpe cum nobilibus adoleſcentibus, in Academiam aliquam veniendi, non leuiter oſtentata & facta. Sed Nobili meo ſeniori aliquid humanitus, id quod omnibus accidere ſolet, accidit, tum diſcipuli mei huc illuc ad amicos diſſipari: ego autem ſpe omni omnis excidere: ſtudii mei peſſime affecti vicem vehementer deplorare: adeoq; diuortium timere: Attamen nihilo ſecius, qua eram animi obſtinatione, penſum meum, iam diu temporis intermiſſum, pertinaciter repetere, diutiuſq; in puluere pædagogico per ætatem hærere nolens, bonorum & ope & opera adiutus* Marpurgum *tandem adire: quinquennium exactum ibi tum conficere: nunc inſtitutione aliorum, nunc ſtipendiis vacantibus, nunc propria, vt Poeta appellat, quadra viuere: ex Philoſophis imprimis* Rodolphum Goclenium, *virum de vniuerſa humana ſapientia optime meritum, audire: cum priuatim, tum publice apud ipſum me exercere: primum Philoſophiæ gradum aſſumere: poſtremo etiam Theologos adire, audire: Collegium Logicum, cum per me mihi otioſo eſſe non liceret, ipſe aperire, diſputare, prælegere. Cui rei teſtis ſit libellus ille Logicus, ſub nomine viri clariſſimi* M. Chriſtophori

ri Crameri, *Græcæ linguæ Professoris industrii, amici mei singularis, cuius* optimis manibus bene sit, *amplius biennio abhinc, me absente & vero auctore ignorato, editus: quem, cum inter multos meum esse cõstet, sed meum, non tam legitimo partu, quam, qua illa nunc facie est, infelici abortu, liberali caussa, data occasione, manu asserere, refringere, ad verum, vt Seneca ait, redigere, adeoq; non sine fructu aliquanto plus maturare sum animatus. Quin & accidit, vt a viris inibi grauissimis, quibus de meo, quem perexiguum esse fateor, profectu aliqua liquebat, ad summum Philosophiæ honorem sollicitarer, & incitarer. Sed ego, qui nihil quicquam tale, quanquam honore illo minime contemto, tum cogitabam, commendatione magnorum virorum fretus, inde* Ienam *in Thuringiam soluere & appellere feliciter: quadriennium ibi exacte subsistere. Primo anno circumacto, videns me mihi aliter ibi sustentando non esse,* ἑκὼν ἀέκόν τιγεθυμῷ, *vt Poeta Græcus ait, Magisterii gradum inter viginti octo viros & iuuenes, quanta promotio ibi id tẽpestatis nulla dum fuerat, supremo, quanquam indignus, loco accipere. Altero anno post Philosophicam facultatem cum aliis ambire iussus, ambire, exambire, dignus censeri, adsciscí. Quo, vt meo me munere dignum præstarem, omni animi vi & contentione philosophari, discipulis cum nobilibus, tum ignobilibus ornari multis, publice opponere, ipse publice aliquoties præsidere, sententiam meam accurate propugnare, mordicus aduersus me quicquam conantes, nihilo sane magis quam floccos papposq; (cum Poeta loquor) volantes, curare. Appello hic testem* Zachariam Brendelium *Medicinæ D. felicissi-*

mum, Physices Professorem celeberrimum, & facultatis Philosophicæ ibidem seniorem dignissimum: cui viro pro insigni, quam pleno sæpe ore, qua publice, qua domi ipsius, ex ipso degustaui, humanitate gratias quidem agere possum maximas, efferre autem sat dignas possum nunquam. Appello M. Wolfgangum Heiderum, *Ethices & Logices Professorem excellentem: cuius ingenium & eruditio & ars & sapientia eo maturitatis venere, vt illum per illa, sicut possis anteponere plurimis, ita paucis postponere. Qui si diuina illa ingenii sui, imprimes vero Ethica & Politica, quæ ab omnibus cum cruciatu tantum non expectantur, scripta proferret foras, inq; publicam, ad quod sedulo hortandus esset, ire lucem tandem pateretur, magnorum virorum, quam de se concitauit, opinionem non æquaret tantum, sed in infinitum etiam superaret. Appello deniq;* M. Petrum Piscatorem, *Hebrea linguæ Professorem & indagatorem eximium, qui si & eum, quem solido pede ingressus est, campum, vt cœpit, decurrerit, Sanctæ illius linguæ, quam profitetur, & facultatis eius, quam tractat, viros grauissimos in certamen aliquando vocare possit dignitatis & famæ.*

Hos, inquam, Professores Philosophicos clarissimos, Præceptores meos venerandos, collegas quondam & nunc etiam amatos, amandos, omnes appello testes, otii mei literarii secum acti interpretes optimos. Quibus velut optiones, tanquam tres charitas, accenseo Collegas quoque meos honorandos, M. Iohannem Æschardum, M. Thomam Sagittarium, P. L. Cæs. M. Andream Schopfferum, S.S.

Th.LL. *philosophiæ & politices studiosissimos viros, omnes & eruditione & virtute claros, longe clariores futuros, si politicam illam, quam non sine æmulo & adorea calcare cœperunt, viam, felicissima illa* M.Heideri *officina, quæ vel malleolum saltem vtendum porrigat, adiuti continuent, altisque, ad calcandum eandem viam, viam seu rationem monstrent. Deum immortalem & fidem testor, quam ab Ethica & Politica, quæ imprimis iam temporis omnium maxime flagitaretur, prudentia curti & inopes sumus! Boni, magni, & excellentes in ea viri iuuate, iuuate: per insignem vestram prudentiam mundo huic immundo, vtpote sine prudentiæ oculo in tenebris pauitanti, medicinam afferte. Sed, vt redeam ad me, & ad integrum oratio mea, consulto diutius philosophatum esse ratus, tum* IENA *a nobili quodam Borusso, non ignobili stipendio allectus Lipsiam abduci, vnde semestre tantū moratus, Marpurgū eum eodem Nobili reduci: hinc, quinquemestri circiter absoluto, ad* Nobilissimos RIEDESELIOS Hassiæ Mareschallos *de me vel antea longe optime meritos, Dominos meos iugi animi cultu prosequendos, vocari, & tandem, sesquianno apud ipsos peracto, cum discipulis meis Marpurgum, vbi iam plus octimestre de integro transmisi, feliciter restitui cœpi. Hæc est velut ἐν τῷ συνόψει, vt philos. loquitur, ab illo vsq; tempore, quo,* Nobilissime & præstantissime vir, *in illustri Cassellano Gymnasio nos inter nos nouisse, & amicitiam, vt tum fieri solet, colere cœpimus, vita mea & vitæ meæ ratio. Quam iccirco tibi præsertim exponere volui, cum, quia nuper de me apud venerandum* Dn. Mareschallum *nostrum mentionem & sermonem*

*vt intelligo,inieciſti:tum vero maxime,quia me,in il-
la ipſa Caſſellana ſchola,quæ tua eſt humanitas, omnis
ſemper fuci neſcia,non vulgariter amare,mearumque
adeo rerum infelici,quæ vel tum maxime mihi conco-
quenda erat,fortuna non parum commoueri ſolebas:
Sicut enim miles ex grauiſſima acie, quæ non niſi pu-
gnam & pugnos,arma & armos,adeoq; vulnera ole-
bat refertiſſima, ad ſuos reuerſus notis & amicis ad-
uerſitates denarrat ſuas:ſic etiam mihi in hac Mu-
ſarum militia militanti, & ſæpe fortunæ pugnos, vt
Comicus ait,edenti apud te, ad quem poſt tot deniq;
annos redeo,quemq; in notiſſimis habeo , idem licere
arbitrabor. Exponere autem iſta & commemora-
re volui tantum? Imo & hæc, quæ mea in te contra
propenſio & voluntas eſſe debet,Ecce! φιλοσοφήματα,
in incluta Salana, meopte,non alieno, remigio geſta,
ſplendori & nomini tuo in munus offerre & conſe-
crare. Munus profecto,ſi ex munere tuo,ad quod ſo-
lida te virtus prouexit,æſtimes,paruum: ſi ex viribus
ingenii mei,mediocre: ſi ex voluntate, longe maxi-
mum & ampliſſimum. Hanc vnam, non illam, non
iſtam in animo offerentis ſpectaturum te plane con-
fido. Tu,vir nobiliſſime,memoriam notitiæ inter nos
noſtræ, & illius, quem a primis ſtatim literis iunge-
bamus, vſus, per hæc φιλοσοφήματα veluti teſſeras
confirmari,aut, ſi illud fieri nequit, ſaltem redinte-
grari patere: Et fac, vt, quod tribuiſti humanitati
tuæ, vt me in notitiam tuam ſuſciperes, idem tribuas
iam conſtantiæ, vt ſuſceptum porro ames & comple-
ctaris, ita tamen , ſi me in literis optimis agentem,
tuo ſtudio, tua virtute & notitia de cetero dignum
deputaueris. Equidem, qui tuos ad virtutem conten-
dentis impetus præclare calleo , & pulcre memini,*

in speratissimis habeo, futurum, vt tuum de me iudicium, iudiciiq; voluntatem vehementiorem, acacriorem & adminiculatiorem tandem aliquando intelligam. Hoc enim tuum de me iudicium, hæc tua de me voluntas, tanti apud me est, & esse videtur, & esse debet; quanti tu es, & quanti esse videris, & quanti aliis esse debes. Vale vir Nobiliss. & præstantissime, & saltem notitiam inter nos nostram fouere & alere iuxta mecum stude. Marpurgi ex μελετητηρίῳ *nostro. Non. Febr. anno æræ Christianæ* CIϽ. IϽC. III.

Tuæ Nob.

studiosissimus.

GVILIELMVS VRSINVS.

RODOLPHVS GOCLENIVS, IN ACADEMIA MARPVRGENSI Philosophiæ Professor, Ad studiosum Lectorem.

MErce proba, emtor adest vltro: suspendere vino per se vendibili non opus est hederam. Liceat enim mihi his versiculis ad te vti, humanissime Lector. Satis proba merx hic ob oculos tibi statuitur ex *Subtilitatis Officina Philosophica.* Hoc igitur cum videas, vel paululum ista euoluta, parciori mihi esse conuenit in ea laudanda. *Philosophica* voco, Philosophiam voco, non omnes omnium opiniones, commentaque (cuius generis sunt Deorum multitudo, mundi æternitas, Stoica ἀπάθεια) sed ἀκαταλήψις, sed certas notiti-

as, principia videlicet & *Conclusiones* hinc enatas: sicut in Mathesi & in Ethicis sunt certæ & firmæ ἀρχαὶ, e quib' oriuntur demõstrationes. Ac hanc veram rationem philosophãdi habeo, hanc verã integramq; esse, seu sapientiã, seu scientiam statuo: habere ac tenere axiomata ac hypotheses constantes, indeque deductas complexiones, & hinc ἐπακολουθήματα seu cõsectaria. *Subtile* dico, *subtilitatem* dico, non perplexitatem, non ματαιοτεχνίαν (qualis illius fuit, qui grana ciceris ex spatio distante missa in acum, continuo & sine frustratione inserebat) non canoras nugas, non inanes argutias, quæ nec scienti prosunt, nec ignoranti nocent: sed quod non est vulgare, minusque accuratum, quod non est rude, pingue, crassumue, sed exquisitum, sed acutum, πρὸς τι τέλος εὔχρηστον. Qualis in disputatione subtilitas est, cum veritas limatur. Tales cum fiant *Vrsini* nostri subtilitates, eiusq; conclusiones nitantur Philosophiæ certissimis effatis ac hypothesibus satis euidentibus, postquam eas mihi inspiciendas quidam dedit, auctorem modo dictum, amicũ meum singularem, ad editionem incitaui: Qui quidem & sustentãs se conscientia optimæ volũtatis, & tribuens aliquid meo iudicio, optime & integerrime Lector, suas hasce μελέτας, scholas & exercitationes in lucem proferri passus est. Tuum igitur est, studium eius boni & æqui consulere, & diligenti lectione & candida approbatione præsentium, eum ad alias, quas præ ma-

nu ha-

nu habet, ἀσκήσεις conficiendas allicere. Bene vale. Marpurgi e Museo, Non. Feb.

Anni, TrIstor GerManIa DIsCors.

AD PRAESTANTEM INGENIO & arte virum, Dn. Gulielmum Vrsinum:

Rodolphus Goclenius Senior.

EIICIVNT *alii ioca seria, seria tantum*
Tu fers foras, iussis valere ludicris,
VRSINE, *excutiens nostrorum scita Sophorum,*
Et ceu statera examinãs auri fabri:
VRSÆ *tu geminus, fœtus effingere linctu*
Aut puriores qua suevit reddere.
Tu perge ingenii fœtus formare Magister,
Partusque perpurgare. Id artis est tua.
Et veniens ætas te, recta iudice mente
Asscribet ordini virum SVBTILIVM.

AD EVNDEM.

QVI *Sophiæ magno sacraria Principis ausis*
Ingenii penetras dexteritate tui.
Qui procul a vero falsum secludis, & illud
αὐτὸς ἔφα *Samii scis nihil esse senis.*
Quæ capies tanto quondam bene digna labore
Præmia? quas laudes, o GVILIELME, *feres.*
Gloria te pennis solui metuentibus, olim
At solium magni prouehet usq; Iouis.

Ambro-

Ambrosiamq; tibi nectarq; benigna ministrans,
Nõ sinet vt Stygiæ te vehat amnis aquæ.

M. Wolfgangus Heider,
Log.& Eth. P.P. in Salana.

AD EVNDEM.

Fixa est Vrsa Polo, quæ dirigat æquore cursus;
Quæ monstret verum fixa quoq; Vrsa solo.
Vtraq; splendoris radios habet incluta, veri
Præsertim ductrix exhibet hoc clypeo.
Cuius tam nitidum Sophiæ supereminet astrum,
Vt nequeat falso concutiente mori.
Fumantem nasum nunquam tentaueris Vrsi;
Exsuperat RATIO *Ramum & Aristotelem.*

M. Hippolytus Hubmeier,
P.L. Cæs.

EIVSDEM ἀνάγραμμα.
Magister Guilielmus Vrsinus:
Vir μέγας surgis vt illumines.

Quod vsum habet in re quauis pulcerrimum
Laudamus, & suo beatum fine dicimus.
Cum surgis *en*! vt *veritatem* illumines,
Vrsine, nonne tu vocandus vir μέγας
Quod exhibes rem doctis iucundissimam.

INDEX QVÆSTIONVM.

VI. De

VI. De diuersis & oppositis in genere
VII. De oppositis in specie
VIII. De absoluto & respectiuo.
IX. De abstractiuo & concretiuo
X. De toto & partibus
XI. De definitione, distributione & testimonio
XII. De vniuersa fere propositionum doctrina
XIII. De syllogismo in genere
XIV. De syllogismo in genere & specie
XV. De methodo in genere
XVI. De methodo in specie
XVII. De tribus legibus a Petro Ramo inculcatis
XVIII. De vtilissima reali & rationis distinctione.

In qua sequentes excutiuntur quæstiones.

I. An realis & rationis distinctio sit omnis entis, adeoque in negotio SS. Trinitatis locum inueniat.

II. An rationis distinctio antecedat rei.

III. Ad quam disciplinam pertineat distinctio realis & rationis

IV. Realiter differre seu distingui, quot accipiatur modis, & quod eorum magis proprie & frequentius

V. An distinctio realis ex Zabarella, aliisque allata duplex, sit sufficiens

VI. Ratione distingui, quot modis dicatur, & quomodo proprie in hoc loco

VII. Quid Ramo sit ratione dissentire

VIII. An igitur Ramo suum Τὸ re dissentire, Peripateticis sit re differre? Item, an animal & homo Ramo differant?

IX. An Philosophorum, de distinctione reali & rationis constituenda, eadem sententia, & an conciliari se patiantur.

X. An prædictæ opiniones methodice proponi possint: & quæ cui præferenda sit? Item, an rectior methodus excogitetur.

XI. Quid sit distinctio in genere, quæ eius caussa, & quibus axiomatibus illustretur

Diſpu-



Disputatio I

VELVT ΠΡΟΔΡΟ-MOS, DE ESSENTIA, EXSISTENTIA REALI & intentionali.

Respondente publice Hippolyto Hubmeiero. L. P.

COGNITIO effectorum & ignoratio caussarum philosophandi curam videntur indidisse primitus. è *Aristot. 2. Metaph. c. 2.*

2. *Quorum illa licet sit tenuicula, inde paulatim tamen ab inscientia in rei euehimur perceptionem. per Arist. 1. de anim. tex. 11.*

3. *Hanc assecuturis aut certe secuturis cum sapientibus σοφῶς καὶ σαφῶς loquendum est.6. Top.c.1.*

4. Orationis enim impuræ purus intellectus vel soboles, vel parens esse nequit. *Scal. ex. 140.*

5. *Ordiemur telam ita : ἀδύνατον* idem simul esse, & non esse. *1. post. cont. 81.*

6. Hoc enim omnium axiomatum, quantum quidem est, altissimum & generalissimum. *Ex 4. Metaph. cont. 9.*

7. *Ideoque haud præpostere in ipso statim huius disputationis vestibulo collocatum est. Ex Zab. lib. 1. de meth. c. 12.*

8. Omne quod est, per essentiam est. *Zab. lib. 2. post. ad cont. 5.*

9. Quod igitur non est, ei nec essentia quidem. *Zab. ibid. ad cont. 3.*

10. Et quidem per essentiam propriam non alienam. *Scal. ex. 307. f. 14.*

11. Duo enim alias essent vnum, quod ne fando quidem accepit quisquam. *Scal. iam d. loco.*

12. Ἁπλῶς ἀδύνατον, ἐστιν ἄνευ τῆς οἰκείας διαφορᾶς ἕκαστον. *Arist. 6. Top. c. 6.*

13. At differentia propria non nisi ab essentia. *Scaliger. lib. 1. in Theoph. hist. de plant. c. 7.*

14. Hæc ita comparata est, vt neutiquam suscipiat magis & minus. *Aristotel. 8. Metaph. cont. 10.*

15. Et qui istam maiorem minoremue dixerit, is prælicenter nimis abutetur patientia sapientum. *Scal. ex. 101. sect. 15.*

16. Hæc entis absoluti non nisi absoluta, relatiui non nisi relatiua esse potest. *Perer. lib. 1. Phil. nat. c. 5.*

17 *Itaque*: Materia prima habebit differentiam, per quam materia est, & forma non est. *Scal. ex. 17.*

18. *Itaque*: Caussæ, qua caussa, τὸ εἶναι consistit in relatione ad effectum. *ex. th. 16.*

19. *Itaq;* : Indiuidua eiusdem speciei (*verbi gratia, Socrates & Plato*) formis quæque suis different. *Scal. 307. f. 17.*
20. Ἡ μὲν ἐντελέχεια ἐν ἄλλοις χωρίζει. *Arist. 7. Metaph. c. 13.*
21. Et vnumquodque est, & nominatur, τὸ δέ τι, non ratione materiæ, sed formæ. *Idem 6. Metaph. tex. 40.*
22. *A materia hoc esse nequit* : indifferens enim differentiæ alicuius caussa esse non potest. *Zaba. l. 2. de i. rer. mat. c. 8. & de const. induid. c. 4.*
23. Eaq; talis non est diuersa, nisi ob diuersitatẽ formæ. *Scalig. ex. 6. f. 12.*
24. *Est etiam in primo de anima scriptum* : *Cerui membra a leonis membris non differre, nisi quia forma differunt. cont. 53.*
25. *Nec ab accidente*, posterius quippe eiusmodi omne sua substantia est. *ex Arist. 4. Met. cont. 7.*
26. *Et*; Omne in primordiis substantiæ situm. *Scal. ex. 307. f. 27.*
27. Nullum autem posterius est de essentia prioris. *Zab lib. 1. de prima rer. mat. c. 11.*
28. *Quodsi accidens illam indiuiduis impertiret differentiam, Socrates esset Plato & Plato Socrates, accidentibus illis, si quidem pote id sit, detractis. Scalig. d. ex. 307. f. 17.*
29. Nulla enim substantia accidentis aduentu aut inhærentia fit alia, sed altera. *Idem lib. 7. c. 3. In Theophrasti histor. de Plant.*
30. *Ideoq;* nullum accidens addit substantiæ entitatem simpliciter, sed talem entitatem. *Idem ex. d. 307. sect. 27.*

31. Dico, Quæ eſſentia non differunt, ſed accidẽte quopiam, eorum alterum de altero dici poteſt. *Scal.l.4. poet.c.9.*

32. Tangam hoc vulnus penitius; indiuidua, *de quibus iam quæſtio*, maxime ſubſtantiæ ſunt. μάλιστα καὶ πρώτως οὐσίαι. *Ariſt.in Categ.c.5.*

33. Μὴ γὰρ οὐσιῶν τῶν πρώτων οὐσιῶν ἀδύνατον τῶν ἄλλων τι εἶναι. *Ariſt. ibid.*

34. Secundæ enim ſubſtantiæ ſunt non niſi in ipſis. *Auer.7. Metaph.cont.78.*

35. Ὅσα τὰ καθόλου ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχει τοῖς πράγμασι. *Ariſt.1. poſt.cont.36.*

36. Itaq;, Realia ſunt, non opera intellectus noſtri. *Franciſ.Picc.in comite Polit.p.1010.*

37. Intellectus enim nullam facit ſubſtantiam. *Scal.307.ſ.27.*

38. Iam ita, Si ſubſtantiæ indiuiduæ πρώτως καὶ μάλιστα ſubſtantiæ ſunt, id vel propter materiam, vel formam ſpecificam, vel accidentia: *hac enim tria in quolibet reperiri compoſito, in confeſſo eſt. Zab.libr. de conſt. Indiui.c.2.*

39. Propter materiam id nullus dixeris: materia enim poteſtas eſt. *Ariſt.lib.2.de anim.cont.2.*

40. Nullum autem ens in poteſtate conſtituit ens actu. *Fonſeca 5. Met. c.2.*

41. *Adhæc, ſi materia iſtud obiret prouinciam, ageret, quod eſt contra Philoſophum.lib.2.phyſ. acroas.*

42. At materia omnium entium ignauiſſimum, *ait Scal.ex.5.*

43. *Non propter formam ſpecificam*, illa enim non indiuiduum, ſed ſpeciem conſtituit. *Conſ.theſ. 10. & 11.*

44. *Dicant formam specificam constituere indiuiduũ, quatenus in ipsa materia exsistit & limitatur, quod videtur arrisisse Zabarella, libr. de const. indiuidui. c. 5. & seqq.*

45. *At hoc nihil est*; Omnis enim limitatio & determinatio a forma est, *vt ipse profitetur l.d. c.4. & lib.2. de prima rerum mat. c.6.*

46. *Quod si igitur specifica limitatur ad constituendum Indiuiduum, limitationem eã a forma alia prodire necessum est. Ex prior.*

47. Nihil autem limitatur aut restringitur a se ipso. *Conf. Arist. lib. de motion. anim. c.6.*

48. *Nec propter accidens aliquod*, Vis enim eius a substantia dependens est. *Scal. ex.6. s. Et.6.*

49. *Multo minus efficiens aliquod externum indiuiduis dabit, vt maxime sint substantia*, Omnis enim efficiens est extra rẽ necessario, *Scal. ex.6. s.1.*

50. *Des igitur* ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ *formam aliquã singularem & indiuiduis propriam, propter quam maxime sint substantia. Ex Scal, ex.307. s.17.*

51: *Quare verum est illud:* Omnis forma indiuidua maiorem perfectionem includit, quam specifica. *Fons. l.5. Metaphys. c.4. q.4. s.1.*

52. Omnis porro essentia non est sine exsistentia. *Gocl. in Metaph c.1.*

53. *Quæ in Deo est ipse Deus, nec ratione quidem ab eo distincta. Perer. l.6. Phys. c.13.*

54. Omnino quicquam in Deo ponere, quod nõ sit absolutum, & quod non sit ipse Deus, impiũ est, *vt eleganter Scal. ex.365. s.7.*

55. *Vtriusque ea est conditio, vt quo magis descenditur ad singularia fiat perfectior, ascendendo autem*

seriatim debilior, vt pulcre colligitur ex Zab. lib.1. de prim.rer.mat. c.19.

56. Et vtraq; est quiddam, *vt verbis vtar Scaligeri*, transuolans per omnia fere prędicamenta. *Ex. 300.s.1.*

57. Sicut autem essentia κατ' ἐξοχὴν singularium est, sic exsistentia. *Zab.2.post.cont.72. Gocl. Met. cap.2.*

58. Valentissima.n. quæq; caussa valentissimum producit effectum. *Scal ex.99.s.1.*

59: *Hinc recte*: Modus exsistentiæ sequitur modum essentiæ. *Perer.l.6.de comm.rer.princ. c.13.*

60. *Itaq;*: Omnis exsistentia præsupponit essentiam. *Valles.lib. de sacra Phi'os.p.19.*

61. *In creaturis autem exsistentia sola ratione distinguitur ab essentia. Ex Arist.3.de anim.cont.9.*

62. Et est ipsa essentia aliquid amplius. *Perer.lib.6.Phys.c.15.*

63. Est enim exsistentia modus quidam rei, quo res dicitur exsistere actu. *Per.d.l.6. cap.13.*

64. *Idcirco scholastici dicunt*: Exsistentiam esse actum vltimum cuiusque entitatis. *Vide Fonsec. 4. Metaph.ad c.2.q.4.s.4.*

65. Et hanc ad istam ita se habere, sicut potentia ad actum. *Thom.1.part.sum. q.3. artic.4.*

66. *Itaq;*; Exsistentiæ non datur exsistentia. *Fonsec.d. q.4.s.4.*

67. *Cui rei hac inquies? Ecce*: Ad essentiam propositionis exsistentia subiecti non est opus. *Fonsec.lib.5.Met.c.5. q.1.s.3.*

68. Omne quod est, aut reale est, aut intentionale. *Fonsec.5.Metaph. ad c.7.q.6.s.1.*

69. Omne

69. Omne reale prius est intentionali. *Ex Arist. 2. post. c. 16.*

70. Nullum *itaq;* intentionale quit esse genus realis. *Ex Arist. 4. Top. c. 1.*

71. Multo minus forma: *Seiunctũ enim est ab ipsa. Ex Scal. ex. 140. s. 1.*

72. Nulla *enim* forma ab eo, cuius est forma, re ipsa separari potest. *Perer. 5 phys. c. 18.*

73. Separari potest non nisi coniunctum aut annexum. *Scal. ex. 307. s. 2.*

74. At nulla forma, nulla essentia alicui annexa est, *vt habet idem Scal. ex. 75. s 4.*

75. Imo ne cogitatione quidem, *ex Zabar. libr. 1. post. ad c. 6. cont. 52.*

76. *Itaq;*: Alterum alteri est accidentale. *ex Zab. lib. 2. de propos. necess. c. 5.*

77. *Itaq;*: Caussa entis realis intentionalis nõ est, sed realis, *ex Petro Nigri. in clypeo Thom. q. 5.*

78. Nullum reale, quatenus tale, mentis operationi obiicitur. *Ex Fortunato Crellio in phys. p. 230.*

79. Reale namq; exire e seipso non potest, atq; idem manens, quasi machinis quibusdam suffultum subire ad intellectum, in quo figat sedem, *ex Scal. ex. 307. s. 21.*

80. *Dico,* Reale quod extra intellectum est, nullo nixu potest, sese vt inferat in ipsum, *ex Arist. 3. de anima. cont. 6.*

81. Nec intellectus vllo potis est pacto, vt rem extra se diuersantem suo ex diuersorio extractã quasi intro ad se receptet. *ex Scaliger. exerc. 344. s. 3.*

82. Α'φιλόσοφον *est igitur illud Notholdi dicentis: quia intellectus ad rem accedit, & imaginem eius in mente format, ideo res concipi dicuntur in diatriba. Phil. p. 23.*

83. φιλοσοφώτατον *autem illud,* quodcunq; recipit intellectus, est accidens: accedit enim atq; decedit absq; eius corruptione. *Scal. ex 307. s. 5.*

84. Quicquid igitur ab intellectione ventilatur nostra, accidens intentionale est. *ex th. 78. & seqq.*

85. *Adeoq;* vt ipsa intellectio intus ab intellectione pensitata realis non sit amplius, sed intentionalis. *ex th prec.*

86. Reale igitur illud est, quod citra mentis operationem vspiam exsistit. *Goclen. in Metaph. p. 13.*

87. *Hactenus de Reali: Intentionale ex lege methodi sequitur. Scal. l. 3. de caus. lat. ling. c. 66.*

88. *Hoc ita dictitatum,* quod mens nostra per illud ceu pontem aut portitorem in rem quasi intendat. *Ex Scal. ex. 307. s. 21.*

89. Barbaris non inscita voce *Formalitas* nuncupatur, *vide eleganter Gocl. l. 1. Inst. log. p. 34.*

90. Eo, quod realis nota, forma, seu species sit. *Ex Arist. l. de Interp. c.* 1.

91. Frequenter notionis nomine venit. *vide Zab. l. 1. de nat. log. c. 3. 2. poster. anal. c. 1.*

92. Inde, opinor, quod mens per eam aliquid cognoscit & apprehendit. *ex eod. d. libr. 1. de nat. cap. 10.*

93. Nec infrequenter conceptus seu conceptio, id propterea, quod a mente concipiatur. *vide Fons. lib. 1. Inst. dial. c. 10.*

Ari-

94. Aristoteles παθήματα καὶ νοήματα appellat *lib. περ. c. 1.*

95. *Hæc de appellationibus non ex superfluo*; Sæpe namq; numero ex nominibus ad rei perceptionem aspiramus. *Plato in Cratylo.*

96. *A nominibus & verbis ita discrepant, quod hæc apud ἑτερογλώσσους sint ἕτερα, illa vero apud omnes ταυτά. Arist. d. c. 1.*

97. Quemadmodum enim res naturam non mutat, sed eadem est apud omnes, sic & eius notio. *Scal. l. 3. de caus. lat. ling. c. 66.*

98. Hæc tanto necessaria est opere, vt nec mens sine ea intelligi, nec disciplina sine ea vlla constare possit. *Ex Arist. l. de Sophist. Elench. c. 1. Picc. in com. Pol. p. 110.*

99. Quod enim mens artificis agit in materiam, hoc intellectus in notiones. *Scal. libr. 1. de caus. lat. ling. c. 1.*

100. Omnis enim disciplina, quæcunque tandem sub Ioue, proprie in animo est. *Zabarell. libr. 1. apol. c. 1.*

101. Ad eum enim perficiendum & excolendum inuenta. *Scal. ex. 307. s. 5.*

102. Perficiens autem & perficiendum coniuncta esse oportet. *Ex Arist. li. 7. ἀκροασ. a. 2. text. 10.*

103. Postea autem disciplinæ accidit, vt sermone explicetur, & in scripturam referatur. *Ex Scal. lib. 1. de caus. lat. ling. c. 2.*

104. Quare in mente est per intentiones καθ' οὐσίαν, secundum quam & consideranda. *Ex Arist. 5. Eth. c. 10.*

105. In sermone autem per voces, in scri-



at non *homo. Scal. ex. 307. ſ. 21. Zab. lib. 1. de natur. log. c. 8.*

119. Non itaque vniuerſe verum eſt; notiones primas nõ eſſe opera mentis noſtræ. *Sicuti vult Zab. d. lib. 1. de nat. log. c. 3.*

120. Nec illud Notholdi: Commune eſſe omnium notionum, vt ſint facta mentis. *in diatribe Phil. c. 5. & 6.*

121. Cæteroqui nullo modo ſalutem afferamus iis, quæ vno profitentur ore Philoſophi. *vide Zab. lib. de ſpecieb. intell.*

122. Omne intentionale primum ſimplex eſt in mente obiectiue ideo, quia id, quod repræſentat, eſt extra. *ex Gocl. Met. p. 14.*

123. Habetque idem nomen cum reali, eandemque cum ipſo definitionem. *ex Picc. in Comite polit. p. 1010.*

124. Itaque; idem iudicatur ab intellectu cum ipſo, licet illud ſit extra, hoc intra. *Zabar. lib. de ſenſu agente. c. 5.*

125. Intentionale ſecundum ſimplex eſt, quod repræſentat intentionale primum ſimplex. *Ex Goclen. Metaph. d. p. 13.*

126. Intentionale ſecundum complexum eſt, quod intentionale primum complexum. *Zab. lib. 2. de nat. log. c. 3.*

127. Vtrumque hoc ideo in mente eſt, quia & illud ibi eſt. Goclen. Metaph. d. p. 14.

128. Simplex nec retinet idem nomen cum reali ente, nec eandem cum ipſo definitionem. ex th. 123.

129. Itaque nec idem iudicatur cum ipſo. ex th. 124.

130. Itaque: Definitiones primarum notionum

ſunt verę de rebus ſimpliciter. *ex th. 123.*

131. Sed, definitiones ſecundarum non ſunt veræ de rebus, ſed de primis, prout ſecundis ſubſternuntur. *Zab. libr. 1. de nat. log. c. 19.*

132. Itaq; fixa nobis & impetrita ratio: Intentiones ſecundas non conuenire rebus, niſi obiectiue in intellectu conſtitutis. *Ex Gocl. Metph. d. p. 14.*

133. Atq; hac iam de diſputatione hac Philoſophica, quam Philoſophice, hoc eſt, ſobrie expendiſſe iuuet, altercationibus relictis iis, quos iuuat anguillas turbato quærere ſtagno.

Diſputatio II.

DE LOGICÆ NATVRA.

Reſpondente Gabriele Mylio, Auguſtano.

1.

NOSTRA hæc in ſtudiis literarum, ſine logico lumine, peregrinatio, miſerabilis quædã erratio eſt. *Ex Scaligeri ex. 359. ſ. 1.*

2. Hoc ſiquidem exſtincto, Philoſophus moroſophus eſt, Medicus mendicus, Iuriſconſultus ruris tumultus, Theologus cacologus. *Confer Goclenium in præfat. l. 1. Inſt. Log. theſ. 5.*

3. Huius diſciplina vniuerſa perfrequenter Logica Philoſopho dicitur; *teſte Zabar. libr. 1. de nat. log. c. 7.*

4. At vix, aut rarenter certe, Dialectica, *teſte Gocl. part. 1. probl. log. q. 3.*

Nam

5. Nam & totum ratiocinandi artificium Dialecticæ nomine venire, docemur ex Aristotele 2. *Rhet.c.22.& 23.*
6. Qua generali acceptione, Dialectica ars est, rationis dirigendæ instrumenta tradens. *vide thes. 23.disput. huius.*
7. Ars potius, quam scientia; generat enim quippiam. *Ex Phil.6.de mor.c.4.*
8. Eiusque finis opus. *Scal.ex.1.sect.3.*
9. At nulla scientia generat, sed generatum a natura, aut per se exsistens, contemplatur. *Arist.2. post.cont.104.*
10. Eiusq; finis veritas. *Arist.2. Met. c.1.*
11. Quæ inibi nihil aliud, quam necessaria & certa rei cognitio, & quidem ea, quę est actus, habitus enim ipsamet scientia est. *Gocle.libr.1.Instit. pag.22.*
12. Adhæc logica contingentium est, tota quippe in notionibus secundis sita. *Gocl.par.1.prob.log. quæst.9.*
13. Notiones autem secundæ & a mente sunt nostra, & in mente nostra, alibi nusquam. *Zab.libr.1. de nat.log. c.3.*
14. At omnis scientia necessariorum, & notionũ primarum. *Arist.1.post.c.12.*
15. Necessitas hic entis incomplexi, non propositionum & definitionum quæritur. *Ex Zab.libr. 1.de nat.log.c.2.*
16. Nam & hanc Peripatetici prolixa manu non largiuntur tantum, sed stricta postulant etiam. *Piccol.grad.5.Phil.mor.c.15.*

17. Ergo substantia & accidens reale nihil quicquam animael ogicae attingunt. *Fonsec. 5. metaph. c. 7. q. 1. s. 4.*

18. Ergo non interpretatur, seu; praeceptis non infulcit suis tres illas, quas vocant, mentis operationes. *ex. thes. 12.*

19. Quarum prima est apprehensio simplicium *Zab. lib. 2. de nat. logic. c. 3.*

20. Altera compositio & diuisio, in quibus τὸ ψεῦδός τε καὶ τὸ ἀληθές; *Arist. lib. περὶ ἑρμ. c. 1.*

21. Tertia, discursus, ratiocinatio seu mentis trãsmissio. *vt ait Scal. ex. 307.*

22. Harum namque tota penes senatum Physicorum consistit consideratio. *Zab. d. li 2. c. 3.*

23. Sed logica has ipsas instrumentis suis subleuat, subleuatas dirigit, directas instruit. *Confer Gocl. lib. 1. Isagog. in organ. Arist. c. 1.*

24. Ars est potius, quam scientia, nec tamen, si locutio accurata curae tibi, habitus. *Tempellus aduersus Piscat.*

25. Nulla quippe efficiens idem, quod effectus. *Ex Arist. 2. post. cont. 92.*

26. Habitus autem artis effectus est. *Ex Scalig. ex. 307. s. 21.*

27. Omninoq; aliud ars; aliud artis in habitum quasi transuectio *Ex Scalig. ibi. sect. 16.*

28. Hunc habitum cum arte & propositionibus ad artem collineantibus, vna in mente consistere posse, nihil impedit. *Vide Dissent. apud Nothold. libel. de princip. & natur. log. c. 12.*

29. Non pol necessum; vt ad effectus ingres-

sum

sum, caussa absistat protinus & discessum paret. *Ex. Scalig. ex. 28.*

30. Nec necessum item; vt ad negationem habitus sequatur negatio artis logicæ in mente. *Ex thes. 12. & 13.*

31. Adde, quod omne pure logicum sola mente contentum. *Ex Scalig. ex 307. sect. 23.*

32. Adeoque intime ipsam amplectitur, adeoq; arcte exosculatur, vt haud exeat ipsum. *Ex Zab. lib. 1. de nat. log. c. 8.*

33. Exit autem per orationem tanquam ministram suam, seu Optionem. *Ex Goclen. par. 1. prob. log. q. 6.*

34. Pure igitur logicum non visitur foris, sed ipsius ministra & indicatrix, oratio. *Confer Scal. lib. 4. Poet. p. 449.*

35 Et pure logicum apud omnes eadem facie, sed ministra ipsius apud diuersi-lingues diuersa. *Id. lib. 3. de causs. latin. ling. c. 66.*

36. Deinde logica præbet ratiocinandi instrumenta, non fabricat. *Diss. Zab. lib. 2. de nat. log. c. 7. Crell. in Isagoge pag. 5. & Scal. lib. 3. Poet. c. 1.*

37. Ratiocinandi siquidem instrumenta nihil aliud atq; ipsa logica. *Ratio ex eod l. 2. Apol. c. 2.*

38. At nihil est efficiens sui ipsius. *Ex Aristot. li. de mot. animal. c. 5.*

39. Et inauditum; totum esse caussam procreantem suarum partium. *Vide Goclen. part. 2 probl. log. q. 4.*

40. At Philosophia fabricat, ciusn. recte logica partus dicitur. *Zab. lib. 1. de nat. log. cap. 12.*

41. Non itaque eiusdem hoc sensu pars. *Dissentiant licet Ramei.*

42. Effectus siquidem efficientis pars non est. *Conf. Gocl. part. 4. probl. log. q. 12.*

43. Sicut logica non fabricat instrumenta sua, ita nec iisdem ipsa vel logicus vtitur. *Posterius Scalig. est. ex. 1. sect. 3. prius ex th. 38.*

44. Sed Philosophus, sed Medicus, sed Iurisconsultus, sed Theologus. *Zabarell d. libr. 2. de nat. log. cap. 7.*

45. Hæc enim est supellex cunctis apparata scientiis & facultatibus. *Gocl. in prolog. Inst. log. pag. 3. vbi Diff.*

46. Ideoq; est generis, hoc est, subiecti indefiniti. *Arist. 4. metaph. c. 2.*

47. Ab hac instrumentorum prælitione instrumentalis nuncupata est. *Zabarell. libr. 1. de nat. log. cap. 12.*

48. Et quidem κατ' ἐξοχὴν ὄργανον ὀργάνων. *Gocle. l. 1. Inst. pag. 28.*

49. Sed nullum instrumentum efficiens purum est, ideo indigens agente principali. *Scalig. libr. 3. Poet. c. 7. & Picc. grad. 2. Phil. mor. c. 7.*

50. Principale illud Philosophus est, qua & gratia hic logico artificioso prior. *Ex Zab. lib. de partit. animæ c. 8.*

51. Quin omne naturale artificioso prius & præstantius, sicut & natura præstat arti. *Vide eleganter Picc. grad. 5. Phil. moral. c. 58. & seqq.*

52. Denique dicimus instrumenta rationis, exule particula BENE. *Snell. in emendat. log. libr. 1. cap. 1.*

Boni-

53. Bonitas & vtilitas sunt conditiones artis in genere. *Scal. ex. 326.*

54. Quæ igitur generis sunt propria, ea non licebit denuo inserere speciei. *Ex Zabar. l. 1. post. ad conc. 75.*

55. Instrumenta logica, adeoq; omnia, id naturæ habent, vt nunquam abeant, aut vertantur in illud, cuius sunt instrumenta. *Auerr. in paraph. de generat. animal. l. 2. c. 2.*

56. Itaque calculum haud apponimus Zabarellę, logicam scientiis applicatam in ipsarum naturam immigrare statuenti. *l. 1. de nat. log. c. 5.*

57. Nullum enim accidens quit esse de alicuius subiecti essentia. *Id. l. 1. de nat. log c. 11.*

58. Hæcque instrumenta sunt ideæ, seu exemplaria, non exemplata. *Confer eund. libr. 2. de nat. log. c. 7.*

59. Istorum finis internus, proinde & logicæ, est fabricare exemplata. *Ex Scal. ex. 1. s. 3.*

60. Quo sensu si logicam rationi instrumenta fabricare dixeris, me lubente, dixeris. *Vide eund. l. 3. Poet. c. 1.*

61. Quæ compositio instrumenti manet in animo nobis vel dormientib. *Monlor. in analy. Arist.*

62. Externus & vltimus est veritas, seu facilior omnium rerum cognitio. *Gocl. in Instit. log. pag. 27. Arist. 1. Rhet. c. 1.*

63. Forma ἐν τῷ τρόπῳ seu modo ratiocinandi consistit, per hunc enim instrumenta logica sunt logica. *Ex 6. Metaph. tex. 40.*

64. Idem itaq; neq; finis, neque subiectum, quod internum vocant, esse potest. *Ex th. præced.*

Neu-

77. An non perinde vt diſpoſitionis, ita & inuentionis regulis iudicemus? *Diſſent. Ram. l. 2. c. 1.*
78. Et vnde vera inuentio, veraque diſpoſitio, indidem & vera petitur refutatio. *Flac. lib 6. logic. gener. cap. 6. & 7.*
79. Καὶ γὰρ τῷ εὐθεῖ, καὶ αὐτὸ, καὶ καμπύλον γινώσκομεν. *Ariſt. 1. de anima. context. 85.*
80. Ideo iudicium logicæ pars non eſt, ſed vniuerſæ vel ſoboles, vel perpetua miniſtra. *Ex theſ. 75. & 77.*
81. Nec ſophiſtica, ſiue eam accipias doctrinam ſophiſticandi, ſiue refutandi marcidas concluſiunculas. *Flacius d lib. 1. log. gen. cap. 8.*

Diſputatio III.

DE LOGICÆ DIVISIONE.

Reſpondente Georgio Flemingio, Heſſo.

RATIO & intellectus ſunt velut oculi, quibus vnis vel ad intima quæque philoſophiæ diſpicienda penetramus. *In commun. Boetiu de conſolat. philoſ. lib. 1. proſ. 1.*

2. In penitiori itaq; logicæ diuiſionis perpenſione ne ſimus ſicut iumenta, quæ ad iugum molæ truſatilis alligata molam verſant, neq; ipſam cognitam habent. *Ex Scal. ex. 359 ſect. 11.*
3. Iudicium non ſine iudicio, & ſophiſticam plane ſine ſophiſtica, ex Peripateticis & cum Peripateticis, ex logicis ſubantea exauctorauimus. *Confer. theſ. 73. diſput. 2.*

4. Non quod vtrumque necessarium non sit; sed quod neutrum logicæ arti essentiale. *Exth. 78. & 80.d.disp.2.*

5. Necessarium vel sæpissime extra rem: at essentiale non nisi intra rem. *Confer. Scal.ex.250.s.3. & Zab.lib.2.de propos.necess.c.10.*

6. Etiamsi non omne essentiale rem cōstituat. *Zab.lib.1.de propos.necess.cap.4.*

7. Nunquid ergo, inquis, logicæ diuisio in definitionem, diuisionem, & argumentationem, quæ Boetii, qui ex professo de diuisione, ad palatum & ad verum? *vide Fonsec. libr. 4. Institut. Dialect. c.7.*

8. Non hercle: omnis quippe legitimæ & inculpatæ diuisionis partes vniuersam eius rei, quæ diuiditur, vim arcere debent. *Arist.2.post.c.5.*

9. Idcirco recte Fonseca: omne diuisum singulis membris maius, omnib. autem simul sumtis æquale esto. *d.lib. 4. Inst. Dial.c.10.*

10. Et recte Zabarella: Diuisio, inquit, non dicitur fieri, nisi quando membra totū illud, quod diuiditur, adimplent. *lib. 1.propos.necess.c.5.*

11. Nunquid ergo eorum, inquis, qui vel in Apodicticam, Dialecticam & Sophisticam, vel in Analyticam & Topicam tribuunt, approbanda opinatio? *vide Ram.lib.2.Schol.Dial.c.9.*

12. Nihil minus; eodem enim errore hæ, quo prior illa, non tenentur, dicam, sed illaqueantur. *Fortunatus Crellius in Isagog. logic. pag. 10. & seqq.*

13. Nunquid ergo, inquis tandem, eam quæ in Inuentionem & Dispositionem, cum Ramo ambi-

ambitis & exambitis, id quod innuisse visi. *thes. 66. disput.2.*
14. Non sic: ἀφιλόσοφον, id quod controuersum & affirmatum non est, temere sumere pro confesso & affirmato, *vt ait Scal.ex.205.*
15. Logicam, dico, qui in inuentionem & dispositionem ceu partes essentiales cum Ramo secuerit, Rameorum ratorum & scitorum iuxta cum ignarissimis ignarus est.
16. Anguillis ipsis & fœdissimis piscium generibus in iisdem gradibus theatri naturæ sedere liceat, & spectare nos in subtilitatis Logicæ scena parum subtiliter agentes, *vt vtar verbis Scal. exerc.255.*
17. Logica ars Rameis Typus est: mens nostra Archetypus. *Ram.in Dialect.Inst.pag.5.*
18. Logicam esse imaginem naturalis Dialecticæ, nostræ contentionis fundamentum est, inquit idem apertius *in Animadu. Arist.pag.109.*
19. Iam quicquid in Typo est, idem quoq; in Archetypo esse debet. *Franc.Piccol.l.2.Phys.p.293.*
20. Interrogatus enim statuarius, cur statua Socratis sit prædita naso simo, respondebit vtique, quia exemplar eius, nempe Socrates, tale erat. *Piccol.ibid.*
21. At in Archetypo vt mente, non est diuisio integri in membra, ἀμέριστος enim, quæ tamen in Rami Typo. *Test.Ram.*
22. At veritas exemplati seu Typi, pendet ex veritate exemplaris seu Archetypi. *Ram.dict.pag 109. & seqq.*

23. Aiunt esse diuisionem a mentis nostræ potioribus & pensionibus desumtam officiis. *Tempell. lib. 2. sua logic. c. 2.*

24. At fallaciam caussæ esse, ab officiis mentis concludere ad partes Logicæ essentiales, inquit Albertus Grawerus *disput. 1. polem. thes. 55.*

25. Dicemus nos, non fallaciam tantum, sed & graphicum seri mendacium, si quis ἐν τῇ γραφῇ & imagine afferat & depingat quicquam, cuius in corpore viuo depingendo ne tenuissimum quidem apparet vestigiolum.

26. Et logicam artificiosam mentis nostræ facultates depingere, supra fallaciam est omnem. *Confer. thes. 18. & seqq. disp. 1.*

27. Quod vnum Ramum & Rameos Interpretes a veritate, parum sollicitos veritatis, in vasta errorum auexit præcipitia. *Confer. Zab. lib. 2. de nat. log. c. 2.*

28. Sic vsuuenit, vt ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, vno absurdo dato, alia & quidem infinita sequantur. *Arist. 1. acroas. con. 10.*

29. At ea, quæ scribuntur, tria deposcunt, vtilitatem præsentem, certum finem, & inexpugnabile fundamentum. *Cardan. lib. subtil. 15.*

30. Nec est, quod Aristotelis auctoritatem subsidio sibi venire Ramei autument, præcipue euocatam. *Ex. 8. Top. c. 1.*

31. Quo loci (ait Ramus) nominatim diuisionem Logicæ in Inuentionem & Dispositionem instituit & confirmat Aristoteles, vt, qui partitur Logicam in Inuentionem & Dispositionem, auctore Aristotele partiatur. *lib. 2. Schol. Dial. c. 8.*

32. At enim (inquam) eo loci Philoſophus logicam in Inuentionem & Diſpoſitionem non partitur, ſed officia τὰ ἔργα τοῦ ἀποκεινομένου, καὶ ἐρωτῶντος deſcribit, *lege lib. eiuſd. c. 3.*

33. Poſteaquam enim Philoſophus prægreſſis ſeptem libris locos argumentandi, & nonnulla alia recenſuit, in octauo duos aduerſarios, interrogantem ſcilicet & reſpondentem, quaſi in arenam producit de propoſita aliqua quæſtione decertaturos. *vide Flac. lib. 1. Dialect. cap. 2.*

34. Quæ omnia ideo diſputata volo, non quod diuiſionem illam Rameam prorſus improbem; ſed quod Rami iſta fundamenta ſolida eſſe negem.

35. Ad organum autem Ariſtotelis nulla eſt accommodatior, quam in communem & propriũ. *Auerr. libris poſt. anal. præfat.*

36. Pars communis tribus libris, Categoriarum, de interpretatione, & priorum analyticorum abſoluitur. *Zabarell. libr. 2. de natur. logic. cap. 1.*

37. Pars autem propria continet poſteriores analyticos, libros Topicos & Sophiſticos. *Zabar. ibid.*

38. Vbi diſſentit Flacius, quocum conſentimus nos, qui ſophiſticos libros ad logicam generalem, non tamen vt partem, reuocat. *lib. 1. logic. general. cap. 8.*

39. Illa communis, hæc propria dicitur; quoniam illa non reſpicit definitam materiam, hæc autem reſpicit. *Auerr. d. loco.*

40. Et illa anteponenda huic; quia, quæ magis

communia ſunt,iis in diſciplina debetur præceſſio. *Ariſt.1.phyſ.cap.1.*

41. Categoriæ præcedunt librum de interpretatione, quia omne reale prius intentionali. *Ex Ariſt.2.poſt.cap.16.*

42. At in Categoriis realia ſunt,libro de interpretatione intentionalia. *Confer. Iauellum 5.metaph.quæſt.16.*

43. Itaque hic dubitatio non leuis; an Categoriæ quoad res ſubiectas logicæ ſint contemplationis,id quod negauimus. *th.17.diſp.2.*

44. Logicus enim, qua talis, reale conſiderat nullum. *Iauell.4.metaph.q.1.& 6.q.13.*

45. Interpretationis liber deinde antecedit priora analytica; quia ille horum quaſi elementaris eſt. *vide Zab.d lib.2.de natur.logic.c.3.*

46. At τὸ ἁπλοῦν τῶν συνθέτων τῇ φύσει πρότερον, ſimplex natura prius compoſitis. *Ariſtotel. 2.de cœl.text.22.*

47. Priora autem analytica poſteriora ob rationem inſertam, *th.41.diſp.h.*

48. Poſteriora porro reliquos ob præſtantiam, dignitatem & nobilitatem. *Zab. d.lib.2.de natur.log.cap.12.vbi diſſent.*

49. Sed prolixum perſequi hæc Ariſtotelica κατ' ἀξίαν; ideo compendiaria via diſpicienda fuerunt.

50. Logicam diximus eſſe inſtrumentorum & quidem τῶν ἐξ ἀρχῶν acceptorum artem. *diſput. 2. theſ.49.*

51. Et inſtrumentum illud vel ad inueniendum

dum ἀμέσως, vel ad diſponendum conducere *ex th.66.d.diſp.2.*

52. Inſtrumentum inueniendi vel thema eſt, vel argumentum.

53. Vtrumque omnis entis eſt. *Ram. libr.4. Schol. Dialect.c.5.*

54. Thema eſt inſtrumentum inueniendi, quod ab argumento arguitur. *Confer. Beurh. in procem.pædag. log.part.3.*

55. Sæpe enim difficilimum eſt; verum thema inuenire & ponere.

56. Thema non tantum natura, ſed & tempore prius eſt argumento. *Ex Scalig.ex.307.ſect.22.*

57. Eſtq; vel Simplex, vel Complexum. *Confer. Ariſt.2 poſt.c.1.*

58. Simplex eſt, quod nuda expoſitione contentum eſt. *Beurh.d loc.*

59. Complexum eſt, ad quod demonſtratione opus. *Vide Beurh.d.l.*

60. Argumentum eſt inſtrumentum inueniendi, quod thema arguit. *Confir Zabar. lib.1.de nat.log.c.10.*

61. Non itaque genere deſtituitur, quod genus habet *contra Ram.lib.1.Dial.cap.23.*

62. Illudque arguere non de actu intelligatur, ſed de potentia. *Gocl.part.4.probl.log.quæſt.6.*

63. Arguit enim actu in diſpoſitionem iam illigatum. *Goclen.ibid.*

64. Itaque alia eſt cauſſa actus, alia potentiæ. *Zab.lib.de gen.& int.c.11.*

65. Omne argumentum eſt notio ſimplex. *Gocl.d.part.4.q.6.*

66. Et quidem ſecunda: eſſe enim non niſi in mente obiectiue & a mente habet. *Goclen. in metaph. pag. 14.*

67. At cauſſa & effectum, ſubiectum & adiunctum, diuerſa & oppoſita, & ſimilia, realia ſunt. *Cornel. Martini diſp. 1. aduerſ. Ram.*

68. At nullum ens rationis eſt de ratione & eſſentia entis realis. *Iauell. 5. metaph. q. 16.*

69. Ideoque concipi poſſunt & intelligi realia ſine ente rationis. *Ex th. præced.*

70. At ἀδιώατον, aliquid concipi ſine iis, quæ ingrediuntur formalem rei conceptum, *Paul. Soncin. 7. metaph. q. 1.*

71. Atque hæc iam pro re nata de præſenti negotio dicta ſufficiant breuiuſcule forſan & leuiuſcule: at pluris eſt æſtimanda perſpicua ac breuis de rebus nobiliſſimis & vtiliſſimis, quam intricata & prolixa de rebus ignobilioribus & nullius penſi, tractatio. *Ariſtot. 1. de partib. animal. cap. vlt.*

72. Quæ ſi quorundam palatis non belle ſapiunt, quærant ii ſibi cocum alium, & condimenta alia: nec in re difficili, aut difficultatem præ ſe ferente, quando nodum quidem ſoluere neſciunt, iocorum acie eum ſcindant. *Ex Scal. ex. 173. ſect. 1.*

Diſpu-

Disputatio IIII.

DE CAVSSIS.

Michaele Weyßmann/ *Aurbacensi, Respondente.*

1. IN prægressa dictum disputatione; omne argumentum esse notionem simplicem, & quidem secundam. *th.64. & 65.*

2. Iccirco pronuntiata communia, quas Maximas alii vocitant, non esse nobis argumenta; sed ex argumentis. *Confer. Fonsec. lib. 7. Instit. Dialect. cap. 9.*

3. Easq;, licet non omnes, sub argumentis tanquam stellas illustriores transcurrere seriatim. *ex disp. 2. th. 71.*

4. Argumentum omne, sicut & maxima, vel necessarium est vel probabile. *Confer. Zab. lib. de accret. & nutrit. cap. 5.*

5. Necessariũ est, quod cum themate vel necessario iungitur, vel ab eodem disiungitur necessario. *Confer eundem lib. 1. post cap. 4.*

6. Vt enim res natura coniunxit vel seiunxit in rebus, ita eas & nos coniungimus vel seiungimus per artem in propositione. *Scalig. lib. 7. de causs. latin. ling. cap. 142.*

7. Maxima autem necessaria est, vnde necessaria exstruitur conclusio. *vide Fonsecam lib. 6. Instit. Dialect. cap. 4.*

8. Quid iam sit argumentum probabile & maxima probabilis, ex oppositis cernere est ꝑcliue. *Ex Philosoph. 2. de generat. cap. 10.*

9. Sumitur & illud & hæc primo a caussis vel effectis.

10. Caussæ sicut principia sunt; ita de iis omnium primum de methodi statutis agendum. *Ex Arist.1.phys. c.1.*

11. Quanquam de his agere, prout caussæ sunt, proprium Philosophi primi munus est. *Fonsec.3. Metaph. cap.2.*

12. Ad quam enim disciplinam ens pertinet, ad eandem & entis primæ differentiæ. *Zab.lib. 2. post. ad cont.48.*

13. Atqui ad primam philosophiam pertinet ens. *Arist.4. Metaphys. c.1.*

14. Ergo & entis differentiæ, per quas ipsum primo diuiditur. *Ex th.12.*

15. Adde, quod vere logicum non nisi in mente est, & a mente. *Zab.lib.1.de nat.log.ca.3.*

16. Ideoq; non nisi accidens eiusmodi omne & singulum. *Ex Ram.l.6.schol.Metap.cap.3.*

17. Intellectus enim meus vel tuus, vel illius substantiam condit nullam. *Scal.ex.307.sect.22.*

18. At absurditatis plenissimum: caussam nil esse præterquam accidens, & nusquam præterquã in mente. *Confer.Philosoph.2.Phys.cont.4.*

19. Habemus equidem alia: quibus idem sanciatur; sed quia ignarorũ plena sunt omnia, nolumus illis negotium facessere, intelligendo; nolumus isti nobis faciant, non intelligendo. *Scal. exer.61.c.1.*

20. Dicemus tribus: Caussarum genera a Dialectico non constituuntur, sed a primo Philosopho constituta accipiuntur, & in Dialecticis sup-

ſupponuntur. *Fonſeca 1. metaph. cap. 7. quæſt. 1. ſect. 3.*

21. Quin dicemus acriuſcule: nullus Rameæ inuentionis logicæ locus vere & per eſſentiam logicus eſt. *Ratio ex Zab. lib. 2. de nat. log. cap. 3.*

22. De cauſſis nihilo ſecius tamen nobis in logicis, vti & de compluribus aliis diſſerendum, quia nimis quam pauci ſunt, qui in diuinæ illius ſcientiæ ob rerum difficultatem ſacroſancta ingrediuntur adyta. *vide Scaliger. exerc. 289.*

23. Harum tractatio tantis a Philoſopho euehiatur laudibus, vt ex earũ ignoratione & effectorũ notitia Philoſophiam initium duxiſſe primitus pronuntiet. *1. Metaph. cap. 2.*

24. Et tum demum nos ſcire rem putet, cum eam ex cauſſarum fontibus intellectam habem*. *1. poſt. cap. 2.*

25. Cauſſa igitur eſt, cuius vi effectus eſt. *Goclen. lib. 1. Inſtit. log.*

26. Per vim non accidens cauſſæ intelligatur, ſed ipſius cauſſæ eſſentia. *Confer. Scaliger. exer. 307. ſect. 16.*

27. Sic ſubſtantia dicitur potentia efficiendi accidentia, *vt eſt in 7. diuinæ Philoſoph. cont. 32.*

28. Si namque accidens, omnis cauſſa efficeret per accidens ceu medium & inſtrumentum, *quod eſt contra Philoſophum 1. poſt. c. 2. & 12.*

29. Principia enim ſtatuit ea demonſtrationis, & cauſſas, quas inter & effectum nihil penitus interçedat. *Scal. ex. 1. ſect. 1.*

30. Quod ſi mordicus teneas eamqſe vim eſſe accidens, mordicus etiam concedas quod-

dam accidens esse a se & non dependere. *Ex Philos.1.de generat. cap.1.*
31. At omne accidens dependet, at omne in primordiis & incunabulis substantiæ situm. *Scalig.exerc.307.sect.23.*
32. Ideo quicquid id habet, a substantia habet, a se autem nihil. *Scalig.ibid.*
33. Cum vi caussæ sit effectus, necesse est omnẽ caussam natura saltem esse effectu priorem. *Arist.2.post.cap.16.*
34. Ideoq; omnis caussa effectu suo nobilior & præstantior. *Colleg. Conimbricens.lib.2.physic.c.7.q.5.artic.1.*
35. Quicquid enim confert esse, nobilius est, quam id, quod accipit. *Thom.4.d.1.quæstio.1.art.1.*
36. Atqui omnis caussa confert esse. *Ex thes.25.*
37. Principia enim non accipiunt, sed dant aliis. *Scalig.ex.12.sect.2.*
38. Atqui omnis caussa sua quæq; ratione principium est. *Arist.4. Metaph. cap.1.*
39. Et cuiusq; caussæ conditio est, vt sit aliquid primum. *Arist.ibid.*
40. Quod autem primum in vnoquoq; genere, est caussa reliquorum. *Arist.10.Metaph.cont.7.*
41. Quomodo primum efficiens, est caussa omnium efficientium, & vltimus finis principalis omnium finium. *Vide Fonsec.lib.1. Metaph.c.7.q.1. sect.3.*
42. Ideoq; in caussis nullis datur progressio in infinitum. *Ex Arist.dict.lib.1. de gener. cap.1.*
43. Et vt sit quiddam simplex, effectus autem quiddam compositum. *Zab.l.2.de propos.necess.c.5*

44. Qui

44. Qui cum sit caussa posterior, nihil sui ipsius caussa esse poterit. *Arist.lib. de mot. animæ c.4.*

45. Esset namq; aliquid se ipso prius & posterius, quod absurdum. *Arist.ibid.*

46. Ideoq; nulla caussa prædicatur de effectu in casu recto, *Zabar.lib.de med.demonstr.c.9.*

47. Esset quippe sic caussa genus, & effectus species; quod non est. *Scal.ex.28. &c.*

48. Opposita sunt: nihil autem oppositum alicui, quod per essentiam non sit oppositum. *Scal. exerc.12.sect.4.*

49. Caussa eadem, in quantum est eadem, non producit nisi idem. *Ex Arist.2.de gener. c.10. t.18.*

50. Secus nihil absurdi, idem esse caussam contrariorum. *Fonsec.5. Metaph. cap.2. quæst.17.*

51. Caussa caussæ est etiam caussa caussati. *Arist.libell.de causs.*

52. Quod quo sensu sit accipiendum, *videris Gocl.lib.1.Instit.log. ad h.l.*

53. Ideoq; cessante & sublata caussa, cessat etiam & tollitur effectus. *Plato in Lysid. Confer. Gocl. part.1.probl.log.q.17.*

54. Omnis caussa vel potestate est, vel actu. *Arist.2.Physic.c.3.*

55. Ideoq; in omnibus caussarum generibus, datur potentia & actus. *Fonsec. d.5. Metaph.c. 2.q. 12.sect.3.*

56. Caussæ potentia producunt effectum potentia, & caussæ actu effectum actu. *Ex Aristot.2. Physic.cont.38.*

57. Ideoq; nihil caussat actu, nisi ipsum sit actu. *Fonsec.5. Metaph.cap.2.q.10. sect.3.*

23. Aiunt esse diuisionem a mentis nostræ potioribus & pensionibus desumtam officiis. *Tempell. lib. 2. sua logic. c. 2.*
24. At fallaciam caussæ esse, ab officiis mentis concludere ad partes Logicæ essentiales, inquit Albertus Grawerus *disput. 1. polem. thes. 55.*
25. Dicemus nos, non fallaciam tantum, sed & graphicum seri mendacium, si quis ἐν τῇ γραφῇ & imagine afferat & depingat quicquam, cuius in corpore viuo depingendo ne tenuissimum quidem apparet vestigiolum.
26. Et logicam artificiosam mentis nostræ facultates depingere, supra fallaciam est omnem. *Confer. thes. 18. & seqq. disp. 1.*
27. Quod vnum Ramum & Rameos Interpretes a veritate, parum sollicitos veritatis, in vasta errorum auexit præcipitia. *Confer. Zab. lib. 2. de nat. log. c. 2.*
28. Sic vsuuenit, vt ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, vno absurdo dato, alia & quidem infinita sequantur. *Arist. 1. acroas. con. 10.*
29. At ea, quæ scribuntur, tria deposcunt, vtilitatem præsentem, certum finem, & inexpugnabile fundamentum. *Cardan. lib. subtil. 15.*
30. Nec est, quod Aristotelis auctoritatem subsidio sibi venire Ramei autument, præcipue euocatam. *Ex. 8. Top. c. 1.*
31. Quo loci (ait Ramus) nominatim diuisionem Logicæ in Inuentionem & Dispositionem instituit & confirmat Aristoteles, vt, qui partitur Logicam in Inuentionem & Dispositionem, auctore Aristotele partiatur. *lib. 2. Schol. Dial. c. 8.*

32. At

32. At enim (inquam) eo loci Philosophus logicam in Inuentionem & Dispositionem non partitur, sed officia τὰ ἔργα τοῦ ἀποκρινομένου, καὶ ἐρωτῶντος describit, *lege lib. eiusd. c. 3.*

33. Posteaquam enim Philosophus prægressis septem libris locos argumentandi, & nonnulla alia recensuit, in octauo duos aduersarios, interrogantem scilicet & respondentem, quasi in arenam producit de proposita aliqua quæstione decertaturos. *vide Flac. lib. 1. Dialect. cap. 2.*

34. Quæ omnia ideo disputata volo, non quod diuisionem illam Rameam prorsus improbem; sed quod Rami ista fundamenta solida esse negem.

35. Ad organum autem Aristotelis nulla est accommodatior, quam in communem & propriũ. *Auerr. libris post. anal. præfat.*

36. Pars communis tribus libris, Categoriarum, de interpretatione, & priorum analyticorum absoluitur. *Zabarell. libr. 2. de natur. logic. cap. 1.*

37. Pars autem propria continet posteriores analyticos, libros Topicos & Sophisticos. *Zabar. ibid.*

38. Vbi dissentit Flacius, quocum consentimus nos, qui sophisticos libros ad logicam generalem, non tamen vt partem, reuocat. *lib. 1. logic. general. cap. 8.*

39. Illa communis, hæc propria dicitur; quoniam illa non respicit definitam materiam, hæc autem respicit. *Auerr. d. loco.*

40. Et illa anteponenda huic; quia, quæ magis

communia ſunt,iis in diſciplina debetur præceſſio. *Ariſt.1.phyſ.cap.1.*

41. Categoriæ præcedunt librum de interpretatione, quia omne reale prius intentionali. *Ex Ariſt.2.poſt.cap.16.*

42. At in Categoriis realia ſunt,libro de interpretatione intentionalia. *Confer. Iauellum 5.metaph.quæſt.16.*

43. Itaque hic dubitatio non leuis; an Categoriæ quoad res ſubiectas logicæ ſint contemplationis,id quod negauimus. *th.17.diſp.2.*

44. Logicus enim, qua talis, reale conſiderat nullum. *Iauell.4.metaph.q.1.& 6.q.13.*

45. Interpretationis liber deinde antecedit priora analytica; quia ille horum quaſi elementaris eſt. *vide Zab.d lib.2.de natur.logic.c.3.*

46. At τὸ ἁπλοῦν τῶν συνθέτων τῇ φύσει πρότερον, ſimplex natura prius compoſitis. *Ariſtotel. 2.de cœl.text.22.*

47. Priora autem analytica poſteriora ob rationem inſertam, *th.41.diſp.h.*

48. Poſteriora porro reliquos ob præſtantiam, dignitatem & nobilitatem. *Zab. d.lib. 2. de natur. log.cap.12.vbi diſſent.*

49. Sed prolixum perſequi hæc Ariſtotelica κατ' ἀξίαν; ideo compendiaria via diſpicienda fuerunt.

50. Logicam diximus eſſe inſtrumentorum & quidem κατ' ἐξοχὴν acceptorum artem. *diſput. 2. theſ.49.*

51. Et inſtrumentum illud vel ad inueniendum

dum *ἀμέσως*, vel ad disponendum conducere *ex th.66.d.disp.2.*

52. Instrumentum inueniendi vel thema est, vel argumentum.

53. Vtrumque omnis entis est. *Ram. libr.4. Schol. Dialect.c.5.*

54. Thema est instrumentum inueniendi, quod ab argumento arguitur. *Confer. Beurh. in proœm.pædag. log.part.3.*

55. Sæpe enim difficilimum est, verum thema inuenire & ponere.

56. Thema non tantum natura, sed & tempore prius est argumento. *Ex Scalig.ex.307.sect.22.*

57. Estq; vel Simplex, vel Complexum. *Confer. Arist.2 post.c.1.*

58. Simplex est, quod nuda expositione contentum est. *Beurh.d loc.*

59. Complexum est, ad quod demonstratione opus. *Vide Beurh.d.l.*

60. Argumentum est instrumentum inueniendi, quod thema arguit. *Confer Zabar. lib.1.de nat.log.c.10.*

61. Non itaque genere destituitur, quod genus habet *contra Ram.lib.1.Dial.cap.23.*

62. Illudque arguere non de actu intelligatur, sed de potentia. *Gocl.part.4.probl.log.quæst.6.*

63. Arguit enim actu in dispositionem iam illigatum. *Goclen.ibid.*

64. Itaque alia est caussa actus, alia potentiæ. *Zab.lib.de gen.& int.c.11.*

65. Omne argumentum est notio simplex. *Gocl.d.part.4.q.6.*

66. Et quidem secunda: esse enim non nisi in mente obiectiue & a mente habet. *Goclen. in metaph. pag. 14.*

67. At caussa & effectum, subiectum & adiunctum, diuersa & opposita, & similia, realia sunt. *Cornel. Martini disp. 1. aduers. Ram.*

68. At nullum ens rationis est de ratione & essentia entis realis. *Iauell. 5. metaph. q. 16.*

69. Ideoque concipi possunt & intelligi realia sine ente rationis. *Ex th. praeced.*

70. At ἀδιώατον, aliquid concipi sine iis, quæ ingrediuntur formalem rei conceptum, *Paul. Soncin. 7. metaph. q. 1.*

71. Atque hæc iam pro re nata de præsenti negotio dicta sufficiant breuiuscule forsan & leuiuscule: at pluris est æstimanda perspicua ac breuis de rebus nobilissimis & vtilissimis, quam intricata & prolixa de rebus ignobilioribus & nullius pensi, tractatio. *Aristot. 1. de partib. animal. cap. vlt.*

72. Quæ si quorundam palatis non belle sapiunt, quærant ii sibi cocum alium, & condimenta alia: nec in re difficili, aut difficultatem præ se ferente, quando nodum quidem soluere nesciunt, iocorum acie eum scindant. *Ex Scal. ex. 173. sect. 1.*

Dispu-

Disputatio IIII.
DE CAVSSIS.

Michaele Weyßmann/ *Aurbacensi, Respondente.*

1. IN prægressa dictum disputatione; omne argumentum esse notionem simplicem, & quidem secundam. *th.64. & 65.*

2. Iccirco pronuntiata communia, quas Maximas alii vocitant, non esse nobis argumenta; sed ex argumentis. *Confer. Fonsec. lib.7. Instit. Dialect. cap.9.*

3. Easq;, licet non omnes, sub argumentis tanquam stellas illustriores transcurrere seriatim. *ex disp.2. th.71.*

4. Argumentum omne, sicut & maxima, vel necessarium est vel probabile. *Confer. Zab. lib. de accret. & nutrit. cap.5.*

5. Necessariũ est, quod cum themate vel necessario iungitur, vel ab eodem disiungitur necessario. *Confer eundem lib.1. post cap.4.*

6. Vt enim res natura coniunxit vel seiunxit in rebus, ita eas & nos coniungimus vel seiungimus per artem in propositione. *Scalig. lib.7. de causs. latin. ling. cap.142.*

7. Maxima autem necessaria est, vnde necessaria exstruitur conclusio. *vide Fonsecam lib.6. Instit. Dialect. cap.4.*

8. Quid iam sit argumentum probabile & maxima probabilis, ex oppositis cernere est ꝓcliue. *Ex Philosoph.2. de generat. cap.10.*

9. Sumitur & illud & hæc primo a caussis vel effectis.

10. Caussæ sicut principia sunt; ita de iis omnium primum de methodi statutis agendum. *Ex Arist.1.phys.c.1.*

11. Quanquam de his agere, prout caussæ sunt, proprium Philosophi primi munus est. *Fonsec.3. Metaph.cap.2.*

12. Ad quam enim disciplinam ens pertinet, ad eandem & entis primæ differentiæ. *Zab.lib. 2. post.adcont.48.*

13. Atqui ad primam philosophiam pertinet ens. *Arist.4.Metaphys.c.1.*

14. Ergo & entis differentiæ, per quas ipsum primo diuiditur. *Ex th.12.*

15. Adde, quod vere logicum non nisi in mente est, & a mente. *Zab.lib.1.de nat.log.ca.3.*

16. Ideoq; non nisi accidens eiusmodi omne & singulum. *Ex Ram.l.6.schol.Metap.cap.3.*

17. Intellectus enim meus vel tuus, vel illius substantiam condit nullam. *Scal.ex.307.sect.22.*

18. At absurditatis plenissimum: caussam nil esse præterquam accidens, & nusquam præterquã in mente. *Confir.Philosoph.2.Phys.cont.4.*

19. Habemus equidem alia: quibus idem sanciatur; sed quia ignarorũ plena sunt omnia, nolumus illis negotium facessere, intelligendo; nolumus isti nobis faciant, non intelligendo. *Scal. exer.61.c.1.*

20. Dicemus tribus: Caussarum genera a Dialectico non constituuntur, sed a primo Philosopho constituta accipiuntur, & in Dialecticis sup-

ſupponuntur. *Fonſeca 1. metaph. cap. 7. quæſt. 1. ſect. 3.*

21. Quin dicemus acriuſcule: nullus Rameæ inuentionis logicæ locus vere & per eſſentiam logicus eſt. *Ratio ex Zab. lib. 2. de nat. log. cap. 3.*

22. De cauſſis nihilo ſecius tamen nobis in logicis, vti & de compluribus aliis diſſerendum, quia nimis quam pauci ſunt, qui in diuinæ illius ſcientiæ ob rerum difficultatem ſacroſancta ingrediuntur adyta. *vide Scaliger. exerc. 289.*

23. Harum tractatio tantis a Philoſopho euehiatur laudibus, vt ex earũ ignoratione & effectorũ notitia Philoſophiam initium duxiſſe primitus pronuntiet. *1. Metaph. cap. 2.*

24. Et tum demum nos ſcire rem putet, cum eam ex cauſſarum fontibus intellectam habem'. *1. poſt. cap. 2.*

25. Cauſſa igitur eſt, cuius vi effectus eſt. *Goclen. lib. 1. Inſtit. log.*

26. Per vim non accidens cauſſæ intelligatur, ſed ipſius cauſſæ eſſentia. *Confer. Scaliger. exer. 307. ſect. 16.*

27. Sic ſubſtantia dicitur potentia efficiendi accidentia, *vt eſt in 7. diuinæ Philoſoph. cont. 32.*

28. Si namque accidens, omnis cauſſa efficeret per accidens ceu medium & inſtrumentum, *quod eſt contra Philoſophum 1. poſt. c. 2. & 12.*

29. Principia enim ſtatuit ea demonſtrationis, & cauſſas, quas inter & effectum nihil penitus intercedat. *Scal. ex. 1. ſect. 1.*

30. Quod ſi mordicus teneas eampſe vim eſſe accidens, mordicus etiam concedas quod-

dam accidens esse a se & non dependere. *Ex Philos. 1. de generat. cap. 1.*
31. At omne accidens dependet, at omne in primordiis & incunabulis substantiæ situm. *Scalig. exerc. 307. sect. 23.*
32. Ideo quicquid id habet, a substantia habet, a se autem nihil. *Scalig. ibid.*
33. Cum vi caussæ sit effectus, necesse est omnẽ caussam natura saltem esse effectu priorem. *Arist. 2. post. cap. 16.*
34. Ideoq; omnis caussa effectu suo nobilior & præstantior. *Colleg. Conimbricens. lib. 2. physic. c. 7. q. 5. artic. 1.*
35. Quicquid enim confert esse, nobilius est, quam id, quod accipit. *Thom. 4. d. 1. quæstio. 1. art. 1.*
36. Atqui omnis caussa confert esse. *Ex thes. 25.*
37. Principia enim non accipiunt, sed dant aliis. *Scalig. ex. 12. sect. 2.*
38. Atqui omnis caussa sua quæq; ratione principium est. *Arist. 4. Metaph. cap. 1.*
39. Et cuiusq; caussæ conditio est, vt sit aliquid primum. *Arist. ibid.*
40. Quod autem primum in vnoquoq; genere, est caussa reliquorum. *Arist. 10. Metaph. cont. 7.*
41. Quomodo primum efficiens, est caussa omnium efficientium, & vltimus finis principalis omnium finium. *Vide Fonsec. lib. 1. Metaph. c. 7. q. 1. sect. 3.*
42. Ideoq; in caussis nullis datur progressio in infinitum. *Ex Arist. dict. lib. 1. de gener. cap. 1.*
43. Et vt sit quiddam simplex, effectus autem quiddam compositum. *Zab. l. 2. de propos. necess. c. 5*

44. Qui

44. Qui cum sit caussa posterior, nihil sui ipsius caussa esse poterit. *Arist.lib. de mot. anima c.4.*

45. Esset namq; aliquid se ipso prius & posterius, quod absurdum. *Arist.ibid.*

46. Ideoq; nulla caussa prædicatur de effectu in casu recto, *Zabar.lib.de med.demonstr.c.9.*

47. Esset quippe sic caussa genus, & effectus species; quod non est. *Scal.ex.28. &c.*

48. Opposita sunt: nihil autem oppositum alicui, quod per essentiam non sit oppositum. *Scal. exerc.12.sect.4.*

49. Caussa eadem, in quantum est eadem, non producit nisi idem. *Ex Arist.2.de gener. c.10. t.18.*

50. Secus nihil absurdi, idem esse caussam contrariorum. *Fonsec.5. Metaph. cap.2. quæst.17.*

51. Caussa caussæ est etiam caussa caussati. *Arist.libell.de causs.*

52. Quod quo sensu sit accipiendum, *videris Gocl.lib.1.Instit.log. ad h.l.*

53. Ideoq; cessante & sublata caussa, cessat etiam & tollitur effectus. *Plato in Lysid. Confer. Gocl. part.1.probl.log.q.17.*

54. Omnis caussa vel potestate est, vel actu. *Arist.2.Physic.c.3.*

55. Ideoq; in omnibus caussarum generibus, datur potentia & actus. *Fonsec. d.5. Metaph.c. 2.q. 12.sect.3.*

56. Caussæ potentia producunt effectum potentia, & caussæ actu effectum actu. *Ex Aristot.2. Physic.cont.38.*

57. Ideoq; nihil caussat actu, nisi ipsum sit actu. *Fonsec.5. Metaph.cap.2.q.10. sect.3.*

58. Altera tamen est caussa potentiæ, altera actus. *Zab.lib.de med.demonst.c.7.lib.2.de propos. necess c.17.lib.de gen.& interit.c.11.*
59. Dico altera, non alia, quandoquidem inter ista accurate distinguentibus distinctio quã longissima. *Vide Scal.exer.307.sect.35. &c.*
60. Itaq; caussa limitata effectũ producit limitatum. *Vide Coras.in miscell.iur.ciu.pag. 268.*
61. Hinc vulgo vulgatius: Qualis caussa, talis effectus. *Goclen.part.1.probl. log.q. 18.*
62. Non tamen necessum, vt quæ in caussam cadunt, etiam cadant in effectum. *Goclen in criticis pag.29.*
63. Omnis caussa vel propinqua est, vel remota. *Arist.2.phys.c.2.*
64. Posita caussa proxima, necessario ponitur effectus, & sublata illa, tollitur iste necessario. *Zab lib.1.de med.demonstrat. c. 12.*
65. Ideo ista caussa effectui adæquata dicitur. *Zab.lib. de specieb. demonstrat. c.21.*
66. Hæc cuiusque rei non nisi vna est, quæ quæstioni propterquid satisfacit. *Arist.2.post.ord.calc.*
67. At remota omnis, quatenus est remota, effectu est amplior. *Arist.2.post.cont.99.*
68. Ideo non est adæquata effectui, & quia non adæquata, ideo caussa per accidẽs. *Zab.2.post.c.14*
69. Interim tamen nulla caussa remota est, quin habeat aliquem effectum, cuius sit caussa proxima. *Zab.lib.de specieb.demonst.cap.7.*
70. Omnis demum caussa vel vniuersalis est, vel particularis. *Gocl.lib.1. Instit.log.*
71. Rerum particularium sunt caussæ particulares,

ticulares, vniuersalium vniuersales. *Arist.2.phys. cont.38.*
72. Hactenus de caussa in genere, iam ad species per diuisionem eundum est.
73. Caussæ itaque vel internæ sunt, vel externæ. *Piccol.lib.de Plac.philosoph.vet.c.1.*
74. Internæ sunt, quæ sese in essentiam rei penetrant. *Auicenn.5.Metaph. cap.4.*
75. Ideoque ex iis immediate coniunctis consit vnum per se. *Ex 8. metaph. Arist. text.26.& 15.*
76. Itaque coniunctim ad essentiam compositi alicuius pertinent. *Dissentit Auerr. 7. Metaphys. commen.21.& 34.*
77. Quare nec ad stomachum illud Zabarellæ: materia, inquit, in substantiis non est pars essentiæ, seu quidditatis. *lib.de conuers.demonst.indefinit. c.4.& lib.de const.indiuid.cap.7.*
78. Hæ quia introeunt in rei essentiam, & rem intime constituunt, ideo & essentiales & constituentes appellantur. *vide Gocl.lib.1. Instit. logic. ad h.loc.*
79. Quicquid ex his constitutum est, ei caussa finalis & efficiens competit. *Colleg. Conimbr. lib.2. physic.c.7.q.9.artic. 2.*
80. Deus excipitur vnus, qui efficiens omnium & finis, ipsius autem efficiens nulla, finis nullus. *Confer. Scalig. ex.254.*
81. Deus, inquam, est caussa sine caussa (intellige efficiente) ens sine ente, mera namque essentia est. *Id.exer.359.sect. 2.*
82. Et omnis finis id, cuius est finis, perficit. *Id. exerc.307.s.39.*

83. At Deus perfectionis nullius indiget. *Id. ex. 140.*

84. Caussa interna vel forma est, vel materia, *Gocl.part.1.probl.log. quæst.16.*

85. Forma omnium caussarum prima, quia reliquæ sine forma nil sunt, nil agunt. *Ex.6. Topic. Arist.cap. 6.*

86. Omne enim quod est, per essentiam est id, quod est. *Ex Zab.lib. 2.post.ad cont.5.*

87. Etiam materia prima essentiam propriam obtinet, per quam materia est, & forma non est. *Scal.ex.17.*

88. Itaq; forma materia præstantior & nobilior. *Ex Arist.1.Physic.c.9. tex. 81.*

89. Actus quippe nobilior potentia. *Arist.9. Metaph. c.10. contex. 19.*

90. At materia potentia; forma actus. *Arist lib. 2.de anim.cap.1. cont. 2.*

91. Hæc in rebus naturalibus tam arcto inter se deuinciuntur vinculo, vt altera sine altera esse nequeat. *Scal. ex.5.sect.1.*

92. Iccirco materia formam, & hæc viciſſim illam non inepte appetere dicitur. *Aristot.1. acroas.cap.9.text.81.& Piccol.lib.2.de prim.rer.mat. cap.11.*

93. Qui appetitus nihil aliud atq; quædam inclinatio, quæ ab ipsis essentiis haud distincta est. *Thom.1.p. quæst. 59.artic.2.*

94. Quem appetitum, cur subtilitatum magister, Scaliger ille, tot argumentorum telis petat, nullus dum video. *Exerc.61.sect.1. Adde Auicen. 1.suff. cap. 2.*

95. Ic-

95. Iccirco & ſibi inuicem cauſſæ ſunt, in alio tamen id genere cauſſæ. *Ariſt. 5. Metaphyſ. c. 2. tex. 2. & 1. Phyſic. c. 3. tex. 30.*

96. Nam forma non accipit ſuum eſſe a materia, nec materia a forma. *Them. 5. Metaph. cap. 2.*

97. Sed ambo promiſcuam tradunt operam ad conſtituendum compoſitum. *Zab. lib. 2. de propoſ. neceſſ. c. 4.*

98. Iccirco compoſitum fieri aut generari dicitur, materia autem & forma non item, *Ariſt. 1. Phyſ. & 7. Metaphyſ.*

99. Omne enim quod gignitur, ex materia gignitur, & quod interit, in materiam reſoluitur. *Ariſt. 1. Phyſ. cont. 82.*

100. Quare ſi materia oriretur & interiret, oriretur ex ipſa materia, & in materiam abiret, quod abſurdum. *Ariſt. ibi.*

101. Hinc & formas rerum naturalium ſine generatione naſci, & ſine corruptione corrumpi, à Philoſopho aſſertum eſt. *8. Metaphyſ. c. 7. & 6. Metaph. c. 3.*

102. Forma autem eſt cauſſa per quam res eſt id, quod eſt. *Ex 2. Phyſ. c. 3.*

103. Ideoq; ea poſita rem poni neceſſe eſt, & ea ſublata rem tolli. *Ex ib. prior.*

104. Ideoque cuiuſq; rei propria eſt, eiq; quodammodo æqualis. *Ex Zab. 2. poſt. ad cont. 70.*

105. Et vnius rei non niſi vna. *Ex Scalig. ex. 268.*

106. Sub pluribus enim formis plura entia. *Idem ex. 16. ſect. 3.*

107. Ideoq; nihil eſt per formam alterius, ſed quicquid eſt, per ſuam eſt, *Idem ex. 307. ſ. 14.*

108. Duo n. alias essent vnum, quod ne fando quidem accepit quisquam. *Scal. d. loco.*

109. Hæc ita comparata est, vt neutiquam suscipiat magis & minus. *Arist. 8. Metaphys. cont. 10.*

110. Qui eam maiorem minoremve dixerit, is abutetur patientia sapientum. *Scal. ex. 103. sect. 15.*

111. Ab hac propria cuiusq; differentia petitur. *Arist. 8. Metaph. tex. 4.*

112. Ideo actus ἐν ἄλλοις χωρίζει, in aliis distinguit & separat *Arist. 7. Metaph. c. 13.*

113. Ideo omnis distinctio & determinatio à forma proficisci dicitur. *Zab. lib. de constit. indiuid. cap. 4.*

114. Sicut autem forma non suscipit magis ac minus; ita nec vera differentia. *Arist. 6. Top. c. 6.*

115. Et sicut forma rei annexa non est, ita nec vera differentia. *Ex Scal. ex. 75. sect. 4.*

116. Huius vera caussalitas consistit in constituendo rem, & in certo gradu & entis specie ipsam collocando. *Confir Iauell. lib. 5. Metaphys. quæst. 3.*

117. Non igitur applaudimus iis, qui duplicem eius caussalitatem efficiunt, vnam respectu materiæ, quam perficiat & excolat; alteram vero respectu compositi, quod constituat. *vide Colleg. Conimb. lib. 2. Phys. cap. 7. quæst. 9. art. 1.*

118. Forma enim respectu materiæ forma non est, sed accidens. *Alex. lib. 2. quæst. nat. c. 7. Goclen. part. 1. probl. logic. quæst. 43.*

119. Ideo extra eius essentiam, & ideo externum quiddam. *Confir Zabar. lib. 1. de propos. necess. cap. 10.*

120. At

120. At omnis forma, qua talis, interna caussa est. *ex th. 74.*

121. Hactenus de forma, sequitur materia, quam a forma secundam dicimus & statuimus.

122. Non n. entis cuiusq; materia est, sed nullum est sine forma. *Confer Scal. ex. 359. s. 12.*

123. Est igitur forma communior & amplior, materia autem minus communis & minus ampla *ex thes. praeced.*

124. At a communioribus incipiendum. *Arist. 1. phys. c. 1.*

125. Materia autem est caussa interna, ex qua res est. *Arist. 7. Metaph. cap. 7.*

126. Eaque per se indifferens est. *Scalig. exerc. 61. sect. 5.*

127. Itaque differentiae alicuius caussa esse nequit. *Zab. lib. 2. de 1. rer. mat. cap. 8. & lib. de constit. indiuid. cap. 4.*

128. Itaque diuersa nulla, nisi ob diuersitatem formae. *Scal. ex. 6. s. 12.*

129. Hinc in primo de anima scriptum: cerui membra a leonis membris non differre, nisi quia formae differunt. *context. 53.*

130. Itaque sicut rerum differentiae a formis hauriuntur, sic earundem conuenientiae & genera à materia. *Fonsec. 5. Met. c. 8 q. 9. s. 3.*

131. Sumitur enim genus ex ente imperfectiori, forma ex perfectiori. *Fons. ibid.*

132. Itaque sicut materia per formam, sic & genus per differentias restringitur & contrahitur. *Id. lib. 4. Metaph. c. 2. quaest. 1. sect. 4.*

133. Materia, sicut & forma, propriam ha-

bet exſiſtentiam. *Contra Auicenn.in Metaph.tractat.2. cap.3. & 4.*
134. Quicquid enim recipit aliquid,id ipſum exſiſtere neceſſe eſt,etiam ante receptionem. *Colleg.Conimb. lib.1.Phyſ.cap.9.q.6. artic.2.*
135. Exſiſtentia cuiuſq; rei non diſtinguitur ab eſſentia,niſi vt modus rei a re. *Perer.6.Phyſ.c.15.*
136. Ergo vt vnumquodque eſſentiam ab alio diſtinctam habet, ita & diſtinctam exſiſtentiam. *Colleg.Conimbricenſ.d. loco.*
137. Itaq; ſi exſiſtentia materiæ eſſet a forma materia corrumperetur,forma abiecta. *Ex th.135.*
138. Sicut aũt materia ens debile eſt & infirmũ, ſic & eius exſiſtentia. *Ex Scalig.exer.99.ſect.1.*
139. Modus n.exſiſtentiæ ſequitur modũ eſſentiæ. *Perer.lib.6.de communibus rer.princip.cap.13.*
140. Cauſſalitas materiæ ſolum conſiſtit in cõſtituendo rem imperfecte & incoate. *Colleg. Conimb d.lib.2.Phyſ.c.7.q.7. artic.1.*
141. Nullum enim ens in poteſtate conſtituit ens actu. *Fonſec.5. Metaph.cap.12.*
142. Effectus enim ſua cauſſa præſtantior eſſe nequit. *Ex.th.34.*
143. Qualis quippe materia, tale materiatum. *Ex Scalig.exerc.359.ſect.2.*
144. Quamuis cum materiato,ſeu principiato, in eodem ſit genere. *Ex Zab. lib.2. de natur. logic. cap.3.*
145. Itaque poſita materia,materiatum eſſe poteſt. *Ex theſ. 141.*
146. Reſpectu igitur formæ materia per ſe cauſ-
ſalita-

ſalitatem poſſidet nullam. *Avicen. 6. Metaph. tractat. 2. cap. 4.*

147. Hactenus de cauſſis internis, at externas iam nos demus.

148. Externæ cauſſæ ſunt, quæ ſeſe in eſſentiam rei haud inferunt. *Ex th. 74.*

149. Omnis enim efficiens eſt extra rem neceſſario. *Scalig. exerc. 6. ſect. 1.*

150. Et nullus finis ingreditur (vt ita loquar) eſſendi rationem. *Scaliger exerc. 307. ſect. 27.*

151. Eſt igitur cauſſa externa, vel efficiens, vel finis. *Goclen. part. 1. problem. logic. quæſt. 16.*

152. Exemplaris igitur ſeu idea, iuxta quam fit aliquid, cum ſit externa, vel ad efficientem pertinebit, vel ad finem. *ex theſ. 54. & 148.*

153. Qui namque eam quintum cauſſæ genus ſtatuunt, perinde faciunt, ac ſi quis quintam currui rotam addere laboret. *Goclen. dict. part. 1. probl. quæſt.* 14.

154. Non ad finem. Nullus enim artifex facit per finem, ſed ideam. *vide Piccolom. grad. 5. Philoſoph. moral. cap. 51. Et Valleſium in controuerſ. Phyſic. quæſt. 13.*

155. Ad cauſſam efficientẽ igitur. *Diſſentit Collegium Conimbricenſ. d. lib. 2. phyſ. c. 7. quæſt. 4. art.* 1.

156. Efficiens eſt cauſſa externa, a qua res eſt. *vide Piccol. lib. 2. Phyſic. pag. 289.*

157. Cum autem res, quæ ab efficiente emergit, vel actio ſit, vel opus, vera eius cauſſandi ratio non in actione ſola, neque in opere ſolo, ſed in vtroque ponenda eſt. *Diſſ. Iauell. 5. metaph. quæſt. 4.*

158. Nec omnis efficiens per actionem proxime & intrinsece attingit effectum. *Cont. Thom. 5. metaph. cap. 2. text. 2.*
159. Sunt namque vel myriades effectorum, quæ actionem haud exeunt, sed in ipsa desinunt. *vide Piccol. grad. 5. philos. moral. c. 52.*
160. Omnis efficiens primo aut per se efficit, aut per accidens. *Gocl. part. 1. probl. log. quæst. 24.*
161. Per se efficit, quæ sua facultate efficit. *ibid.*
162. Ideoque omnis efficiens per se, præstantior est efficiente per accidens. *Colleg. Conimbic. 2. phys. cap. 6. quæst 1. artic. 1.*
163. Per accidens efficit, quæ aliena facultate efficit. *ex thes 161.*
164. Omnis igitur caussa per accidens reducitur ad efficientem aliquam per se. *Francisc. Valles. lib. de sacra philosoph. cap. 2. Zabar. lib. de facult. anim. cap. 8.*
165. Secundo efficiens aut procreans est, aut conseruans. *Piccol. d. lib. 2. phys. pag. 288.*
166. Procreans est quæ rem producit. *Confer Gocl. lib. 1. instit. logic.*
167. Conseruans est, quæ rem productam tuetur. *vide Gocl. ibid.*
168. Illam tuitionem non nisi efficientis propriam esse dicimus. *Confer diss. Fons. lib. 5. metaph. cap. 2. quæst. 3. sect. 2.*
169. Tertio efficiens vel principalis est, vel instrumentalis & administra. *Zabar. lib. de part. animæ cap. 8.*
170. Omne agens principale est præstantius instrumentali. *Arist. 8. phys.*

171. Hæ

171. Hæ ſunt efficientis diuiſiones illuſtriores, alias infinitæ.

172. Finis eſt cauſſa externa cuius gratia res eſt. *Ariſt. 2. Phyſ. text. 29.*

173. Is debet eſſe 1. quid vltimum. 2. quid optimum. *Ariſt. 5. Metaph. tex. 21.*

174. Veram hic cauſſandi rationem in finiendo, perficiendo & abſoluendo locandam eſſe ducimus. *Contra Perer. lib. 8. Ph. cap. 2. & c.*

175. Ex harum quatuor cauſſarum coitione effectum perfectum exſiſtit. *Ariſt. 3. Phyſ. text. 64.*

176. Quod quia ex cauſſis intelligi poteſt, ideo mittimus.

177. Argumentum igitur ex cauſſis vel effectis petitur, quando id, quod arguit, cauſſa vel effectum eſt.

Diſputatio V.

DE SVBIECTO ET ADIVNCTO.

Achatio Reſch VValderbacenſi Palatino Reſpondente.

1. NATVRA nihil fruſtra molitur, ſed quicquid ipſa facit, compendio facit. *Ariſt. 1. polit. cap. 2. & 2. de gen. animal. cap. 4.*

2. Sapientiſſimum enim quod eſt, nihil temere, nihil fruſtra, nihil ex ſuperfluo inſtituit. *Scal. ex. 61. ſect. 1.*

3. At natura quiddam ſapientiſſimum. *Idem exer. 77. ſect. 5.*

4. Hanc igitur, si quidem penes penum ingenii nostri, in arte sequamur: quia & ars ipsam sequitur. *Arist. 2. Physic. text. 86.*
5. Hinc artem naturæ simiam appellari apud Philosophos solenne est. *Colleg. Conimb. lib. 2. Physic. cap. 1. quæst. 5. artic. 1.*
6. Secundo igitur argumentum vel maximas ex subiectorum vel adiunctorum loco euocamus. *Iuxta Ram. lib. 1. Dialect. cap. 10. & 11.*
7. Estque hic locus priori, qui de caussis, posterior. 1. Quia subiectum & adiunctũ id, quod sunt, per caussas sunt. *Ex 85. & 86. aphorismis, disp. 3.*
8. Sine caussis igitur esse nequeunt. *Ex aphorism. 91. disp. 3.*
9. Et caussæ sunt ipsis priores. *Ex di. aph. 85.*
10. Quia omne effectum est prius subiecto natura saltem. *Confer. Scalig. exercit. 307. sect. 15.*
11. Sicut enim natura prius statuit ipsum ens, quod postea seipsum profert atque efficit quodammodo, vt sit Vnum, Bonum, Verum: sic natura prius statuit ipsum effectum, quod efficit postea, vt sit subiectum. *Scaliger. ibid.*
12. Esse enim simpliciter semper natura prius est, quam esse tale. *Scalig. lib. 9. de caussis lat. linguæ, cap. 160.*
13. Variæ subiecti sunt appellationes & acceptiones, quas recensere singulas non est operę. *Confer Zab. lib. 1. de natura log. cap. 15.*
14. Subiectum nobis hoc loci est, cui aliquid adiungitur. *Ram. dict. lib. 1. Dialect. cap. 10.*
15. Illud igitur est a subiecto aliquid aliud. *Ex aphorism. praeced.*

16. Ni-

16. Nihil enim iungitur sibiipsi. *Zab.lib.2.post. ad cont. 45.*

17. Et nihil sibiipsi subiicitur. *Confer.Fonsec. 4. metaph.c.2.q.4.s.2.*

18. Itaq; nullum subiectum est proprie de essentia sui adiuncti, nec vllum adiunctum de essentia subiecti. *Iacob.Schegk. lib. 2. post.pag.377.*

19. Et neutrum alterius essentiam constituere est aptum. *Confer.Zab.l.2.de prima rer.mat.c.17.*

20. In subiecto igitur & adiuncto etsi amica sese aperit cōspiratio, ea tamen tanta nō est, quanta in caussis & effectis. *Confer.disp.3.aphoris.33.*

21. Idcirco caussa & effectum absolute consentanea, subiectum autem & adiunctum quodammodo appellantur. *per aphoris.praeced.*

22. Absolute autem consentanea fiunt nonnunquam, quando alterum caussae alterum effectus rationem suscipit. *Ex aphoris.23.disp.3.*

23. Sic enim formalitates suas, hoc est, peculiares notiones amittunt, *vt Scalig. appellat.d. ex. 307.sect.15.*

24. Sic substantiam dixit Philosophus potentiam efficiendi accidentia. *7.Metaphys.cont.32.*

25. Sed & materiam, quae item substantia, dicit subiectum materialiū substantiarum, id est, formarum. *5.Phys.con.34.*

26. Quare nec secundum Philosophum absurdum, substantiam esse subiectū substantiae alius; & substantiam esse adiunctum substantiae alius. *Confer Gocl.part.1.probl.logic.q.43.*

27. Nec absurdum item, accidens esse subiectū alterius accidentis. *Zab.l.de trib.praecognit.c.3.*

28. Magnitudines & numeri simpliciter loquendo accidentia sunt,&in subiecto inhærent: in scientiis tamen Mathematicis tenent locum subiecti, quia affectionibus substant. *Zab.ibid.*

29. Quo nomine Philosophus eiuscemodi accidentia,aliis substrata,substantias vocauit.*1.post. cont.178.*

30. Quin nec absurdum, quod videatur absurdum, accidens esse nonnunquam subiectum substantiæ. *Ex Scal.ex.5.sect.2.*

31. Est enim locus accidens, sed subiectum, seu cauum, seu vacuum, in quo corpus est. *Scalig.ibid.*

32. Quem, qui Physicis exemtum logicis solis mancipant,in magnopericulo sunt,ne in nullo sint loco. *Dissen.Ram.l.3.Schol.Phys.cap. 1. &c.*

33. Impingam hanc solum rationem: vere logicum non nisi in mente. *Ex aphoris.15.disp.3.*

34. Locus ergo nisi in mente, & Ramei nusquam nisi in mente. Ἄτοπον.

35. Subiectum igitur, sicut & adiunctum,substantiam & accidens simul complectitur. *Ex aphoris.26.& seq.*

36. Subiecti officium est, siue substantia sit,siue accidens, vt aliis substet. *Zab.lib.1.post.c.7.*

37. Itaque destructo subiecto, imprimis vero substantia, adiuncta, imprimis vero accidentia, non possunt non destrui. *Beurh. pædag. log.part. 3.cap.9.*

38. Nullum enim accidens extra suum subiectum esse potest. *Scal.ex.6.s.4.*

39. Est enim accidentis prope essentia inhærentia

rentia in subiecto. *Confer Iauell. 7. Metaph. q. 1.*
40. At nihil sine suapte essentia esse potest. *Ex aphoris. 86. disp. 4.*
41. Non entis enim esset essentia, quod ἄτοπον. *Fonsec. 5. Metaph. c. 6. q. 4. s. 1.*
42. Cum non entis nulla sint accidentia, multo minus essentia. *Ex Gocl. part. 1. probl. log. q. 46.*
43. Sicut enim accidens extra suum subiectum non est; ita nec vlla finita substantia reperitur, quæ omnibus penitus exuta sit accidentibus. *Fonsec. d. 5. Metaph. c. 7. q. 4. s. 3.*
44. Adeoq;, vt nulla finita substantia agat extra, nisi per accidens aliquod medium. *Coll. Con. lib. 2. Physic. c. 7. q. 18. art. 2.*
45. Hinc accidentia substantiarum instrumenta dicuntur. *Zab. lib. 1. de propos. necess. c. 10.*
46. Accidens autem, quod a substantia sine medio producitur, dicitur effectus per emanationem. *Zab. ibid.*
47. Licet autē omnis substantia finita sit prædita accidentibus; nulla tamen ab accidente fit alia, sed altera. *Scal. 307 sect. 27.*
48. Ideoque nullum accidens addit substantiæ entitatem simpliciter, sed talem entitatem. *Scalig. ibid.*
49. Omne tamen in primordiis substantiæ situm. *Ex aphoris. 31. disp. 3.*
50. Itaq; quod in omni substantia est, in altera accidens esse nequit. *Crellius in Phys. pag. 231.*
51. Nec id, quod in vno accidens, in alio substantiam proprie dixeris. *Confer. aphoris. 28. & 29.*
52. Sicut accidens efficere non potest, vt substā-

tia ſit non ſubſtantia: ſic nec ſubſtantia efficit, vt accidens ſit non accidens. *Ex præced.*

53. Quod ſi ſubiectum cum adiuncto eſt, vtiq; ſubiectum erit. *Gocl.lib.1.part.log.pag.39.*

54. Hinc Peripatetici: ab EST tertii adiecti ad EST ſecundi adiecti valet conſecutio. *Vide Strigel. lib.3.Dial.pag.872.*

55. Et tamen non neceſſario propter attributionem alicuius accidentis res aliqua eſſe cōcluditur. *Gocl.in Criticis pag. 108.*

56. Et vnum ſubiectum non vno tantum amictum & pictum accidente, ſed & diuerſa ſuſtinere poteſt. *Confer Phil.de Categor.ſubſt.*

57. Et vnum ſpecie accidens nil impedit, quin in diuerſis reperiatur ſubiectis. *Vide Goclen. lib.1. part.logic.pag.62.*

58. At hoc apud Philoſophos plane ἀδύνατον; vt idē numero accidens ſit in diuerſis. *Vide Zab. lib.de gener.& int. c.9.*

59. I. Subiectum vel recipiens δεκτικὸν, vel obiectum. *Confer Piccol.de introduct ſcient.nat.c.23.*

60. Recipiens vel in ſe recipit, vel ad ſe. *Gocl. lib.1.part.log.pag.34.*

61. Subiectum recipiens in ſe eſt, quod rem adiunctam intra ſe capit. *ibid.*

62. Recipiens ad ſe, quod non intra ſe, ſed circum ſe, modo propinquius, modo remotius recipit. *ibid.*

63. Locus eſt exemplum ſubiecti recipientis in ſe: Eſt enim cauum intra corpus. *Diſſ.vide apud Beurhuſ.in diſquiſ.ad h.l.*

64. Receptiuum non recipit per modum imprimen-

primentis, sed per modum receptiuitatis. *Scalig. ex.16.sect.2.*
65. Itaque non necessario patiens tantum patitur, quantum agens agit. *Scal.ibid.*
66. Non enim semper materiam fauentem & sequacem habemus. *ibid.*
67. Obiectum est subiectum, circa quod, seu in quo, versatur & occupatur adiunctum: vulgo materia circa quam, Aristoteli ἀντικείμενον dicitur. *1.de anim.cont.10.*
68. Sæpe etiam genus. *Arist. 4. Metaph.text. 2. & 1.post.analyt.c.7.tex.19.& c.23.tex.179.*
69. II. Subiectum aliud primarium est, aliud secundarium *Gocl.part.1.probl.log.q.49.*
70. Primarium est, cui competit aliquid primo & immediate. Secundarium contra, *Zab. l. 2.de propos.necess.c.2.*
71. Itaque omne subiectum primum est prædicato æquale. *Idem 1.post.ad tex.37.*
72. Et omne secundarium statuit, hoc est, præsupponit primarium. *Ex aphoris.164.disp.3.*
73. Hinc Scaliger dicit, se ex sapientum Præceptore didicisse: Nihil esse accidétale alicui, quod non sit in aliquo subiecto primo & per se. *Vide exerc. 10.*
74. Quod licet controuersum sit maxime, defendi tamen potest maxime. *Confir Goclen. in disp. 9. Metaphys.*
75. Adiunctum igitur fuerit, cui aliquid subiicitur. *Ex aphor. 13.disp.h.*
76. Quod quomodo distinguendum sit, apparet ex aphoris.59.& 68.

77. Huc pertinet exemplariter accidens; quatenus in commune &proprium distribuitur. *Vide Scal.ex.307.ſ.17.*

78. Commune proprium præcedere facimus. *Diſſentit.Caſus in Dial.c.8.*

79. Proprium hoc eſſentiale nobis nuncupatur cum Scalig. *d ex.307.ſect 17.*

80. Cum ab eſſentia & forma ſubiecti quaſi fluat. *Zab.lib.1.de propoſ.neceſſ.cap. 11.*

81. Ideoque reipſa a ſubiecto ſeparari non poteſt. *Vide Zab.1.poſt ad cont.52.*

82. Sic Scaliger; Proprium, inquit, non auellitur ab eſſentia *Lib. 4. Poet. c.16. Vide diſſ. apud Gocl. in aduerſ.q.1.*

83. Nullum enim reipſa idem cum ſubiecto a ſubiecto auelli aut auferri poteſt. *Confer Scalig. ex.12.ſect.2.*

84. Itaque cui proprium tribuitur, ei & eſſentia proprii. *Ex aphoriſm.præced.*

Diſputatio VI.

DE DIVERSIS ET OPPOSITIS IN GENERE.

Reſpondente Ioanne Burgarto, Tanſtetino, Tyrigeta.

1.

SICVT rerum ſunt conſenſiones & conuenientiæ; ſic & ſunt diſſenſiones & differentiæ. *Ariſt.4. Metaph.c.9.*

2. Ita-

2. Itaque non inrecte Flacius: Vix, inquit, reperias duas res, quæ non aliquatenus cõueniant, aliquatenus differant. *lib.1. Dial.cap.21.*

3. Omnino sicut natura rebus indidit communitatem, ita & apposuit diuersitatem. *Ex Porphyr Instit.c.7.*

4. Communitatem ideo instituit, quia necesse est, omnia pendere ab vno, & omnia vicissim tẽdere ad vnum. *Scal.ex.77.f.5.& ex.254.*

5. Differentiam autem ideo adstituit, vt multa ne essent vnum. *Ex Philosoph.6.Top.c.4.*

6. Omnia enim essent vnum propter vnitatem differentiæ & formæ, quæ maxime vnum facit. *Scalig.exer.22.*

7. Et vt in natura esset ordo, sine quo ipsa cõstare nequit, vt scriptum est a viro diuino. *8. Phys. text.15.*

8. Ideoque distinctio: vbi enim ordo datur, ibi & distinctio. *Fons.5.Metaph.c.1.quæst.3.sect.3.*

9. At iusta distinctio non nisi a differẽtia proficiscitur. *Ex aphorism.113.disp.4.*

10. Iustæ autem differentiæ non nisi a formis petuntur. *Scal.lib.1.in Theophrasti hist.de plant.c.7.*

11. Communitas itaq; rerum esse nequit sine differentia, nec differentia esse potest sine communitate. *Ex aphor.3.disp.h.*

12. Itaque res ideo differunt, quia in ipsis est quicquam commune, & ideo conueniunt, quia in ipsis est quicquam differens. *Ex aphor. præced.*

13. Et quia quædã quibusdam speciebus communia sunt, iccirco impelluntur ad conuenientiam. *Scal.ex 344.sect.3.*

14. Et quia quædam generum quorundam ſunt contrariæ differentiæ, iccirco hinc inimicæ ſpecies oriuntur, *Scal.ibid.*
15. Quæ tamen ſpecies non habentur contrariæ, quia nulla forma formam deſtruit. *Scal.ibid.*
16. Verum enim differentiarum ſunt modi, ad quos imbibendos & percipiendos mirifice etiam conferunt diuerſa & oppoſita. *Beurhuſ. pedagog. log. part.1.c.17.lib 1.*
17. Ita vt argumentum nobis, ſicut & maxima, tertio ducatur vel a diuerſis, vel oppoſitis. *Ram. lib.1.Dialect.c.13.*
18. Generatim diuerſa dicuntur quæcunque non ſunt eadem. *Gocl. lib.1.inſtit.log.ad h.l.*
19. Itaque quod eſt diuerſum ab alio, non eſt illud a quo eſt diuerſum. *Boet. lib.3. de conſolat. proſa.10.*
20. Diuerſo namque ſic idem apponitur. *Flac. lib. 2.log.gener.cap.14.*
21. Quæ ſunt primæ ipſius entis differentiæ: omne enim ens aut idem, aut diuerſum. *Ariſt.10. Metaphyſ. c. 3.*
22. Itaq; ἀδύνατον: idem ſimul eſſe idem, & non idem, hoc eſt, diuerſum. *Ariſt.3.Metaph cap.3.*
23. Sicut igitur identitas fundatur in vnitate, ſic diuerſitas in multitudine. *5. Metaphyſ.cap. 9.text.16.*
24. Identitas igitur eiuſdem ad ſe ipſum, relatio rationis eſt, quia extrema non ſunt reipſa diuerſa. *Fonſeca ad dict. cap.9.*
25. Et ſicut idem multis dicitur modis, ſic & diuerſum. *Ex Ariſt.1.Top.c.13.*

26. At

26. At idem dicitur tribus potissimum modis; genere, specie & numero. *Arist. dict. 1. Topic. 6.*

27. Eadem genere sunt, quæ eidem generi subiiciuntur: *vt equus & homo animali. ibidem.*

28. Eadem specie sunt, quæ referuntur ad eandem speciem seu formam; vt Plato & Aristoteles ad hominem. *Gocl. part. 2. probl. log. q. 14.*

29. Itaque quæcunque specie sunt idem, etiam genere idem erunt. *Ex aphoris. 27. & sequ.*

30. At non viceuersa, quæcunque sunt genere idem, etiam specie. *Ex praced.*

31. Eadem numero propriissime sunt, cum diuersis nominibus eadem numero res significatur. *Flac. lib. 2. logic. general. cap. 14.*

32. Quæcunque numero sunt vnum, etiam sunt vnum specie & vnum genere. *Zab. lib. de constit. indiuid. cap. 6.*

33. Itaque quæ vnum sunt numero, illa maxime sunt vnum. *Arist. dict. 1. Topic. cap. 6.*

34. Vnitas igitur generis est magna, speciei maior, numerica aũt omnium maxima. *Ex aph. 32.*

35. Illa enim vnitas maxima iudicanda, quæ includit alias. *Zab. dict. lib. de constitut. indiu. cap. 6.*

36. Sicut autem vnitas numeri est omnium maxima, sic contra diuersitas numeri est omnium minima. *Ex aphoris. 34.*

37. Numero autem differunt indiuidua duo diuersa, & quæcunque in diuersis insunt subiectis. *Confer. aph. 58. disp. 4.*

38. Maxima itaq; diuersitas generis, minor speciei, minima numeri. *Ex aph. 36.*

39. Itaque quæ genere differunt, maxime differunt. *Ex aphoris.33.*

40. Itaque quæ genere differunt etiam specie different,& quæ specie, etiã numero. *Ex.aph.38.*

41. Ergo quæcunque genere differunt, etiam numero. *ex aph.39.*

42. Caussa enim antecedentis est etiam caussa consequentis. *Colleg.Conimb.lib.1.Phys.cap.3.art. 1.quæst.2.*

43. Sicut igitur numeri identitas includit ceteras identitates, sic diuersitas generis includit ceteras diuersitates. *Confer.aphor.35.*

44. Nihilo tamen secius quæcunque sub diuersis sunt generib. tandem eleuantur ad vnum genus. *Scal.ex.359.sect.14.*

45. Omnia namque genera vnius naturæ ad vnum genus reducuntur. *Scal.ibid.*

46. Speciatim autem diuersa appellantur, quæ ratione dissentiunt. *Confer Ram. dict.lib.1. Dialect.cap.13.*

47. Quæcunque autem dissentiunt, de se inuicem haud affirmantur. *Confer eund.l.2.c.4.*

48. Est enim dissensio fundamentum & caussa negationis, sicut consensio affirmationis, *vt recte ait Libauius.*

49. Itaque diuersa speciatim accepta affirmate non disponentur. *Confer Goclen. part.1.probl. log. quæst.51.*

50. Sed affirmate disposita in consentaneorum iam abierunt castra. *ex aphor 48.*

51. Multa siquidem sunt, quæ pro diuersis considerationib diuersas præ se ferunt naturas. *Zab. l.2.de Meth.c.18.*

52. Di-

52. Dicuntur diuersa ratione dissentire, hoc est, definitione, nam & ratione differre sumitur pro eo, quod est definitione distingui. *Crellius in Isag. in organ. Arist. pag. 64.*

53. Sic Aristoteles ens & vnum reipsa vnum esse dicit, ratione tamen distingui, hoc est, definitione. 4. *Metaph. c. 2. text. 3.*

54. Quod & explicatum habet Scaliger. Vnum, Verum, bonum, inquit, sunt affectus ipsius entis, vna sane res atque eadem cum ipso ente, sed & ab eo & inter se distinguuntur per definitionem. *exer. 307. s. 15.*

55. Rationis itaque hic distinctio non est ea, quæ penitus oriri dicitur a ratione & consideratione nostra, quæque in natura aut rebus fundamentum non habet. *Confer Fonsec. 5. Metaph. c. 6. q. 6. s. 3.*

56. Itaque errant vehementer, qui hanc ipsam rationis distinctionem solam, & non aliam, dissentaneis diuersis intrudunt *Confer aphor. 52.*

57. Quæcunque enim definitione diuersa sunt, semper distinguuntur ex natura rei. *Fonsec. d. 5. Metaph. c. 6. q. 7. s. 3.*

58. Quæcunque autẽ ex natura rei distinguuntur, ea & præcisa seu semota omni intellectus operatione distinguuntur. *ibid. cap. 6. quæst. 6. s. 2.*

59. Quæ autem sic distinguuntur, eorum distinctio in natura & reb. fundamentum habet. *Confer aphor. 55.*

60. Et errant æque vehementer, aut vehementius certe, qui illud ratione dissentire, per hoc, ratione differre, exponunt. *Conf. aph. 47. & 52.*

61. Porro cum diuersa dissentiant a se inuicem, & dissentiant in vno tertio, qua fronte non affirmem cum Ioañe Bisterfeldio, ex iis tam necessario, quam contingenter concludi posse. *vide Bisterfeld. in notis aduers. Andr. Libau.*
62. Itaque omnia diuersa possunt transire in opposita. *ex praeced. & dict. aphor. 47.*
63. Quae enim rei alicuius proprietates sibi accommodari patiuntur, ea & essentiam. *Ex aphor. vlt. disp. 4.*
64. Sed non vice versa opposita omnia redeunt in diuersa, sed ea tantum, quae in diuersorum ante exstiterant familia. *Ex aphor. 62. disp. h.*
65 Opposita sunt, quae re ipsa dissentiunt. *Confer Ram. lib. 1. Dialect. c. 14.*
66. Reipsa dissentire idem est, quod subiecto dissentire. *Confer Crell in Isagog. d. p. 64.*
67. Subiectum non inhaerentiae, sed attributionis, quod vocant, intelligimus. *vide Zab. lib. 1. post. ad contex. 151. cap. 18.*
68. Itaque dicimus: opposita non posse eidem attribui secundum idem, ad idem, & eodem tempore. *Arist. 1. soph. elench. cap. 4.*
69. Et vno affirmato, alterum praecise negari. *Ex aphor. praeced.*
70. Ratio est, quia opposita non possunt conuenire in vnam rem & essentiam. *Gocl. par. 1. probl. logic. q. 50.*
71. Quicquid enim alicui oppositum est, per essentiam oppositum est. *Confer Scalig. exer. 12. sect. 4.*
72. Itaque vnum oppositorum est aliud, ac diuersum

uersum a suo opposito. *Zab. lib.2.post.analyt. cap. 12.context.77.*
73. Essentia enim alia, non accidens aliud, facit aliud. *Zab.ibid.*
74. Itaque quæ essentia non differunt, sed accidente, eorum alterum de altero dici potest. *Scal. lib.4.Poet.cap.9.*
75. Ideoque nec erunt opposita per se, sed per accidentia, accidentia autem ipsa erunt opposita per se. *Confer aphoris.164.disp.4.*
76. Quæcunque igitur in rebus creatis re differunt & subiecto, etiam essentialiter different, & vicissim. *Colleg. Conimbric libr.1. Phys.c.2.quæst.1. artic.2.*
77. Dicitur expresse in rebus creatis: hic enim realitas defert secum essentiam, vt vbicunq; fuerit alia realitas, ibi etiam aliam dari oporteat essentiam. *Colleg. Conimb.ibid.*
78. At in diuinis, vt mysterio Trinitatis, ex distinctione reali non infertur distinctio essentialis. *Philip 4 Dialect.*
79. Et quæcunq; re differunt & subiecto, etiam ratione & definitione: maior enim differentia includit minorem. *Ex aphoris.13.disp.h.*
80. Opposita igitur re differunt, ideo & ratione necessario; at diuersa ratione differunt, sed re nō necessario. *Confer Goel.lib.1.instit.log.pag.213.*

Disputatio VII.

DE OPPOSITIS IN SPECIE.

Elia Fulicano, Danckmarschusano, Tyrigeta, Respondente.

1. DICEBAMVS, opposita re differre, & realitatem in rebus creatis deferre secum essentiam. *ex aphor. 78. & 80. disp 6.*

2. Aliamque essentiam, non accidens aliud, reddere aliud. *Ex aphor. 73. dicta disp. 6.*

3. Socrates igitur & Plato cum sint opposita, iste ab hoc erit aliud, aut per essentiam aliam, aut per accidens aliud.

4. Atqui nō per accidens aliud: Socrates quippe esset Plato, & Plato Socrates prædicatione vicissitudinaria. *ex aph. 74. d. disp.*

5. Enimvero ἄλογον: Cum Socrates non sit Plato, impediente accidentium solum diuersitate, vt idem sit Plato, essentiæ id vnitate imperante. *ex aphor. 2. disp. h.*

6. Neque enim accidentia diuersa substantiarum non diuersarum, substantias ipsas efficiunt diuersas, sed tantum alteras. *ex aphorism. 48. disputat. 5.*

7. Itaque Socrates & Plato non essent opposita per se, sed per accidentia, cum alter alteri nō per essentiam opponatur. *Confer aphoris. 71. disp. 6.*

8. Imo indiuidua, quatenus indiuidua, & a speciebus

ciebus distincta, essent accidentia, & in substantiis reponerentur per accidentia *ex aph. praced.*

9. Nec ab homine specie distinguerentur nisi accessu accidentium distinctorum. *Ex aphoris. 4. & 5. disp. h.*

10. At hæc talia indiuidua inter se distinguuntur reipsa. *Fons. 5. Metaph. c. 6. q. 6. s. 1.*

11. At quæcunque in rebus creatis reipsa distinguuntur, etiam essentialiter. *ex aphor. 78. disp. 6.*

12. Cum igitur Socrates & Plato non sint aliud propter accidentia alia: sequitur, eos aliud esse propter essentias alias & diuersas. *ex aphoris. 10. & 11. disp. h.*

13. Et iccirco esse opposita per se. *ex aphor. 3. & 4. disput. h.*

14. Opposita vel disparata sunt, vel contraria. *Ram. lib. 1. c. 13.*

15. Disparata sunt opposita, quorũ vnum multis pariter opponitur. *Ramus ibid.*

16. Disparatis debetur præcessio, quia leuior in ipsis, quam in contrariis dissensio. *Beurhus. pædag. log. part. 2 disp. 4. de dissent.*

17. Itaq; recte Boetius disparata a se diuersa finit nulla contrarietate pugnantia, vt vestis, ignis. *lib. 1. de Syllog. hypoth.*

18. Itaque in disparatis est oppositio laxa & ἠρεμαῖος. *ex aphor. 15.*

19. Itaque vno disparatorum vel exstincto penitus, vel mente ablegato, aliud substituitur disparatione nihilo secius manente. *ex aphor. praced.*

20. Itaq; substantia & accidens ꝓprie disparata non sunt. *Conf. Fons. li. 7. instit. log. c. 34.*

21. Nulla enim ſubſtantia ab alia ſubſtantia, ac ne corruptibilis quidem ab incorruptibili tam abeſt in natura, quam accidens a ſubſtantia. *Scal. exerc.359.ſect.14.*

22. Nec aduerſa ſeu contraria in ſpecie: Nullũ enim contrarium eſt efficiens ſui contrarii. *Scalig.ex.11.ſect.1.*

23. At diſparatorum vnum poteſt eſſe efficiens alterius. *ex aphor.15.*

24. Et tamen vniuerſim verum eſt: Nullum oppoſitum, qua oppoſitum, eſt efficiens ſui oppoſiti. *ex diſp.3.aphor.25.*

25. Contraria ſunt quorum vnum vni opponitur. *Ex aphor.15.*

26. Itaque memorabile Peripateticorum eſt axioma: ἓν ἑνὶ ἐναντίον. *Ariſt.1.de cœl.c.2.*

27. Itaque oppoſitio in contrariis eſt determinata & vel maxime ἔμμεσος. *Ex aph.25.*

28. Itaque vno contrariorũ exſtincto, vel mente ſaltem ſemoto, aliud, quod ſit contrarium, ſubſtitui nequit, ſed alio ſurrogato, contrarietas exſpirat. *Ex aph.19.*

29. Vtrumque enim contrariorum in qualibet contrariorum ſpecie eſt certum, definitum & deputatũ, ita vt a ſuo congenere abſiſtere nequeat, & contrarium perſiſtere. *Ex d.aph.19.*

30. Diſparatorum itaque & contrariorum differentia fixa ſit & perpetua, non mobilis & inconſtans. *Ex Phil.6.Top.c.4.*

31. Contraria aut affirmantia ſunt, aut negantia. *Confer Ariſt.in Categor.c.16.*

32. Affirmatio & negatio hic non in enuntiationi-

tionibus, sed in terminis simplicibus collocantur. *Gocl.part.1.probl.log.q.11.*

33. Illa præcedit hanc: Affirmatio enim prior negatione. *Scal.exer.6.sect.2.*

34. Sic voluntas (vtinam liceret ita dicere) antegreditur noluntatem. *Idem ex.315.*

35. Contraria affirmantia aut sunt repugnantia aut aduersa. *Confer. Fons.l.7.inst. Dial.c.34.*

36. Repugnantia sunt contraria affirmantia, quorum vnum in alterum non agit expellendo. *Ex aphor.seq.*

37. Aduersa autem sunt contraria affirmantia, quorum alterum in alterum agit expellendo. *Arist.1.de gen.& corrupt.c.7.tex.49.*

38. Itaque aduersa seu contraria in specie pellentis naturæ esse perhibentur. *Arist.ibid.*

39. Vera itaque contrarietas non est inter positiuum & priuatiuum, sed inter positiuum & positiuum. *Zab.1.post.c.11.*

40. Et recte Philosophus φθαρτικὰ τῶν ἀλλήλων τὰ ἐναντία. *1. Phys.c.41.*

41. Itaque contrarium nequit esse in contrario. *Arist.4. Metaphys.c.5.*

42. Itaque bonum, in quo est malum, & ipsum malum, non sunt contraria. *Goclen.lib.1.instit.log. pag.215.*

43. Itaque nihil componitur e suo contrario. *Ex aph.40.disp.h.*

44. Itaque vnum non est contrarium multitudini. Componitur enim ea ex vnitate. *Scal.ex. 65.sect.2.*

45. Formæ itaque substantiarum non sunt sibi

inuicem contrariæ; quia nulla forma formã destruit. *Ex aph.83. & 15. disp.6.*

46. Et tamen veritatis perpetuæ: Quicquid alicui contrarium seu aduersum est, id per essentiam, qua est id, quod est, contrarium seu aduersum est *Scal.exer. 2.sect.4.*

47. Hinc enim non sequens est: Substantiam substantiæ esse contrariam. *Diss. Goclen.part.1. problem.logic. quæst. 60.*

48. Dicemus cum philosopho; Nulla substantia substantiæ contraria est. *in categor.cap.5.*

49. Cum contraria per essentiam sibi contraria sint, cõtrariorum eadem erit ratio, id est, cognitio. *Arist.5.Eth.cap.2.*

50. Et contrariorum non est eadem ratio, id est vis insita. *Idem 2. Rhetoric. Confer. Goclen.d.part.1. probl.log.quæst.61.*

51. Itaque τὰ αἴτια τῶν ἐναντίων ἐναντία. *Arist.2. de Generat.animal.cap.10.*

52. Et contrariorum, qua contraria, contraria consequentia. *Goclen.d.part.1.quæst.61.*

53. Contraria seu aduersa mediata sunt, vel immediata. *Arist.in Categor.cap.11.dissent. Beurhus. in disput.logic.pag. 715.*

54. Contraria mediata sunt, inter quæ interiectum est medium vel nominatum, vel innominatum. *Gocl.1.lib.inst.log.cap.11.*

55. Medium illud innominatum designatur per vtriusq; contrarii remotionem seu συναπόφασιν. *Flac.lib.2 log.gen.c.13.*

56. Omnia contraria mediata, si genus ipsorum limitetur, fieri queunt immediata. *Conf. Arist. dict.lib.1.de genera. & corr.c.7.*

57. Qua ratione inspecta, recte dixeris: Omnia contraria esse ἄμεσα.

58. Contraria negantia vel contradicentia sunt, vel priuantia. *Ram d.lib.1.cap.16.*

59. Illa præcedunt: Est enim negatio in contradicentibus latioris ambitus, quam priuatio. *Scal. ex.80.s.4.*

60. Omnis enim priuatio est negatio: at non vice versa. *Fons.lib.2.log.cap.17.*

61. Et omnis habitus est affirmatio; at non omnis affirmatio habitus. *Confer. Flac.lib.2.log.generat.cap.15.*

62. Contradicentia sunt contraria negantia, quorum alterum negat simpliciter. *Gocl.dict. lib.1.cap.13.*

63. Hæc negatio simplex adeo ampla est, vt omnia complectatur præter id, quod erat affirmatum. *Flac.dict.l.2.c.15.*

64. Est enim negatio quasi genus eorum, quæ sub negatione continentur: Sic non-homo est quasi genus lapidis, asini, & ceterorum, quæ non sunt homines. *Flac. ibid.*

65. Itaque omnis contradictio æque late patet. *ex apho. 63.*

66. Et omnis cõtradictio est sine medio. *ex code.*

67. Omne enim, quod non est sub affirmatione in contradicentibus, id reperitur sub eius affirmationis negatione. *ex aph.cod.*

68. Itaque vno contradicentium affirmato, alterum negatur necessario: & vno negato, alterũ necessario affirmatur. *Gocl.d.cap.13.*

69. Quanto itaque minor est ambitus negatio-

nis; (vt non-entis) tanto maior erit ambitus affirmationis; (vt entis) & quanto minoris est cōprehensionis affirmatio; (vt Arist.) tanto maioris negatio. (*vt non-Aristoteles.*) *Ex aph.67.*

70. Affirmatum itaq; quo est superius & altius, eo plus sub se comprehendit: & quo inferius & depressius, eo minus: contra negatum, quo est inferius, eo plus: & quo superius eo minus. *Ex aphoris. praced.*

71. Itaq; contradicentium, in diuisionib. præsertim, tantus est vsus, vt nihil supra. *vide Diss. apud Gocl. part. 1. probl. log. q. 70.*

72. Cum genus per differentias oppositas partimur, semper altera duarum est pura negatio alterius, & nil significat positiui. Sub hac tamen comprehenduntur positiuæ differentiæ. *Ex Zab. 2. post. ad cont. 77.*

73. Proprie enim loquendo differentiæ rerum vocantur illæ, quæ cōstituunt species; non constituunt autem nisi positiuæ. *Ex Scalig. exercit. 65. sect. 5.*

74. Et apposite ad rem Scaliger idem: Quodcunque, inquit, præter rectum est, non est Dei; sed non-Dei. *ex. 194. s. 4.*

75. Priuantia sunt contraria negantia, quorum alterum negat in eo tantum subiecto, in quo habitus inest. (*Confer Arist. lib. 6. Top. c. 3.*

76. Itaq; priuatio ad idem subiectum pertinet, ad quod habitus. *Flac. lib. 2. log. Gen. d. c. 15.*

77. Habitus est forma aliqua seu res positiua, quæ subiecto inest. *Gocl. d. l. 1. c. 12.*

78. Et

78. Et priuatio est negatio habitus in subiecto apto nato eum recipere. *ibid.*

79. Habitus omnis est prior priuatione; sicut ens, non ente. *Scal.lib.1.de caussis lat.ling.c.19.*

80. Itaq; omnis priuatio præsupponit, vt aiunt, habitum. *Ex Arist.in Categor.cap.10.*

81. Itaque nulla priuatio est essentia alicuius rei positiuæ. *Scal.ex.18.*

82. Vt enim nullum esse habet, ita nec vllum dare potest. *Fons.5.Metaph.c.2.quæst.7.sect.1.*

83. Itaque omnis priuatio est vilior & ignobilior habitu. *Gocl.in disp.ethic.q.46.*

84. Itaque nulla priuatio est efficiens habitus sui. *Scal.ex.11.*

85. Priuantium enim vnum est interitus alterius. *Goclen.in instit.log.pag.222.*

86. Itaque ex priuatione & habitu nihil componi potest. *Scal.ex.325.s.9.*

87. Priuatio alia est ἐντελὴς, alia ἀτελὴς. Illa tollit & habitum & potentiam ad habitum: Hæc non item. *Goclen.part.1.probl.logic.quæst.66.*

88. Ab illa priuatione ad habitum nõ datur regressus. *Arist.in Categ.d.c.10.*

89. Quid? a nulla priuatione ad habitum eundem numero fit redditus. *Confer Zabar. lib. 2. de gener.& int.c.9.*

39. Itaque quæ genere differunt, maxime differunt. *Ex aphoris.33.*

40. Itaque quæ genere differunt etiam specie different, & quæ specie, etiã numero. *Ex.aph.38.*

41. Ergo quæcunque genere differunt, etiam numero. *ex aph.39.*

42. Caussa enim antecedentis est etiam caussa consequentis. *Colleg.Conimb.lib.1.Phys.cap.3.art.1.quæst.2.*

43. Sicut igitur numeri identitas includit ceteras identitates, sic diuersitas generis includit ceteras diuersitates. *Confer.aphor.35.*

44. Nihilo tamen secius quæcunque sub diuersis sunt generib. tandem eleuantur ad vnum genus. *Scal.ex.359.sect.14.*

45. Omnia namque genera vnius naturæ ad vnum genus reducuntur. *Scal.ibid.*

46. Speciatim autem diuersa appellantur, quæ ratione dissentiunt. *Confer Ram. dict.lib.1. Dialect.cap.13.*

47. Quæcunque autem dissentiunt, de se inuicem haud affirmantur. *Confer eund.l.2.c.4.*

48. Est enim dissensio fundamentum & caussa negationis, sicut consensio affirmationis, *vt recte ait Libauius.*

49. Itaque diuersa speciatim accepta affirmate non disponentur. *Confer Goclen. part.1.probl.log. quæst.51.*

50. Sed affirmate disposita in consentaneorum iam abierunt castra. *ex aphor 48.*

51. Multa siquidem sunt, quæ pro diuersis considerationib diuersas præ se ferunt naturas. *Zab. l.2.de Meth.c.18.*

52. Di-

52. Dicuntur diuersa ratione dissentire, hoc est, definitione, nam & ratione differre sumitur pro eo, quod est definitione distingui. *Crellius in Isag. in organ. Arist. pag. 64.*

53. Sic Aristoteles ens & vnum reipsa vnum esse dicit, ratione tamen distingui, hoc est, definitione. *4. Metaph. c. 2. text. 3.*

54. Quod & explicatum habet Scaliger. Vnum, Verum, bonum, inquit, sunt affectus ipsius entis, vna sane res atque eadem cum ipso ente, sed & ab eo & inter se distinguuntur per definitionem. *exer. 307. f. 15.*

55. Rationis itaque hic distinctio non est ea, quæ penitus oriri dicitur a ratione & consideratione nostra, quæque in natura aut rebus fundamentum non habet. *Confer Fonsec. 5. Metaph. c. 6. q. 6. f. 3.*

56. Itaque errant vehementer, qui hanc ipsam rationis distinctionem solam, & non aliam, dissentaneis diuersis intrudunt *Confer aphor. 52.*

57. Quæcunque enim definitione diuersa sunt, semper distinguuntur ex natura rei. *Fonsec. d. 5. Metaph. c. 6. q. 7. f. 3.*

58. Quæcunque autẽ ex natura rei distinguuntur, ea & præcisa seu semota omni intellectus operatione distinguuntur. *ibid. cap. 6. quæst. 6. f. 2.*

59. Quæ autem sic distinguuntur, eorum distinctio in natura & reb. fundamentum habet. *Confer aphor. 55.*

60. Et errant æque vehementer, aut vehementius certe, qui illud ratione dissentire, per hoc, ratione differre, exponunt. *Conf. aph. 47. & 52.*

61. Porro cum diuersa dissentiant a se inuicem, & dissentiant in vno tertio, qua fronte non affirmem cum Ioañe Bisterfeldio, ex iis tam necessario, quam contingenter concludi posse. *vide Bisterfeld. in notis aduers. Andr. Libau.*

62. Itaque omnia diuersa possunt transire in opposita. *ex praced. & dict. aphor. 47.*

63. Quæ enim rei alicuius proprietates sibi accommodari patiuntur, ea & essentiam. *Ex aphor. vlt. disp. 4.*

64. Sed non vice versa opposita omnia redeunt in diuersa, sed ea tantum, quæ in diuersorum ante exstiterant familia. *Ex aphor. 62. disp. h.*

65 Opposita sunt, quæ reipsa dissentiunt. *Confer Ram. lib. 1. Dialect. c. 14.*

66. Reipsa dissentire idem est, quod subiecto dissentire. *Confer Crell in Isagog. d. p. 64.*

67. Subiectum non inhærentiæ, sed attributionis, quo i vocant, intelligimus. *vide Zab. lib. 1. post. ad contex. 151. cap. 18.*

68. Itaque dicimus: opposita non posse eidem attribui secundum idem, ad idem, & eodem tempore. *Arist. 1. soph. elench. cap. 4.*

69. Et vno affirmato, alterum præcise negari. *Ex aphor. praced.*

70. Ratio est, quia opposita non possunt conuenire in vnam rem & essentiam. *Gocl. par. 1. probl. logic. q. 50.*

71. Quicquid enim alicui oppositum est, per essentiam oppositum est. *Confer Scalig. exer. 12. sect. 4.*

72. Itaque vnum oppositorum est aliud, ac diuersum

uersum a suo opposito. *Zab. lib.2.post.analyt. cap. 12.context.77.*
73. Essentia enim alia, non accidens aliud, facit aliud. *Zab.ibid.*
74. Itaque quæ essentia non differunt, sed accidente, eorum alterum de altero dici potest. *Scal. lib.4.Poet.cap.9.*
75. Ideoque nec erunt opposita per se, sed per accidentia, accidentia autem ipsa erunt opposita per se. *Confer aphoris.164.disp.4.*
76. Quæcunque igitur in rebus creatis re differunt & subiecto, etiam essentialiter different, & vicissim. *Colleg. Conimbric lib.1. Phys.c.2.quæst.1. artic.2.*
77. Dicitur expresse in rebus creatis: hic enim realitas defert secum essentiam, vt vbicunq; fuerit alia realitas, ibi etiam aliam dari oporteat essentiam. *Colleg. Conimb.ibid.*
78. At in diuinis, vt mysterio Trinitatis, ex distinctione reali non infertur distinctio essentialis. *Philip 4 Dialect.*
79. Et quæcunq; re differunt & subiecto, etiam ratione & definitione: maior enim differentia includit minorem. *Ex aphoris. 13.disp.h.*
80. Opposita igitur re differunt, ideo & ratione necessario; at diuersa ratione differunt, sed re nō necessario. *Confer Gocl. lib.1.instit.log.pag.213.*

Disputatio VII.

DE OPPOSITIS IN SPECIE.

Elia Fulicano, Danckmarschusano, Tyrigeta, Respondente.

1. DICEBAMUS, opposita re differre, & realitatem in rebus creatis deferre secum essentiam. *ex aphor.78.& 80.disp 6.*

2. Aliamque essentiam, non accidens aliud, reddere aliud. *Ex aphor.73.dicta disp.6.*

3. Socrates igitur & Plato cum sint opposita, iste ab hoc erit aliud, aut per essentiam aliam, aut per accidens aliud.

4. Atqui nõ per accidens aliud: Socrates quippe esset Plato, & Plato Socrates prædicatione vicissitudinaria. *ex aph. 74. d.disp.*

5. Enimvero ἄλογον: Cum Socrates non sit Plato, impediente accidentium solum diuersitate, vt idem sit Plato, essentiæ id vnitate imperante. *ex aphor.2.disp.h.*

6. Neque enim accidentia diuersa substantiarum non diuersarum, substantias ipsas efficiunt diuersas, sed tantum alteras. *ex aphorism.48.disputat.5.*

7. Itaque Socrates & Plato non essent opposita per se, sed per accidentia, cum alter alteri nõ per essentiam opponatur. *Confer aphoris.71.disp.6.*

8. Imo indiuidua, quatenus indiuidua, & a speciebus

ciebus distincta, essent accidentia, & in substantiis reponerentur per accidentia *ex aph. praced.*
9. Nec ab homine specie distinguerentur nisi accessu accidentium distinctorum. *Ex aphoris. 4. & 5. disp. h.*
10. At hæc talia indiuidua inter se distinguuntur reipsa. *Fons. 5. Metaph. c. 6. q. 6. s. 1.*
11. At quæcunque in rebus creatis reipsa distinguuntur, etiam essentialiter. *ex aphor. 78. disp. 6.*
12. Cum igitur Socrates & Plato non sint aliud propter accidentia alia: sequitur, eos aliud esse propter essentias alias & diuersas. *ex aphoris. 10. & 11. disp. h.*
13. Et iccirco esse opposita per se. *ex aphor. 3. & 4. disput. h.*
14. Opposita vel disparata sunt, vel contraria. *Ram. lib. 1. c. 13.*
15. Disparata sunt opposita, quorũ vnum multis pariter opponitur. *Ramus ibid.*
16. Disparatis debetur præcessio, quia leuior in ipsis, quam in contrariis dissensio. *Beurhus. pædag. log. part. 2 disp. 4. de dissent.*
17. Itaq; recte Boetius disparata a se diuersa finit nulla contrarietate pugnantia, vt vestis, ignis. *lib. 1. de Syllog. hypoth.*
18. Itaque in disparatis est oppositio laxa & ἐμμεσος. *ex aphor. 15.*
19. Itaque vno disparatorum vel exstincto penitus, vel mente ablegato, aliud substituitur disparatione nihilo secius manente. *ex aphor. præced.*
20. Itaq; substantia & accidens ꝓprie disparata non sunt. *Conf. Fons. li. 7. instit. log. c. 34.*

21. Nulla enim ſubſtantia ab alia ſubſtantia, ac ne corruptibilis quidem ab incorruptibili tam abeſt in natura, quam accidens a ſubſtantia. *Scal. exerc.359.ſect.14.*

22. Nec aduerſa ſeu contraria in ſpecie: Nullũ enim contrarium eſt efficiens ſui contrarii. *Scalig.ex.11.ſect.1.*

23. At diſparatorum vnum poteſt eſſe efficiens alterius. *ex aphor.15.*

24. Et tamen vniuerſim verum eſt: Nullum oppoſitum, qua oppoſitum, eſt efficiens ſui oppoſiti. *ex diſp.3.aphor.25.*

25. Contraria ſunt quorum vnum vni opponitur. *Ex aphor.15.*

26. Itaque memorabile Peripateticorum eſt axioma: ἓν ἑνὶ ἐναντίον. *Ariſt.1.de cæl.c.2.*

27. Itaque oppoſitio in contrariis eſt determinata & vel maxime ἔμμεσος. *Ex aph.25.*

28. Itaque vno contrariorũ exſtincto, vel mente ſaltem ſemoto, aliud, quod ſit contrarium, ſubſtitui nequit, ſed alio ſurrogato, contrarietas exſpirat. *Ex aph.19.*

29. Vtrumque enim contrariorum in qualibet contrariorum ſpecie eſt certum, definitum & deputatũ, ita vt a ſuo congenere abſiſtere nequeat, & contrarium perſiſtere. *Ex d.aph.19.*

30. Diſparatorum itaque & contrariorum differentia fixa ſit & perpetua, non mobilis & inconſtans. *Ex Phil.6.Top.c.4.*

31. Contraria aut affirmantia ſunt, aut negantia. *Confer Ariſt.in Categor.c.16.*

32. Affirmatio & negatio hic non in enuntiationi-

tionibus, ſed in terminis ſimplicibus collocantur. *Gocl.part.1.probl.log.q.11.*

33. Illa præcedit hanc: Affirmatio enim prior negatione. *Scal.exer.6.ſect.2.*

34. Sic voluntas (vtinam liceret ita dicere) antegreditur noluntatem. *Idem ex.315.*

35. Contraria affirmantia aut ſunt repugnantia aut aduerſa. *Confer. Fonſ.l.7.inſt Dial.c.34.*

36. Repugnantia ſunt contraria affirmantia, quorum vnum in alterum non agit expellendo. *Ex aphor.ſeq.*

37. Aduerſa autem ſunt contraria affirmantia, quorum alterum in alterum agit expellendo. *Ariſt.1.de gen.& corrupt.c.7.tex.49.*

38. Itaque aduerſa ſeu contraria in ſpecie pellentis naturæ eſſe perhibentur. *Ariſt.ibid.*

39. Vera itaque contrarietas non eſt inter poſitiuum & priuatiuum, ſed inter poſitiuum & poſitiuum. *Zab.1.poſt.c.11.*

40. Et recte Philoſophus φθαρτικὰ τῶν ἀλλήλων τὰ ἐναντία. *1. Phyſ.c.41.*

41. Itaque contrarium nequit eſſe in contrario. *Ariſt.4. Metaphyſ.c.5.*

42. Itaque bonum, in quo eſt malum, & ipſum malum, non ſunt contraria. *Goclen.lib.1.inſtit.log.pag.215.*

43. Itaque nihil componitur e ſuo contrario. *Ex aph.40.diſp.h.*

44. Itaque vnum non eſt contrarium multitudini. Componitur enim ea ex vnitate. *Scal.ex.65.ſect.2.*

45. Formæ itaque ſubſtantiarum non ſunt ſibi

inuicem contrariæ; quia nulla forma formā destruit. *Ex aph.83. & 15. disp.6.*

46. Et tamen veritatis perpetuæ: Quicquid alicui contrarium seu aduersum est, id per essentiam, qua est id, quod est, contrarium seu aduersum est *Scal. exer. 2. sect. 4.*

47. Hinc enim non sequens est: Substantiam substantiæ esse contrariam. *Diss. Goclen. part. 1. problem. logic. quæst. 60.*

48. Dicemus cum philosopho; Nulla substantia substantiæ contraria est. *in categor. cap. 5.*

49. Cum contraria per essentiam sibi contraria sint, cōtrariorum eadem erit ratio, id est, cognitio. *Arist. 5. Eth. cap. 2.*

50. Et contrariorum non est eadem ratio, id est vis insita. *Idem 2. Rhetoric. Confer. Goclen. d. part. 1. probl. log. quæst. 61.*

51. Itaque τὰ αἴτια τῶν ἐναντίων ἐναντία. *Arist. 2. de Generat. animal. cap. 10.*

52. Et contrariorum, qua contraria, contraria consequentia. *Goclen. d. part. 1. quæst. 61.*

53. Contraria seu aduersa mediata sunt, vel immediata. *Arist. in Categor. cap. 11. dissent. Beurhus. in disput. logic. pag. 715.*

54. Contraria mediata sunt, inter quæ interiectum est medium vel nominatum, vel innominatum. *Gocl. 1. lib. inst. log. cap. 11.*

55. Medium illud innominatum designatur per vtriusq; contrarii remotionem seu συναπόφασιν. *Flac. lib. 2 log. gen. c. 13.*

56. Omnia contraria mediata, si genus ipsorum limitetur, fieri queunt immediata. *Conf. Arist. dict. lib. 1. de genera. & corr. c. 7.*

57. Qua ratione inspecta, recte dixeris: Omnia contraria esse ἄμεσα.

58. Contraria negantia vel contradicentia sunt, vel priuantia. *Ram d.lib.1.cap.16.*

59. Illa præcedunt: Est enim negatio in contradicentibus latioris ambitus, quam priuatio. *Scal. ex.80.f.*4.

60. Omnis enim priuatio est negatio: at non vice versa. *Fons.lib.2.log.cap.17.*

61. Et omnis habitus est affirmatio; at non omnis affirmatio habitus. *Confer. Flac.lib.2.log.generat.cap.15.*

62. Contradicentia sunt contraria negantia, quorum alterum negat simpliciter. *Gocl.dict. lib. 1.cap.*13.

63. Hæc negatio simplex adeo ampla est, vt omnia complectatur præter id, quod erat affirmatum. *Flac.dict.l.2.c.15.*

64. Est enim negatio quasi genus eorum, quæ sub negatione continentur: Sic non-homo est quasi genus lapidis, asini, & ceterorum, quæ non sunt homines. *Flac. ibid.*

65. Itaque omnis contradictio æque late patet. *ex apho. 63.*

66. Et omnis cōtradictio est sine medio. *ex eodē.*

67. Omne enim, quod non est sub affirmatione in contradicentibus, id reperitur sub eius affirmationis negatione. *ex aph.eod.*

68. Itaque vno contradicentium affirmato, alterum negatur necessario: & vno negato, alterū necessario affirmatur. *Gocl.d.cap.13.*

69. Quanto itaque minor est ambitus negatio-

nis; (vt non-entis) tanto maior erit ambitus affirmationis; (vt entis) & quanto minoris est cõprehensionis affirmatio; (vt Arist.) tanto maioris negatio. (*vt non-Aristoteles.*) *Ex aph.67.*

70. Affirmatum itaq; quo est superius & altius, eo plus sub se comprehendit: & quo inferius & depressius, eo minus: contra negatum, quo est inferius, eo plus: & quo superius eo minus. *Ex aphoris. praeced.*

71. Itaq; contradicentium, in diuisionib. praesertim, tantus est vsus, vt nihil supra. *vide Diss. apud Gocl. part.1. probl. log. q.70.*

72. Cum genus per differentias oppositas partimur, semper altera duarum est pura negatio alterius, & nil significat positiui. Sub hac tamen comprehenduntur positiuae differentiae. *Ex Zab. 2. post. ad cont. 77.*

73. Proprie enim loquendo differentiae rerum vocantur illae, quae cõstituunt species; non constituunt autem nisi positiuae. *Ex Scalig. exercit. 65. sect. 5.*

74. Et apposite ad rem Scaliger idem: Quodcunque, inquit, praeter rectum est, non est Dei; sed non-Dei. *ex. 194. s. 4.*

75. Priuantia sunt contraria negantia, quorum alterum negat in eo tantum subiecto, in quo habitus inest. (*Confer Arist. lib.6. Top. c.3.*

76. Itaq; priuatio ad idem subiectum pertinet, ad quod habitus. *Flac. lib.2. log. Gen. d. c.15.*

77. Habitus est forma aliqua seu res positiua, quae subiecto inest. *Gocl. d. l. 1. c.12.*

78. Et

78. Et priuatio est negatio habitus in subiecto apto nato eum recipere. *ibid.*

79. Habitus omnis est prior priuatione; sicut ens, non ente. *Scal.lib.1.de caussis lat.ling.c.19.*

80. Itaq; omnis priuatio præsupponit, vt aiunt, habitum. *Ex Arist.in Categor.cap.10.*

81. Itaque nulla priuatio est essentia alicuius rei positiuæ. *Scal.ex.18.*

82. Vt enim nullum esse habet, ita nec vllum dare potest. *Fons.5.Metaph.c.2.quæst.7.sect.1.*

83. Itaque omnis priuatio est vilior & ignobilior habitu. *Gocl.in disp.ethic.q.46.*

84. Itaque nulla priuatio est efficiens habitus sui. *Scal.ex.11.*

85. Priuantium enim vnum est interitus alterius. *Goclen.in instit.log.pag.222.*

86. Itaque ex priuatione & habitu nihil componi potest. *Scal.ex.325.s.9.*

87. Priuatio alia est ἐντελής, alia ἀτελής. Illa tollit & habitum & potentiam ad habitum: Hæc non item. *Goclen.part.1.probl.logic.quæst.66.*

88. Ab illa priuatione ad habitum nō datur regressus. *Arist.in Categ.d.c.10.*

89. Quid? a nulla priuatione ad habitum eundem numero fit redditus. *Confer Zabar. lib. 2. de gener. & int.c.9.*

Disputatio VIII.

DE ABSOLVTO ET RESPECTIVO.

Respondente, Ioanne Deuser Kemmatensi, Palatino.

1. OMNE ens aut est absolutum, aut respectiuum. *Goclen.5.disp.Metaph.*

2. Absolutum est, cuius cōsideratio ab alterius consideratione absoluta & impræpedita est.

3 Respectiuum est, cuius consideratio alius considerationem annexam gerit.

4. Omne absolutum prius est respectiuo: & hoc in ipso fundatur. *Gocl.d.disp.5.*

5. Absolutum vt non tantum vniuersalium, sed & singularium est, sic & respectiuum. *Scalig. lib.4.de cauf.lat.ling.c.97.*

6. Respectiua nobis hic vel relata sunt, vel comparata.

7. Itaque quarto argumenta & maximas vel a relatis vel comparatis ducemus.

8. Relata sunt respectiua, quæ totam essentiā suam in relatione ad aliud positam habent. *Arist. in categ.cap.de relat.*

9. Itaq; relatum per relationem seu respectū, qui in correlato terminatur, definitur. *Fons.lib.5. inst.Dialect.c.9.*

10. Quia autem nullus respectus intelligi potest sine termino, fit vt ipse terminus necessario in definitione ponatur. *Fonsec.ibid.*

11. Itaque vnum relatorum non est de essentia alterius, nec sunt sibi mutuæ caussæ. *Ex aphorism. 9. disput. huius. contra Ram. d. lib. 1. c. 14.*
12. Relata enim cum etiam opponi inuicem queant, non certe potest, vt vna vtraque essentia aut subsistentia constent. *Ex Scal. ex. 307. sect. 14.*
13. Relatorum essentia in mutua stat relatione, at ea relatio diuersa est iuxta terminos diuersos.
14. Alius enim est respectus patris ad filium, & alius vicissim filii ad patrem.
15. Hic mutuus respectus adeo firmus est, vt relata ἅμα τῇ φύσει Philosopho dicantur. *In Categor. cap. 9.*
16. Itaque in relatis τὸ πρότερον καὶ ὕστερον, prius & posterius nil loci inuenit. *Ex praeced.*
17. Itaque simul nascuntur & simul denascuntur. *Ex praeced.*
18. Itaq; protritum: Vno relatorum posito, etiã ponitur alterum, & vno remoto, etiam alterum.
19. Itaque in vere relatis, quæ intelligimus, respectus iste est quasi fixus & nunquam mutabilis, nisi alterutrum mutetur.
20. Tantaq; ob tantum respectum consensio, vt verius consentanea quam dissentanea dixeris.
21. Scribonius, quantum mihi memoriolæ, ea plane tollit, exempla in locum caussarum & effectorum reiiciens. *In triumpho.*
22. At falso. Exempla n. caussarum & effectorum recipiunt prius & posterius: relatorum autem non. *Ex aphor. 15.*
23. Polanus in ortorum album ea compingit, at minus polite.

24. Orta enim omnia primorum naturam imitantur. *Ram. lib. 1. cap. 24.*

25. At nulla primorum talem arguendi χρέιαν præ se ferunt, qualem ipsa relata.

26. Ramus inter dissentanea reponens contrariis subiecit.

27. Error vel triplex. I. Quia dissensio relatis nõ per se, sed ex accidenti tribuitur. *Ex aphoris. 8.*

28. II. Quia contrariorum vnum vni tantum opponitur. *Ex lib. 1. cap. 14.*

29. At relatorum vnum sæpe pluribus; vt pater non tantum filio, sed & filiæ.

30. Dicunt: filium & filiam reuocari ad vnum quoddam commune genus, cuius gratia patri fiat oppositio in contrarietate.

31. At non quæritur, quid patri communiter opponatur, sed quid in specie, & quomodo sese ad id in specie habeat.

32. Liberalitas est contrarium illiberalitatis: at duobus eius extremis seorsim perpensis non item. *Beurhus.*

33. III. Quia relata contraria statuere, in Theologiam non dicam crassum, sed impium est.

34 Quid multis? In consentaneis locum vltimum nos eis assignauerimus.

35. Post subiectum quidem, quia relate in subiectis. *Ex aphoris. 44. disp. h.*

36. Post caussas autem, quia & ipsa ex caussis sunt, & per caussas id, quod sunt. *Ex aphorism. 55. disput. 4.*

37. In relatis tria consideranda veniunt. *Flac. lib. 3. Dialect. cap. 15.*

38. Pri-

38. Primum est ipsa relatio, quæ consistit inter duo relatiua.*ibi.*

39. Differt autem relatio a relatiuo, tanquam abstractum a concreto. *Crell.*

40. Itaque relatio est forma & essentia relatiui. *Ex aphor.27.disp.9.*

41. Quot igitur sunt distincta relata, tot etiam distinctæ relationes. *Ex praced.*

42. Hoc est, pater decem habens filios, decem habebit paternitates, decē illis filiis respōdentes.

43. Nam alius est respectus eius ad filium minusculum, alius ad grandiorem, alii ad medios.

44. Estque omnis relatio in quodam absoluto. *Gocl. disp 9. Metaph.th.14.*

45. Et quidem in accidente absoluto immediate. *Gocl. ibid.*

46. Hoc accidens, quia sustinet relationem, fundamentum appellatur & materiale, relatio autem formale. *Crell.in Categ.pag. 65.*

47. Estq; fundamentum istud vel quantitas, vel qualitas, *Arist.7.Metaph.cont. 20.*

48. Hinc duplex subtilitas. I. Relationem esse rem præter notionem intellectus, hoc est, quiddam reale, licet sit debile quiddam. *Auerr.1.post. com.32.& 12.Metaph. cont. 19.*

49. II. Et esse aliud re ipsa a fundamento, contra Sophistarum somnia. *Scal. ex.6.sect.2.*

50. Sed cur relatio non est in substantia quapiam immediate? vel, quia omne absolutum est prius relato. *Ex aphoris.4. disp.h.*

51. Vel quia, vt Scholastici loquuntur, relatio est accidens infirmæ entitatis. *Thomas.*

52. Indiget igitur substantia, qua accidens est, fundamento autem, qua est accidens debile. *Gocl. d.disp.9.th.15.*

53. Cum igitur relatio non sit immediate in substantia aliqua, neq; relata inerunt. *Ex aphor.52.*

54. Secundum quod considerandum in relatis, sunt duo relata, quæ vocantur relationis termini. *Scalig.*

55. Absolutum enim, qua absolutum, nullam rationem terminat. *Crell. Categ.pag.61.*

56. Tertium, sunt duo subiecta deferentia relationem, vt de quibus relata prædicantur.

57. Itaque omne relatum connotat secum rem absolutam. *Goclenius disput.5. Metaphysicor. thes.20.*

58. Et fundamentum nullum sine termino, Et terminus nullus sine fundamento. *Ex aphoris.53.*

59. Fundamentum est, in quo fundatur & incipit relatio, terminus ad quem desinit & terminatur.

60. Sic pater est fundamentum, in quo oritur paternitas, filius autem terminus, in quem desinit: contra filius est fundamentum filiationis, pater eiusdem terminus.

61. Ergo vnũ idemq; & terminus & fundamentum diuerso respectu appellatur.

62. Hactenus de relatis. Comparata sunt respectiua, quæ inter se comparantur. *Ram.l.1.c.18.*

63. Rerum aut rationum comparatio non tollit earundem distinctionem: comparari enim non est confundi. *Vide Plat. in Phil.*

Imo

64. Imo omne comparatiuum positiuum & distinctiuum supponit. *Colleg. Conimbr. 2. de cœl. cap. 1.*

65. Comparatio omnis vel explicata vel contracta. *Ram. d. loc.*

66. Explicatæ partes protasi & apodosi distinguuntur.

67. Protasis est prior comparationis pars thema continens.

68. Apodosis autem posterior continens argumentum.

69. Omnis explicata duci quit in contractam, & omnis contracta reduci in explicatam.

70. Explicata tamen contracta est natura prior.

71. Vtriusque comparationis fundamentum vel quantitas est, vel qualitas. *Confer Scalig. ex. 307. sect. 21.*

72. Quantitas est, qua res quantæ dicuntur. *Arist. 4. Met. c. 15.*

73. Qualitas, qua res quales denominantur. *ibi.*

74. Per quantitatem & qualitatem nō entia Physica, quæ sic accidentia sunt, sed Metaphysica, quæ transcendentia intelligimus.

75. Itaq; comparata vel in quantitate sunt, vel qualitate. *Ex. 3. de anima.*

76. Comparata in quantitate vel paria sunt, vel imparia. *Conf. Arist. in Categ. c. de quant.*

77. Paria sunt, quorum est eadem quantitas. *Arist. 2. Metaph. c. 23.*

78. Hoc est, attributum quod in paribus est, limitū est æqualitate vel essentiæ, vel affectionis.

79. Exemplum prioris casus: Plato est æque homo, ac Aristoteles.
80 Exemplum posterioris: Ioannes est æque peritus ac Cunradus.
81. Nam de paribus, idem iudicium est: Et quod valet in re pari, idem quoq; in re compari. *Arist.*
82. Imparia igitur sunt, quorum quantitas est diuersa. *Ex th. 77.*
83. Suntq; maiora aut minora.
84. Maius est, cuius quantitas excedit. *Plato in Parmenide.*
85. Maius illud vel rei est, vel rationis, & probabilitatis. *Conf. Gocl. Inst. ad h. l.*
86. Maius rei est, cum maior rei quantitas attenditur.
87. Maius probabilitatis, seu rationis, cum maior rei probabilitas seu affectio spectatur.
88. Illud locum habet in dispositione axiomatica tantum, hoc & in syllogistica, & axiomatica.
89. Itaque argumentum a maiori ad minus est, cum antecedens continet affectionem magis probabilem, aut rationi consentaneam, consequens minus.
90. Itaq; a maiori ad minus semper negatiue cõcludimus. *Melanch.*
91. Itaq; iactatum axioma: si id, quod magis inesse videtur, non inest, nec inerit id, quod minus. *Arist. 2. Top. c. 4.*
92. Nobis itaq; a maiori non ducitur argumentum, cum antecedens continet rem maiorem, sed maiorem probabilitatem.

Argu-

93. Argumentum enim sic tertium (seu medius terminus) non integre, sed mutilate adhibetur. *Vide Dissert. apud Gocl. part 1. probl. log q. 48.*

94. Minus est, cuius quantitas exceditur. *Plat. d. loc.*

9.. Quod idem vt maius duplex est: minus rei, & minus rationis seu probabilitatis.

96. Quorum item illud in axiomatis, hoc in syllogismi & axiomatis dispositione animaduertitur.

97. Itaque hic perpetuo affirmate concludimus. *Confer aphoris. 91.*

98. Et axioma hic est. Si id, quod minus inesse videtur, inest, inest etiã id, q̃ magis. *Arist. d 2. Top.*

99. Similia sunt quorum est eadem qualitas *Arist. 5 Metaph. c. 15.*

100. Similia sunt, quatenus in ipsis est idem. 1. *Top. c. 14.*

101. Quot igitur modis idem dicitur, tot etiam similia dicentur.

102. Atqui idem dicitur quatuor modis: idem genere, idem specie, idem numero, & idem analogia seu accidente. *Vide Arist. 4. Met. c. 9.*

1.3. Quæ idem sunt accidente quopiam, maxime sunt similia. *Plac lib. 2. logic. gener. c. 15.*

104. Quæ idem specie & genere, minus; quæ numero idem, omnium minime. *Ex priori.*

105. Nam quæ idem numero, illa maxime sunt vnum & idem. *Arist. 1. Top. c. 6.*

106. Et nihilosecius tamen verum est: Nullam similitudinem facere identitatem. *Scalig. ex. 307. sect. 16.*

107. Nam omnis similitudo quantulamcunque distinctionem ante se ponit. *Ex aph.64.*
108. Estq; in similibus attributum prorsus liberũ & nulla æqualitate limitatum. *Ex aph.79.*
109. Probat omnis similitudo: & nulla, qua similitudo, claudicat: sed ex accidente.
110. Dissimilia sunt, quorum qualitas est diuersa.

Disputatio IX.

DE ABSTRACTIVO ET CONCRETIVO.

Respondente Sebaldo Krugio, Isenacensi.

CONiugatorum & Notationis genus τὸ Nominale neutiquam faciendum est. *Dissentit Talæus & Snell. ad h. loc.*

2. In coniugatis namq; non nominum, sed rerũ coniugatio est. *Ex Arist. Categ. c.1.*

3. Nec vero consentaneum, Coniugata & Notationem esse argumenta orta. *Cont. Rameos.*

4. Arguendi siquidem affectio eadem specie in his est, quæ in illis, vnde orta putantur.

5. At enim non nisi diuersa specie arguendi affectio, species argumentorum diuersas & oppositas efficit. *Ex aph.71. disp.6.*

6. Mittemus hæc quinto nos ad coniugata ipsa & Notationem daturi, & inde argumenta maximasq; petituri.

Et

7. Et quidem de coniugatis prius, de Notatione posterius agemus.
8. Illa quippe tantum consentaneorum sunt, hęc vero etiam dissentaneorum. *Goclen. libr. 1. Inst. log. cap. 21.*
9. Coniugata sunt res affines, vbi vna ab alia deducitur, & a nomine alterius denominatur. *Conf. Flac. l. 2. log. gener. p. 51.*
10. Sic dicta, quod semper aliqua significationis, sæpissime etiam vocis communicatione, sub vnum quasi iugum deuincta sunt. *Fonf. 7. Instit. log. cap. 16.*
11. Itaque in omnibus coniugatis necessaria est significationis communio, vocis autem communio non perinde. *Vide eleganter Flac. d. l. 2. log. gener. c. 3.*
12. Res sunt coniugata, non nomina, rerum enim hic origo & ortus, non nominum attenditur. *Fons. 1. Inst. Dial. c. 23.*
13. Itaq; coniugata, qua coniugata, entia logica non sunt, *Ex aph. 43. disp. 3.*
14. At res affines ideo non eædem prorsus: Nulla enim affinitas facit prorsus idem. *Scalig. ex. 307. sect. 16.*
15. Res sunt affines, non nomina affinia; affinitas enim rerum, non nominum, coniugationem procreat. *Ex aphoris. 9.*
16. Rerum autem illa societas, vel sæpissime nominum societate exprimitur, iccirco his deficiẽtibus, non protinus coniugata deficient. *Confer Philos. 2. Top. c. 3.*
17. Et vero societas in coniugatis est tan-

ta, vt vnum ſemper ſit, velut principium alterius. *Fonſ. lib. 1. Inſtit. Dial. c. 27.*

18. Itaque recte Goclen. in coniugatis alterum eſt principium, altera principiata. *1. Inſtitut. logic. c. 20.*

19. Itaq; omnia ad cauſſam & effectum reuocari ſe patiuntur. *Ex aphor. 17. diſp h.*

20. Coniugata aut primaria ſunt, aut ſecundaria. *Fonſ. d. lib. 7. c. 16.*

21. Primaria coniugata ſunt, quorum alterum abſtractum eſt, alterum concretum. *Ex Flac. 2. Dialect. c. 12.*

22. Omne abſtractum eſt denominans, & omne concretum denominatiuum. *Fonſ. libr. 1. Inſtitut. Dial. c. 25.*

23. De abſtracto prius; eſt enim ſuo concreto natura prius. *Fonſec. d. l. 1. c. 23.*

24. Id enim quod eſt, poſterius eſt eo, quo eſt. *Scal. l. 3. de cauſſ. latin. ling. c. 91.*

25. Atqui concretum eſt id, quod eſt, abſtractũ id, quo eſt. *Scalig. ibi.*

26. Quantum a quantitate eſt, ſi rem ſpectes: Contra quantitas a quanto, ſi vocem. *Id. libr. 1. de cauſſ. latin. ling. c. 65.*

27. Eſt itaque abſtractum concreti forma. *Ariſt. 12. Metaph. c. 3.*

28. In lupo, inquam, forma eſt, qua lupus eſt, & accidens, feritas, qua ferus eſt. *Scalig. ex. 201. ſect. 1.*

29. Itaque concretum nullum eſt ſine abſtracto, & abſtractum nullum ſine concreto. *Ex aphoriſ. 26.*

Abſtra-

30. Abstractum est forma, vnde subiectum aliquod denominatur. *Zabarella 1. posterior. p. 11.*

31. Itaq; abstracta exprimuntur nominibus, quæ simplicem significandi modum habent. *Conf. Gocl. 2. part. probl. log. q. 2.*

32 Sic humanitas significat solam humanitatẽ, quasi per se cohærentem extra hominem. *Fonsec. d. lib. 1. c. 23.*

33. Concretum autem est subiectum, quod ab abstracto sic denominatur. *Conf. aphorism. 30.*

34. Itaque concreta exprimuntur nominibus, quæ compositum significandi modum habent. *Ex aphoris. 31.*

35, Itaque & formam significant, & subiectum cum forma, vt vox, Homo, & humanitatem & hominem significat.

36. Omne concretum aut synonymum, aut paronymum est. *Gocl. 1. Instit. log. c. 21.*

37. Omne Synonymum essentialiter prædicatur, at omne paronymum accidentaliter.

38. Verbi gratia: Homo prædicatur essentialiter de Socrate: at album esse de eodem accidentaliter.

39. De subiecto inhærentiæ quicquid prædicatur, in concreto prædicatur, non in abstracto. *Vide Gocl. lib. 1 part. log. p. 110.*

40. De Deo tamen rectius longe abstracta, quam ipsa concreta enuntiantur. *Vide eleganter Scalig. ex. 365.*

41. Itaque abstracta non possunt esse genera concretorum. *Fonsec. 5. Metaph. cap. 28. quæst. 13. sect. 1.*

42. At abstracta queunt esse genera abstractorum.

43. Itaque abstracta prædicari de abstractis nihil absurdi inuehit. *Ex aphoris praced.*

44. Itaq; Simpliciter verum non est, quicquid predicatur, in concreto prædicatur. *Ex praced.*

45. Suntque abstracta non tantum accidentium, sed & substantiarum. *Gocl. d. part. 2. probl. log. quæst. 2.*

46. Abstracta accidentium latiorum, vt queunt esse genera abstractorum accidentium minus latiorum, sic abstracta substantiarum euadunt genera abstractorum, vt substantiarum minus late patentium. *Dissentit Caietan. de Ente & essent. cap. 4.*

47. Sicut genera substantiarum abstracta sunt, sic & species quæ ipsis generibus respondent. *Fons. d. 5. Metaph. q. 13. c. 18. s. 5.*

48. Attamen omnis abstractio est vltimata (vt aiunt) id est, in aliquod abstractius resolui nequit: seu abstractorum non dantur amplius abstracta. *Dissent. Scot. 1. dist. 2. q. 7.*

49. Idem enim omnino est ipsa animalitas atque natura, qua est ipsa animalitas: idem numero est ipsa humanitas & natura, qua est ipsa humanitas. *Fons. d. c. 28.*

50. At abstractum & concretum non sunt omnino idem. *Ex aph. 27. disp. h.*

51. Secundaria coniugata sunt concretum & modus aliquis seu casus, vt sapiens & sapere, vel sapienter agere. *Fons. l. 7. Inst. Dial. c. 16.*

52. Casus oriuntur a coniugatis primariis, seu con-

coniugatis proprie dictis, coniugata a casibus nō item. *Flac. l. 2. Dial. c. 12.*

53. Omnes itaq; casus coniugata sunt, sed non omnia coniugata casus. *Arist. 2. Top. c. 3.*

54. Itaq; positis casibus necessario ponuntur cōiugata: vt, *Grammatice loquitur. Ergo Grammaticus est Scheck. 2. Top.*

55. At positis coniugatis non necessario ponuntur casus, nisi illa ponantur in actu.

56. In secundariis coniugatis alterum quoq; est caussa alterius. *Ex aphoris. 19.*

57. Vtrumque autem est effectum illius, quod est abstractum.

58. Abstractum igitur est fons ceterorum coniugatorum omnium, & nullum vere coniugatum, nisi sit ab abstracto.

59. Ordo itaque in coniugatis est: primo abstractum, secundo concretum, tertio modus seu casus, vt vocant.

60. De primariis coniugatis verum est: Posito vno coniugatorum ponitur & alterum, & remoto vno remouetur & alterum. *Ex aphoris. 28.*

61. Ac vniuersale: Quicquid vni competit, etiam alteri suo modo, & quod vni non competit, nec alteri suo modo.

62. Hactenus de coniugatis: sequitur notatio.

63. Notatio est nominis e sua origine interpretatio. *Ram.*

64. Itaque nulla notatio est rei interpretatio. *Ex praeced.*

65. Quem ius sæpenumero in rei perceptionem & cognitionem euehat. *Scalig ex.1. sect. 1.*

66. Ex Notatione itaq; nomen cognoſcitur, ex nomine res. *Ex praced.*

67. At ex notatione nomen ſemper, & per ſe, ex nomine autem res non ſemper, nec per ſe.

68. Non enim ſemper nomina rebus reſpondent.

69. Vnius nominis plures poſſunt eſſe notationes, aliæ tamen aliis probabiliores & veriſimiliores. *Goel.*

70. Sic Parcæ aliis dicuntur, quod minime parcant; aliis, quod parcant. Vtraq; veriſimilis, ſed poſterior veriſimilior. *Scal.l.3. Poet.c 90.*

71. Attamen ἀδύνατον omne nomen notatione exp imi: fieret enim progreſſus in infinitum.

72. Quare ſubſiſtendum eſt in aliquo primo, qꝫ ceterorum ſit cauſſa, ipſius autem cauſſa ſit nulla, *Scal.l.3. de cauſſ. latin. ling.c.68.*

73. Omnis notatio vel eſt æqualis cum nomine, vel eo latior.

74. Si æqualis & cum nomine recurrens, vt libet, concludere licebit, *Fo ſec. l.7. Inſtit,*

75. Si latior, a nomine ad notationem tantũ affirmatiue ducitur illatio: vt teſtamentum eſt. Ergo mentis teſtatio. *Accurſ. libr.3. miſcell. iur. ciuil. cap 23.*

76. A ſpecie enim ad genus affirmate ſolum concluditur. *Vide Goel. part.2. probl. log. q.15.*

77. At nomen hic vt ſpecies eſt, notatio vt genus.

78. Igitur a notatione ad nomen tantum ducitur negatiua: vt non est mentis testatio. Ergo nec testamentum.

79. Negato enim genere negatur qualibet eius species. *Ex Zabarella libr. 2. de proposit. necessar. cap. 5.*

80. Itaque cui competit nomen, eidem & nominis notatio: & cui hæc detrahitur aut disconuenit, eidem & nomen ipsum. *Ex aphorisf. 74. & seqq.*

81. In nominibus propriis argumentum a notatione non est firmum, sed fallax. *Gocl.*

82. Omne enim nomen ratione & consilio impositum est, suadente id vel caussa aliqua rei manifesta, vel nulla. *Confer Scaligerum libr. 3. de causs. latin. ling. c. 68.*

83. Ergo ex naturalibus rebus non sunt enata, nõ in cœlo sata, non in terris compluta, & in ora hominum transfusa. *Scalig. exerc. 293.*

84. Itaq; nomen recte finitur: Nota rei ab animo facta. *Id. lib 3. de causs. latin. ling. c. 66.*

Disputatio X.

DE TOTO ET PARTIBVS.

Respondente Ioanne Ruperto, Eufilstadensi, Franco.

I.

PROXIMVM iam est, vt in doctrina totius & partium toti partibusque omnibus versemur,

iam ſexto argumenta & maximas inde arceſſentes.
2. Idque diſcriminatim a diſtributionis loco, cui eam qui mancipant penitus ſeruam philoſophiā profitentur. *Vide Biſterfeld. diſſent. lib. 1. ſua Dialect. ad h. l.*
3. Sic diſſeremus. I. Omne totum, qua totum, vnum quiddam eſſe debet: *vt diſſerit Fonſeca ex Ariſt. 4. inſt. Dial. c. 2.*
4. At totum qua diſtributum, non eſt vnum quiddam, ſed multa. ἔυδηλον.
5. Deinde partes aliter in diſtributione, aliter in loco totius & partium penſiculantur. Illic queq; ſeorſim & per ſe, hic cum relatione ad totum. *Conf. Cæſalp. l. 1. q. Peripat. q. 1.*
6. Ideo enim totum diuiſionem ſubit, vt eius partes quæq; ſigillatim inſpiciantur & diſtincte examinentur. *ibid.*
7. Et, ſi alia eſt definitio diſtributionis, & alia totius, vtrobiq; erit, & alia arguendi affectio.
Denique vt genus & differentia diſtinctis areis a definitione tractantur, quamuis neceſſario ingrediantur, ſic & totum & partes, tametſi ſine iis nulla ſit diſtributio, tamen ſine diſtributione eſſe poſſunt.
8. Totum autem eſt ens, quod partibus conſtat. *Conf. patrit. l. 1. pancoſmias.*
9. Itaq; omne totum eſt maius qualibet ſui parte. *Ariſtoteles 4. Met. c. 26.*
10. Nullum itaque totum eſt, quod vna conſtet duntaxat parte. *Ex prior. aph.*

Itaq;

11. Itaque nec integrum vnius membri, nec genus vnius speciei datur. *Goclen. part. 4. probl. logic. quæst. 4.*

12. Omne quippe genus diuiditur per oppositas differentias, & ab his diuersæ species constituuntur. *vide elegant. Zab. 1. post. c. 5.*

13. Si enim totum vnius partis concederetur, totum esset æquale parti, & pars toti, quod est contra aphoris. 9.

14. Omne totum prius cognoscitur, quam pars ipsius. *Scal. ex. 207. sect. 21.*

15. Omne quodcunq; sub totius notione sese offert prius cognoscitur, quam eius partes. *ibid.*

16. Sic tota alicuius rei facies, prius nobis occurrit indistincte, quam oculus aut nares. *Cæsalp. dict. q. 1. libr. 1.*

17. Omne totum partibus suis est æquale, & omnes partes æquales toti.

18. Adeoque æquales, vt inter totum & partes nulla intercedat natura tertia. *Cæsalp. dict. 1. quæst. 2.*

19. Itaque nec totum comprehendit partes, nec partes totum, sed est vna numero totius & partium comprehensio. *Ex aph. 17.*

20. Nec partes collectæ proprie constituunt totum, sed sunt totum, nec totum ex partibus collectis constituitur, sed ipsum est iam suæ partes collectæ.

21. Dicimus partes esse in toto: eæ tamen neque intus sunt, neque foris, neque continent, neque continentur, sed sunt cum illo toto idem. *Scalig. exerc. 307. sect. 39.*

22. Negamus itaq; etiam atq; etiam, totum a suis partibus etiam collectis differre reipsa. *Dissent. Colleg. Conimb. Physic. c. 2. q 1. art. 2.*
23. Vult enim, totum esse quiddam resultans ex congregatione partium, proindeque aliam entitatem ab entitate partium. *Conf. Iauel. 7. Metaph. quæst. 20.*
24. Nobis enim placet Commentatoris sententia dicentis, vnamquamq; partem esse aliud a toto, sed omnes insimul a toto non esse aliud. *1. Physic. comment. 17.*
25. Quę & ipsa ex Aristotele non inscite probationem & fidem accipit, cum inquit, animam & corpus esse animal. *2. de anima. c. 1. text. 9.*
26. Totum vel est Integrum, vel Καθόλυ seu vniuersale seu genus. *Conf. Arist. 5. Met. c. 25.*
27. Integrum Græcis σύνολον est, cui partes sunt essentiales. *Gocl. l. 1. inst. pag. 112.*
28. Speciatim hic partes membra vocantur: mẽbra enim cum integro & species cum genere relationem aut respectum sortiuntur. *Conf. Porph. in Isagoge cap. 2.*
29. Attamen κατ' ἐξοχὴν καὶ χρῆσιν integrum hoc totum, & membra partes vocitantur. *Conf. Zab. l. 2. apolog. c. 2.*
30. Ratio promitur a Piccolomineo, quia totum hoc est totum actu: constat enim ex partibus actu. *l. 1. Phys. ad cont. 4. pag. 124.*
31. At genus minus proprie est totum, quia species genus intrinsecus non constituunt. cum nõ actu, sed potestate in eo concludantur. *Ibid.*

Hinc

32. Hinc species magis est totum, quam genus, est enim species totum actu, genus vero potestate. *Ibid.*

33. Magis autem res esse dicitur, quando est actu, quam quando est potestate. *Zab. in Physic. lib. de natur. c. 7.*

34. Integrum est similare vel dissimilare. *Confer Flacium lib. 2. log. gen. c. 7.*

35. Integrum similare est, quod diuiditur in partes, specie seu essentia non differentes: dissimilare contra.

36. Integrum similare est prius, quia ex eo constat & componitur dissimilare. *Ex aph. praec.*

37. Propria totius dissimilaris nunquam possunt esse propria singularum partium: at totius similaris quin sint, impedit nihil. *Conf. Gocle. d. l. 1. c. de tot. & part.*

38. Membra sunt partes integri: hinc vulgo integrantes & partes quantitatis dicuntur. *Scal. l. 1. Poet. c. 9.*

39. Ista item vel similaria sunt, vel dissimilaria. *Arist. 1. de gener. anim. c. 5.*

40. Similaria, quæ eandem habent definitionem cum toto: dissimilaria contra. *Conf. Gocl. d. lib. 1. instit. log.*

41. Hinc maximæ. I. Posito toto integro, necesse est poni omnes eius & singulas partes. *Fonseca l. 7. inst. Dial. c. 18.*

42. II. Sublato toto integro, necesse est omnes partes tolli, vel aliquam saltem. *Conf. Arist. 6. Top. text. 38.*

43. Illud verum est, si integrum accipiatur pro

partibus compositis, quibus ipsum æquale esse diximus. *aph.17.*

44. Hoc autem de integro, quo ad partiũ vnionem seu compositionem. *Confer eleganter Zab. lib. de generat. & interit. cap.4.*

45. Totius enim vnione sublata, necesse non est interire singulas eius partes. *Zab. ibid.*

46. III. Quicquid affirmatur de toto, quatenus omnes partes comprehendit, idem quoq; affirmandum de partibus omnibus comprehensis, & vice versa.

47. IV. Et quicquid de illodem negatur, etiam de his, & vice versa.

48. Positis omnibus partibus integrantib', ponitur totum. *Ex 3. Top. cap.2.*

49. De partibus hoc coniunctis, non diuisis intelligendum est. *Fonseca dict. lib.7. instit. log. 17.*

50. At sublata quacunque parte integrante tollitur totum. *Arist. d. loc.*

51. Quod de parte principali aliqua aut necessaria accipiendum *Conf. Gocl. d. lib.1. Inst. log.*

52. Genus est totum, quod prædicatur in quid de partibus seu speciebus. *Porphyr. in Isagog. c.2.*

53. Omne enim vniuersale totum quiddam est. *1. Phys. cap.1. con. 4.*

54. At genus est vniuersale quiddam, & rationem caussæ habet. *Zab. lib.3. de method. cap.19.*

55. Cum prædicetur in quid, necesse est omne esse essentiale constituens. *Conf. eundem lib. 1. de propos. necess. cap.5.*

56. Quod itaq; essentiale constituens non est, nec genus est. *Ex præced.*

57. Nul-

57. Nullum genus est quicquã præter suas species. *Arist. 7. metaphys. cap. 11. tex. 43.*

58. Et omne est in singularibus, non vt tota eorum substantia, sed vt pars substantiæ. *Zabarell. 2. post. cap. 12.*

59. Itaque si singularia realia sunt, & extra mentẽ, etiam vniuersalia realia erunt, & extra mentẽ. *Scalig. ex. 307. sect. 22.*

60. Intellectus enim noster nihil affert ad genus & speciem, nisi prædicabilitatem. *Scal. ibid.*

61. Genus vel supremum γενικώτατον, vel subalternum seu ὑπάλληλον. *Porphyr.*

62. Genus generalissimum est, cuius nullum est genus. *Ibid.*

63. Itaque genera generalissima definiri nequeunt. *Zab. 1. post. c. 13. ad tex. 104.*

64. Tale genus generalissimum in qualibet inuenitur Categoria. *Porph. dict. cap. 2.*

65. Et ita comparatum est, vt cum specie eiusdem censeatur Categoriæ. *Arist. 4. Top. cap. 1.*

66. Itaque trascendentia vera genera non sunt, *ex prior.*

67. Subalternum est, quod genus quidem est inferioris, & species superioris.

68. Itaque omne genus subalternum est etiam species, & omnis species subalterna est etiam genus.

69. Et omne est medium inter indiuiduum & genus generalissimum.

70. Itaq; genus & species subalterna definitionis sunt capacia.

71. Species est pars generi subiecta, hinc pars subiectiua nominatur. *Gocl.part.2.prob. log.q.5.*
72. Omnis species totam generis naturam in se continet. *Scal.l.5.de causs.latin. ling. c.110.*
73 Nulla tamen species, vnica quidem ea, totam generis, qua genus est, naturam conseruat. *Fons. 5. Metaph.c.28.q.16.sect.3. Confer. Zabarell. 1.post. text.38.*
74. Species vel subalterna est, vel infima, sicut genus subalternum est, vel supremum. *Ex aph.61.*
75. Subalterna est, quæ est species superioris, genus inferioris, vt homo est species animalis, sed genus Socratis. *Vide dissent. apud Gocl.part.2 prob. logic.q.17.*
76. Species infima est, quæ in alias species est indiuidua. Græcis ἄτομον.
77. Species omnium perfectissima, imperfectior subalterna, genus summum imperfectissimum. *Zab.l.2.de prima rer.mat.c.19.*
78 Posito genere necesse est poni aliquam speciem per diuisionem euolutæ. *Flac.l.2.log. genera. cap. 7.*
79. Et quicquid affirmatur aut negatur de genere, etiam de specie. *Confer Goclen.part.2.probl.logic. quæst.21.*
80. Et cui genus non competit, eidem nec species. *Id.l.1.Inst.log.pag.133.*
81. Et, posita specie, necesse est poni genus. *Arist.2. Top.c.2.*
82. Et, quicquid affirmatur aut negatur de specie, affirmabitur item & negabitur de genere, sed particulariter. *Gocl.l.1.part. log.p.32.*
83. Deniq; quicquid asseritur, aut negatur de

ſpeciebus vniuerſis, etiam de genere aſſerendum aut inficiandum eſt. *Ex aphor. 22.*

84. Tantum de ſcitiſſima totius & partium doctrina, ad definitionis iam & diſtributionis, adeoq; teſtimonii συζήτησιν accelerandum eſt.

Diſputatio XI.
DE DEFINITIONE, DISTRIBVTIONE, ET TESTIMONIO.

Reſpondente Adamo Goldeiſſen/ *Thurnauienſi, Franco.*

I.

ET vero, ſi quid ad ſcientiam ſcalas apparat, ipſa definitio & diſtributio apparabunt. *Cæſalpinus l. 1. q. Peripat. q. 1.*

2. Hinc Socrates apud Platonem eum, qui ſingula conuenienter diſtribuere, & prudenter definire poſſit, ſe tanquam DEI veſtigia ſecuturum pronũciat. *Plato in Phædro. Conf. Gocl. p. 1. prob. lo. pa. 36.*

3. Ad illa igitur duo, ſicut & ad Teſtimonium nos dabimus vltimo, inde etiam argumenta & maximas petituri. *Conf. diſp præced. aphor. 1.*

4. Ex prioribus autem duobus definitioni, ſiue dignitatem eius, ſiue ordinem naturæ, quem maxime in diſciplinis attendimus, ſpectes, principem conſtituimus locum. *De qua re latius diſp. de method.*

5. Dignitatem quidem & præſtantiam, cum omnes ſcientiæ proprie & per ſe per definitiones comparentur. *Ariſt. 2. poſt. c. 17.*

6. At nulla scientia proprie & per se per distributionem comparatur, sed ex accidenti. *Conf. Zab.lib.4.de Method.cap.13.*

7. Quo etiam nomine definitio omniũ anchorarum firmissima dicitur. *Scal.ad Card.ex.110.s.1.*

8. Ordinem naturæ vero; quia in definitione componimus; in distributione resoluimus. *Vide Scal.lib.7.poet.cap.4.*

9. Atqui in compositione rei procedimus a caussis ad effectum; in resolutione contra ab effectu ad caussas. *Zabar.proœm.1.posterior. analyt.*

10. Adde', quod definitio cognosci potest sine distributione, at distributio sine definitione non item, *Confer Raph.6. disp.h.*

11. Denique nihil est, quin definiatur (late vsurpamus vocem eam) sed infinita sunt, quæ distributionem effugiunt.

12. Illud quidem; quippe definitio artis quasi caput est, cor & pes; vt enim a definitione incipit, sic per definitiones progreditur, & tandem in definitione desinit.

13. Hoc vero; quia si omnia & singula, perinde vt definiri queunt, distribuantur etiam; omnis pars haberet partes, & fieret progressus in infinitum, qui absurdus. *Arist.8.Phys.*

14. Et vtriusque consideratio propria non tam logicæ, quam metaphysicæ operæ subiicitur, *vide Zabarellam eleganter d.lib.4.de Meth. cap.12.& 20. Dissent. Talaus ad hunc loc.*

15. Definiri enim res non possunt nisi per genera & differentias, quas a natura accepere, *Guiliel. Budæus Comment. Græcæ linguæ. pag.707.*

16. Nec

16. Nec de distributione res in obscuro est. Distributio enim omnis est mentis actio: at nulla mentis actio res logica est. *Ex disp. 2. th. 22.*
17. Qualis autem definitio & distributio mentis actio sint, primane an secunda, prægnanter inter Peripateticos dubitari video. *Conf. Zabarell. l. 3. de Method. cap. 12.*
18. Nos perinde vt definitionem, sic & distributionem ad primam mentis operationem pertinere asseueramus. *Vide Arist. 1. post. cont. 14. & 80.*
19. Quicquid enim secundæ operationis est, in eo aliud de alio enuntiatur. *Scal. ex. 307. sect. 2.*
20. At in distributione & definitione aliud de alio non enuntiatur. *Ex 2. post. c. 3. text. 2.*
21. Vtraq; secundæ operationis sunt, si distributio cum distributo, & definitio cum definito suo coniungatur. *Zab. 1. post. ad cont. 81. & 103.*
22. Definitio est λόγος seu oratio, quæ essentiam rei naturamue declarat. *Arist. 2. post. tex. 10.*
23. Itaque omnis definitio explicat quid res sit. *Ex præcedent.*
24. Itaq; in omni definitione genus aliquod rei, quam definire vel describere volumus, exprimẽdum est, *Zab. l. de conuers. dem. c. 4.*
25. Et præterea aliqua differentia, quæ generis naturam determinet, apponenda. *Ex. 6. Top. c. 6.*
26. Definitio enim sine differentia, quæ potior pars est, non est definitio. *ex aph. 22. disp. h.*
27. Priorem locum debet obtinere genus, posteriorem differentia. *Gocl. l. 1. instit. log. p 277.*
28. Quo enim quidq; communius est & notius, eo magis præcedit. *Arist. 1. Phys. c. 1.*

29. Atqui genus est communius & notius differentia. Hieronymus Sauonarola. *Epitom. vniu. Phil.concl.12. l.3.*
30. Itaq; omnis definitio duplici minimum conceptu apprehenditur. *Fons.5. Met.cap.7.quæst.8. sect.3.*
31. Per hoc enim a suo definito distinguitur. *Fonsec.ibid.*
32. Itaq; definitio non tantum quid res sit, sed & qualis sit, declarat. *Ex aph.25.*
33. Nec tantum qualis sit in indiuiduis, sed etiam qualis esse debeat, vt recta ratio & lex diuina requirit.
34. Id quod in Ethicis & Theologicis, in quibus varie mentem nostram aberrare contingit, vt plurimum obseruare est.
35. Virtutes, inquam, Ethicæ & Theologicæ definiuntur, vt sunt scilicet in rectæ rationis & legis diuinæ præscripto, licet in homine nullæ co pacto reperiantur.
36. Etiamsi nullus homo sit iustus, tamen iustitia est habitus animæ distribuens secundũ rectã rationem, ab humanitate, quæ est hominis essentia, dimanans & pendens. *Scal.ex.71. sect.1.*
37. At enim vt melius natura definitionis in genere percipiatur, paucula quædam præcepta tum ad definitum, tum ad definitionem constituenda sunt.
38 Ad definitum hæc sunt. I. Definitum non debet fieri pars definitionis. *Flac. l.4. Dial.c.14.*
39. Idem enim per idem non est definiendum. *Sauonarola d. l.3 log.concl.9.*

II. Omne

40. II. Omne quod definitur, propinquum esto, non remotum. *Fons. l. 5. Inst. Dial. c. 8.*
41. III. Omne definitum vnius essentiæ esse debet *Arist. 7. Met. c. 12. text. 42.*
42. Nam vnius rei vna definitio, & plurium definitiones plures. *Arist. 2. Metaph. cap. 3. tex. 10. & 7. Top. c. 2.*
43. Itaque nec vllum æquivocum est definiendum, nisi distinguatur. *Arist. 6. Top. c. 2.*
44. Ad definitionem hæc. I. Omnis definitio perspicua esse debet, docendi enim & sciendi gratia instituitur. *Arist. 5. Top. c. 1.*
45. Itaq; ex obscuris & ambiguis, nisi distinguātur, nihil definiendum est. *2. post. c. 15.*
46. II. Omnis definitio cum definito recurrat & conuertatur. *6. Top. c. 1.*
47. Definitio enim & definitum sunt vnum numero. *Zab. l. 3. de Met. c. 12.*
48. Itaq; cui competit definitio, ei & definitum, & vicissim. *Zab. l. de nat. log. c. 4.*
49. Et contra, cui non competit definitio, ei nec definitum, & vicissim. *Gocl. l. 1. part. Log 87.*
50. Et quicquid affirmatur aut negatur de definitione, etiam de definito, & vicissim. *Ex aph. 48.*
51. III. Non est necesse, vt quæ in definito sunt, ea illico omnia sint in definitione. *Scalig. exerc. 5. sect. 6.*
52. Definitio vel est perfecta, vel imperfecta. *Cōf. Zab. l. 4. de Meth c. 13.*
53. Vtraq; vel substantiarum est, vel accidentiū. ibid.
54. Perfecta substantiarum definitio constat ex

68. Perfecta accidentis definitio est, quæ constat ex genere, subiecto & caussa aliqua externa, vnde accidens dependet, & per quam mediate inest in subiecto. *Zab. ibid.*

69. Itaq; accidentis perfecta definitio non datur sine subiecto, seu, vt aiunt, accidentia definiuntur per additamenta; accidentis enim esse est inesse. *Gocl. l. 1. Inst. log. pa. 307.*

70. Verissima enim propositio: Omne accidens definitur per subiectum, vel expressum vel intellectum.

71. Sæpe omittitur, quia animo præcipitur, vt satis notum, vel quia definitum & nominatū subiectum non habet. *Ibid. pag. 301. Gocl.*

72. Requiritur etiam caussa externa, quia animus sapientis in cognitione quidditatis eius non cōquiescit, nisi cognita caussa, vnde est illa quidditas. *Auerr. in calc. 6. comm. 2. post.*

73. Distributio est oratio, qua totum in partes tribuitur. *Fons. 4. Inst. Dial. c. 7.*

74. Itaq; diuisio, vocabulo accurate accepto, nulla, nisi vel integri in membra, vel generis in species, *vt eleganter disput. Bisterfeld. ad h. loc.*

75. Reliquę enim vel ad has duas reducuntur, vel non sunt veræ diuisiones.

76. Est itaq; distributio, vel partitio, vel diuisio.

77. Partitio est, cum integrum in membra tribuitur. *Gocl.*

78. Diuisio est, cū genus secatur in species. *Idem.*

79. Axiomata igitur hic nobis ob oculos habenda. I. Quicquid distribuitur, aut in membra distribuitur, aut in species.

80. II. Diuiſio tunc recte facta dicitur, cum mẽbra id, quod diuiditur, adimplent. *Zab.l.1. de propoſ.neceſſ. c.5.*
81. Itaq; diſtributionis cum diſtributo debet eſſe reciprocatio. *Fonſ.d.l. 4.c.10.*
82. III. Quantum fieri poteſt, diſtributio facienda eſt in partes diuidentes proximas. *Ariſt.2.poſt. c.5. & 14.*
IV. Quæ diuidunt genus, non debent opponi iuxta affirmationem & negationem. *6. Top.c.3.*
83. Negatio enim ea efficit, vt partes diuiſionis excedãt diuiſum, quod eſt contra aphoriſmum, *79 diſp.h.*
84. Duas ob cauſſas negationibus vtimur in diuiſionibus, primo vt faciamus diuiſionem neceſſariam, quam nemo negare poſſit. *Fonſec.*
85. Secundo: quia ſæpe caremus nominibus poſitiuis, quo fit, vt ad negatiua ſit confugiendum. *Sauonarola concl.5. Epit. log. l.2.*
86. Sed hac lege, vt affirmatio primo, negatio ſecundo ſtatuatur loco. *Ibi Concl. 6.*
87. V. Partes diuiſionis cum toto conſentiant, inter ſe autem vel re vel ratione diſſentiant. *Scal. exer. 254.*
90. VI. Diuiſio, ſi quidem haberi queat, bimembris eſto. *Sauonarol. d.l.concl.11.*
91. Hæc de definitione & diſtributione, paucula etiam pro re nata de Teſtimonio dicemus.
92. Teſtimonium eſt oratio a teſte facta, ad rem aliquam confirmandam aut deſtruendam. *Conf. Titelm.l.5.Dial.c.33.*
93. Itaq; teſtem, vt ſuum correlatum non reſpicit, ſed rem teſtificatam, aut teſtificandam.

94. Testimonium enim testis effectum est: effectum autem & caussa argumenta sunt artificialia. *Ex disp.4.*
95. Et omne testimonium in simplici affirmatione aut negatione consistit. *Beurhus. in disq. ad h.l.*
96. Et per se diuisionis est expers, sed cum artificialibus locis coniunctum diuiditur. *Ibid.*
97. Hoc non per se arguit, sed artificialis alicuius robore munitum. *Ram.*
98. Sed vt caussa per accidens indiget aliqua caussa per se, vt agat, sic Testimonium auctoritate quapiam, vt arguat. *Fons. l.7. Inst. log. c.35.*
99. Itaq; artificiale non est de forma seu essentia testimonii. *Contra Bisterfeld. ad h. loc.*
100. Diuinum firmissimum est, humanum eatenus firmum, quatenus auctor & exactam rei sciētiam, & veritatem, quæ vtraq; cum recta ratione coniuncta, possidet.
101. Scientia propterea requiritur, vt scias quid dicas, veritas autem ideo, vt velis, iuxta ac intelligis proloqui. *Fons. d. l.7.*
102. Quibus duabus conditionibus, si testimonium hominis polleat, tam ex hoc, quam ex diuino affirmate & negate concluseris.
103. Affirmate concluditur, quando testis testatur, rem ita sese habere: vt Aristoteles scientia & veritate nixus affirmat: quatuor esse elementa. *E. sunt: Et contra.*
104. Negate: vt Aristoteles & sic nixus testatur, animam non esse mortalem. *E. nec est.*

7. Quæ tamen iſtorum gradus conſtituit, vt vnum omnium ſit ſummum & ſupremum, vnde ceu ex communi ſemine reliqua vniuerſa ſeriatim proſeminantur. *Vide Philoſ.4.Metaph.c.3.*

8. Intelligis, opinor, propoſitionum dignitatem, ad quam iam bona aui, quod dicitur, prouolandum, nil tamen ἀτάκτως καὶ συγχύτως. Omnis enim ordo doctrinam & perſpicuitatem parit. *Zab.lib.1.de Meth.cap.11.*

9. Huc igitur vſque cum de inſtrumentis inueniendi diſſeruerimus, ea quæ diſponendi dicuntur, ſubſequa fuerint. *Conf.diſp.2.aphor.66.*

10. Illa enim primæ mentis operationi, quæ eſt ſimplex, hæc ſecundæ, itemq; tertiæ, quæ vtraq; complexa eſt, reſpondet. *Zab.lib.2. de nat.log. c.3.*

11. Atqui omne ſimplex natura prius eſt complexo: τὸ ἁπλοῦν τῶν συνθέτων τῇ φύσει πρότερον. *Ariſt. 2.de cœlo.c.4.tex.22.*

12. Diſponendi inſtrumentum vel Noeticum eſt, vel Dianoeticum. *Conf.diſp.13.Aph.1.& 2.*

13. Noeticum præcedet, quia licet compoſitum ſit, tamen Dianoetico ſimplicius eſt. *Ex Aphor. 10. diſp.h.*

14. Per Noeticum fit declaratio, per dianoeticum probatio. *Beurhuſ.part.1.pædag.log.ad.h.l.*

15. Noeticum eſt, quo thema ſimplex cum argumento ita diſponimus, vt in eorũ diſpoſitione appareat veritas. *Confer diſp.13.Aphor.8.*

16. Huius enim inſtrumenti finis proximus & adæquatus non eſt veritas illa, quæ ſimplicium eſſe aſſeritur, ſed quæ in compoſitione aut diuiſione conſiſtit, *Ariſt.lib.periherm.c.1.*

17. De qua veritate paulo inferius verbosiuscule dicturi sumus. *Aphoris.52.*
18. Falsitatẽ non addo, quippe cum nulla sciẽtia, nullaq; facultas finem malum sibi propositũ habeat. *Arist.1.Eth.ad Nicom.c.1.Scal.ex 326.*
19. Logica enim porrigit instrumenta nõ ad male, sed ad bene disserendum. *Conf.aph.6. disp.2.*
20. Sed & hoc subpostea rotundius intelligetur, vbi ipsum axioma finierimus, & ipsius proprietates explicauerimus. *Vide aph.25.*
21. Axioma hic, quod præmonendum, non est logicum instrumentum, sed est quiddam a logico instrumento, Noetico scilicet, fabrefactum. *Ex simili Zabar.lib.2.de nat.log. cap.7. Conf. & thesin.10. disp.13.*
22. Sed est ens reale, perinde vt actus ille intelligendi secundus. *Chrysost.Iauel.6. Met. q.13.*
23. Quamuis nullum vspiam axioma proprie sit præterquam in sola mente. *Scal.l.4. Poet.c.1.*
24. Exsistentia enim alicuius rei in mente realitatem eiusdem non impedit illico. *Confer Gocl.in Isagog. Metaph. pag. 20.*
25. Et sic finietur: Axioma est thematis simplicis cum argumento, in qua consistit veritas, dispositio. *Conf.aphor. 8. disp.seq.*
26. Vulgo propositionem dictitant, sed non ita recte: Propositio enim dicitur tanquam proposita conclusioni. *Zab. 1.post.anal. ad cont.13.*
27. Axiomatis vocabulum, omnium, quantũ est, conuenientissimum. *Conf Talæum ad h. loc.*
28. A vocabulo, ἄξιον ᾽ξίωμα, id est, vt ait Scaliger, sententia, quæ omnium consensu digna est,
vt

vt suapte natura sine vlla probatione vera credatur. *lib.4.Poet.cap 16.Zab. d.l.1.ad cont.14.*

29. Quod si ad quamuis enuntiationem, quod facit Ramus, adhibeas, eius dignitatem, contra omnes vetustiores Philosophos, nimium quantū attriueris.

30. In omni axiomate reperitur thema simplex; sicut in Syllogismo thema seu quæstio complexa. *Ex aphor.8.d.disp.13.*

31. Thema istud simplex non excludit terminorum multitudinem, sed thematis, quale ad syllogismum affertur, comprehensionem & compositionem. *Vide aphor.33.disp.6.*

32. Sicut neque argumentum hic vnicus tantū terminus est, sed & multiplex esse potest, pro vno tamen generali putatur. *Ex 5. Top.c.vltimo.*

33. Thema simplex & argumentum talem compositionem admittunt, quæ adhuc simplicē conceptum facit. *Vide Zab.2.post.anal.ad cont.16.*

34. Igitur firmum statuimus, in nullo axiomate siue simplici, siue composito, duas integras ꝑpositiones, quarum vna locum antecedentis, altera locum consequentis teneat, reperiri fas esse: *Conf.Libauium.Dialog.2. Dial.pag.206.*

35. Id quod ipsum analysis, quam in copulato, de quo lis, instituimus, quam luculentissime oculis subiiciet. *Vide aphor. 175.*

36. Et in omni dispositione axiomatica consistere debet veritas. *Conf.Zab.lib.1.de prop.necess c.6.*

37. Simplicium enim conceptionum conueniens & decens dispositio propositionem constituit. *MocenEtus Contempl.2.part.3.cap.1.*

38. Itaque legitima & decens antecedentis & consequentis dispositio axiomatis cuiusque forma est. *ex apho. prior.*

39. Itaque axioma falsum ita est axioma, sicut homo mortuus est homo. *Ex aphoris. 85. disp.* 4.

40. In axiomate enim falso thematis & argumenti, conceptuum simplicium, aptitudo & affectio non seruatur, quod est cõtra *aph.* 37. *disp. h.*

41. Vniuscuiusq; enim propositionis constitutio pendet ex aptitudine simplicium conceptuum. *Mocen. part. 2. contempl. 2. c. 1.*

42. Ideoq; in omni axiomate falso falsa & sophistica disponũtur argumẽta. *Ex Aph. 40. disp. h.*

43. At quæ natura coniunxit in rebus, ea & nos per artem coniungere, & quæ disiũxit, eadẽ ea & nos diuidere per artem tenemur. *Scal. lib. 7. de causs. latin. ling. c. 142.*

44. Itaq; veritatem cuiusq; axiomatis ꝓpriam affectionem, vt quæ legitimam dispositionẽ sequitur, constituimus. *Ex aph. praced.*

45. Itaque ei inest immediate primo & per se. *Ex Arist. 1. post. c. 5. tex. 43.*

46. Itaq; ab axiomate, ipsius essentia salua manente, tolli nequit. *Ex aphor. 82. disp. 45.*

47. Dispositio autem illa, in qua inest affectio, immeditate inest in antecedente & consequente. *Ex aph. 90. disp. 4.*

48. Antecedens autem & consequens sunt in mente, itaque & dispositio & veritas. *Ex aph. 96. disp. 4.*

49. Itaque recte Philosophus verum & falsum

non

non in rebus esse, sed in mente, pronunciat. *6. Metaph. tex. 8.*

50. Hęc veritas vulgo complexa dicitur. *Arist. 9. Metaph. tex. 21. & 3. de anima tex. 26.*

51. Quib⁹ in locis apertam etiam simplicis veritatis mentionem facit, vt enim vnumquodq; est ens, ita & verum est. *Arist. 2. Metaph. tex. 4.*

52. Est autem complexa, vt illam ceu alieniorem omittamus, veritas, affectio dispositionis axiomaticæ, cum rerum inter se habitudine seu aptitudine congruens. *Conf. aph. 41. & 45. disp. h.*

53. Forma igitur interna veritatis complexæ est congruentia dispositæ propositionis cum rerum inter se aptitudine. *Ex præced.*

54. Aptitudo autem rerum inter se huius congruentiæ est caussa & exemplar. *Ex præcedent.*

55. Quocirca verissime a Philosopho dictum, vera oratio minime est caussa cur res sit, sed res poti⁹ caussa est, cur vera sit oratio. *In post. præd. c. 2.*

56. Huc commune Philosophorum pronunciatum; veritas est in rebus vt caussa, in oratione externa vt in signo, in intellectu autem vt in subiecto. *Caietan. 1 q. 16. art. 6.*

57. Ex eo enim quod res est, vel non est, conceptus ver⁹ vel falsus dicitur. *Za. 1. post. ad cōt. 194.*

58. Subtilius tamen fortean dixerimus, non res ipsas esse caussas, cur propositio aliqua sit vera, sed rerum inter se talem vel non talem habitudinem seu affectionem. *Ex aphoris. 41.*

59. Hanc habitudinem cum intellectus intuetur in propositione fabricanda, veram propositionem constituet. *Cons. aphor. 43.*

60. Itaque habitudo a rerum vel iungendarum vel seiungendarũ est caussa exemplaris, seu idea, seu forma propositionis constituendæ, & iam constitutæ examinandæ. *Vide elegantur Piccol. 2. Phys. pag. 293.*

61. Exemplaris ea caussa nihil est aliud, quam idea, quam artifex imitando in operatione exprimit. *Heinricus Gandauens. quodlib. 9. quæst. 1.*

62. Huius exemplaris caussæ expressio est forma propositionis factæ. *Confer Colleg. Conimb. 2. Phys. c. 7. q. 4. art. 1.*

63. Quæ expressio est illa congruentia propositionis cum rerum inter se aptitudine, qua de Aphoris. 53.

64. Vnde nobis subtilitas emergit, ideam ipsam non esse caussam formalem, sed efficientem; ideæ autem illius expressionem esse formalem caussam, non efficientem. *Vide digladiantes Valles. controuers. Phys. q. 13. Alb. Magn. in 1. dist. 20. artic. 1.*

65. Cum itaque propositio falsa careat ea congruentia, & istius ideæ expressione, forma quoque carebit; proindeq; non erit propositio. *Ex aphoris. 103. disp. 3.*

66. Partes axiomatis sunt duæ: Antecedens & consequens. *Confer Goclenium in partit. ad h. loc.*

67. Illud nos thema simplex, hoc argumentum nuncupauimus. *Aphoris. 25. disp. h.*

68. Tot enim sunt axiomatis partes, in quod axioma resoluitur. *Consec.*

69. At omne axioma in duas tantum partes resoluitur. *Cons. 6. Instit. Dialect. c. 9.*

70. Partes illæ sunt antecedens & consequens.

vulgo subiectum & prædicatum, quæ vocabula ad composita etiam transferri posse analysis infra ostendet.

71. Subiectum est prius axiomatis membrum, de quo aliquid prædicatur. *Fons. lib. 1. Inst. Dialect. c. 14.*

72. Prædicatum est alterum axiomatis membrum, quod de subiecto prædicatur. *ibid.*

73. Subiecti officium est, manifestationẽ a prædicato recipere, *Philip. Mocenic. cont. 2. part. 2. c. 1.*

74. Prædicati autem, manifestationem seu lucẽ inferre. *Idem.*

75. Itaque copula nulla axiomatis pars est. *Ex aphoris. 70.*

76. Si enim esset, aut materialis esset, aut formalis. *Ex Philos. 2. de anim. c. 1.*

77. At materialis non est. Materiales enim sunt tm̃ subiectum & prædicatum, assentientibus omnibus. *Vide Iacob. Scheck. lib. peri her. & Matthiam Fiac. lib. 4. log. general. c. 2.*

78. Nec formalis: esset enim axiomatis pars præcipua. *Ex aphoris. 88. disp. 4*

79. Et esset argumentum. At argumentum non est. *Gocl. part. 3. prob. logic. q. 20.*

80. Totum enim & pars sunt eiusdẽ classis. *Zab. lib. 2. de nat. log. c. 5.*

81. Mirum sane videatur aliquid esse partem, & tamen non esse argumentum.

82. Atqui omnis pars, omnis forma argumentum est. *Ex Ramo.*

83. Et aliquid significaret; at nihil significat: id quod recte diuinus vir Aristoteles nempe ani-

maduertit, *vt ait Scal.lib.5.de causs.latin.ling. c. 112.*

84. Nec Peripatetici, quantū longissime meminisse possum, copulam vnquam vel formam vel partem appellarunt, sed prædicatum formæ & subiectum materiæ instar esse profitentur. *Za. 1.post.ad cont.200.& 2 post.ad contex.45.*

85. Et Pacius τὸ Est non esse partem enuntiationum a subiecto & attributo distinctam, multis ostendit rationib'. *Cap.10. Comm.lib.περὶ ἑρμην.*

86. Et qui id propositionis integræ forma esse queat, quod sæpenumero a subiecto vt parte vna materiali remouetur. *Ex aph.109.disp.h.*

87. Itaque nulla copula tropum sustinere potis est.

88. Ad propositionem tamen ita necessaria est, vt nulla sine ea consistere possit. *Ex aph.90.*

89. Estque eius officium, manifestationi subiecti inseruire. *Mocen.d.part.2.cont.2.cap.1.*

90. Itaq; prædicatum, nisi copula sit adiuncta, vel ei inclusa, nihil manifestat. *Ex præcedenti.*

91. Per hanc copulam potissimum verbum intelligimus: Nulla enim propositio sine verbo est. *Gocl.d.part.3.q.20.*

92. Hactenus de axiomatis partibus, sequuntur iam ex lege Methodi species. *Ram.lib.2.Dialect.c.18.*

93. I. Omne axioma aut affirmatum est, aut negatum. *Flac.dict.lib.4. Logic.general.cap.2.*

94. Omnis oratio statim a suis primordiis in affirmatiuam & negatiuam diuiditur. *Scal. lib. 9 de causs.lat.ling.cap.158.*

95. Itaque

95. Itaque interrogatio, seu quæstio, & orationes imperantes & optantes quicquam, axiomata seu propositiones non sunt. *Ex aph.92.*

96. Affirmandi enim & negandi virtute destituuntur. *Ex d.aph.92.*

97. Omnis enim propositio ab aliquo certo Esse deduci debet. *Mocenic.dict.cont.2.pa.2.c.6.*

98. Ipsum autem *esse* ex sola asserendi virtute deducitur. *ibid.*

99. Estque diuisio ista non subiecti in adiuncta; sed generis in species per differentias essentiales. *Ex aphoris.73.disp.11.*

100. Affimatio enim & negatio, in quib. ceu subiectis veritas inest, axiomatis affirmati & negati differentiæ sunt essentiales. *Ex aph.27.disp.9.*

101. Et adiuncta nulla totum constituunt, nec eius partes sunt. *Zab.in phys.lib.de gen.& inter.c.4.*

102. At distributio est, quando totum in partes diuiditur. *Ex d. disp.11.*

103. Affirmatum prius negato est, quia affirmatio est instar habitus, negatio instar priuationis. *Scalig.ex.6.sect.2.*

104. Affirmatio tamen difficilior est negatione. *Mocen.d.part.2.Contempl.2.c.6.*

105. Sicut difficilius est construere rem, quam destruere. *Arist.7.Top.c.3.*

106. Nam constructio rei perfecta requirit omnes partes, ad destructionem autem, vel vnius partis principalis sufficit amotio. *Hiero. Sauonarola Epit.log.lib.9.conclus.21.*

107. Affirmatum axioma est, quo aliquid *esse* affirmatur, vt homo est animal. *Flac.*

108. Vbi τὸ animal non solum; sed ipsum ESSE animal affirmatur & prædicatur de homine.

109. Negatum est, quo aliquid ESSE negatur. *Vt lapis non est animal. Ex aphoris. 107.*

110. Vbi τὸ animal non negatur, sed ipsum τὸ ESSE animal. *Ex apho. 104.*

111. Itaque τὸ animal non est prædicatum plenum; sed esse animal. *Flac. dict. lib. 4. logic. general. cap. 2.*

112. Itaque τὸ EST prædicato inclusum est ex antecedenti.

113. Itaque non est medium inter prædicatum & subiectum; neque est προσκείμενον, neq; προσκατηγορούμενον, sed est συγκατηγορούμενον, quasi dicas comprædicatum. *Conf. diss. Gocl. dict. part. 3. probl. logic. quæst. 20.*

114. Prædicatum id est, quod de subiecto prædicatur. *Ex Aph. 73. disp. h.*

115. Atqui esse animal, esse doctum, de homine prædicatur. *Ex aph. 106. disp. h.*

116. Deinde in hoc axiomate, Aristoteles disputat, τὸ EST inclusum est prædicato. *Flacius dict. lib. 4.*

117. Ergo prædicatum sine τὸ EST non est prædicatum. *Ex aphor. antecedenti.*

118. Tertio, Omne prædicatum philosopho est verbum. *peri her.*

119. Atqui prædicatum sine τὸ EST sæpe nomē est ἔνδηλον.

120. Affirmationis porro fundamētum est rerum consensio, sicut negationis dissensio. *Libanius lib. 2. logi. emend. pag. 167. & lib. 1. pag. 36.*

121. Itaque

121. Itaque consentanea affirmanda sunt, dissentanea neganda, *id quod recte Ramus. lib. 2.*

122. Secus si fiat in formam axiomatis impingitur, nec argumentorum affectio, quod fieri debebat, exprimitur. *Conf. aphor. 38. disp. h.*

123. Veritas axiomatis negati concludi non potest, nisi ex veritate alicuius affirmati. *Fons. 4. Metaph. ad cont. 15.*

124. Itaque veritas affirmati est fundamentum veritatis negati. *ibid.*

125. II. Axioma vel est necessarium vel contingens. *Ex 1. post. cap. 25.*

126. Distinguũtur essentiis integris contingens & necessarium, sicut per se & per accidens. *Scal. exerc. 39.*

127. Necessarium est, quando perpetua & necessaria consequẽtis & antecedẽtis est dispositio. *Mocenic. d. part. 2. contempl. 2. c. 2.*

128. Itaque necessarium est, quod aliter se habere non potest: seu; quod nec esse aliter potest. *Scalig. lib. 1. de causs. lat. ling. c. 166.*

129. Omne itaque necessarium pendet, vel a consensione argumentorum, vel a dissensione eorum perpetua. *Ex aph. 127.*

130. Itaque necessarium non tantum affirmatum est: sed etiam negatum. *Ex antecedenti.*

131. Itaque necessarium ab essentiali differt:
I. Quia necessarium etiam negatum est.
II. Quia omne essentiale necessariũ, sed non omne necessarium essentiale. *Scalig. exerc 6. s. 6.*

132. Necessarium affirmatum cum subiecti vniuersitate κατὰ παντὸς nũcupatur. *Arist. 1. post c. 2.*

133. Vt enim axioma quoddam sit κατὰ παντὸς, duæ requiruntur conditiones; prima est subiecti vniuersitas; altera temporis perpetuitas. *Zab. lib. 1. de prop. necess. cap. 2.*

134. Ramus omne affirmatum necessarium κατὰ παντὸς inscribit contra veteres omnes. *Libanius in notis pag. 363.*

135. Quod si consequens cum antecedente sustinuerit nexum essentialem καθ' αὐτὸ dicitur. *Ram. lib. 2. cap. 3.*

136. Vbi vero consequentis & antecedentis fuerit paritas & reciprocatio καθόλου πρῶτον vocatur, *ibid.*

137. Sed de his tribus conditionibus, cum ex Rameorum, tum Peripateticorum sententia differemus ex professo. *In disput. de tribus legib.*

138. Contingens axioma est, quando contingens est antecedentis & consequentis ad inuicẽ dispositio. *Ex aph. 127.*

139. Ergo contingens est, quod aliter se habere potest. *Ex aph. 128.*

140. Itaque omne contingens pendet a contingente terminorum vel consensione, vel dissensione. *Conf Gocl. part. 3. probl. log. q. 27.*

141. III. Omne axioma vel est vniuersale, vel particulare. *Arist. peri herm. cap. 5.*

142. Quam diuisionem, quæ fusissima est, P. Ramus ad axioma simplex coarctat, sed quo id iure nullus dum video. *Confer Andream Libanium in notis pag. 369.*

143. Vniuersale est, cui' subiectum accipitur vniuersaliter. *Arist. dict. lib. periher. c. 5. & 1. pri. c. 1.*

144. Signum vniuersitatis, non est necesse, vt semper addatur ad propositionem vniuersalem. *Zab.1.post.ad cont.81.*

145. Imo naturæ definitionis repugnat nota v. niuersitatis, & tamen omnis vniuersalis est. *Arist. 1.poster.text.103.*

146. Philosophi enim cum dicunt speciem, idẽ intelligunt, ac si totam dicerent speciem; idem enim est homo & omnis homo, τὸ ὂν κὴ πάντα τὰ ὄντα. *Scaliger exercit.211.f.2.*

147. Speciale est, cuius subiectum est speciale.

148. Estque particulare vel singulare.

149. Particulare est, cuius subiectum est particulare. *Arist.ex d. peri her.c.5.*

150. Singulare est, cuius subiectum est res singularis. *ibi.*

151. Enuntiatio ex subiecto communi, præcise accepto, pro singulari putatur, vt homo est species: animal est genus. *Fons.lib.3.instit. Dial.c.1.*

152. IV. Omne axioma vel est simplex vel compositum.

153. Simplex est, in quo vnum de vno prædicatur. *Flacius dict.lib.4.logica gener.c.2.*

154. Itaque simplicis forma in legitima thematis simplicis cum argumẽto simplici collocatione consistit. *Ex aph.praced.*

155. Simplex axioma vel simplicissimum est, vel non simplicissimum. *Vide Schegkium l.peri her. pag.99.*

156. Simplicissimum est, quod in alia simpliciora resolui nequit, vt homo est. *Gocl.part.3.probl. log.q.10.*

157. Itaque propriissime est vnum per se, quia statim id est, quod est. *Ex 8. Metaph. context. 15.*

158. Itaq; τὸ Est hic nō resoluitur in esse ENS, non enim esset simplicissimum. *Ex aphor. 155.*

159. Itaque prædicatio τοῦ ESSE, aliud est a prædicatione τοῦ esse ENS. *Ex Zabar. 1. posterior. &c.*

160. Sed τὸ ESSE hic significat exsistentiam, quæ cum ipsa cuiusque rei essentia fere est vnum & idem. *Perer. in Phys.*

161. Non simplicissimū est, quod in simpliciora resolutionem patitur: Vbi τὸ EST inter duo extrema quasi sequester interiacet. *Scal. lib. 5. de causs. latin. ling. c. 112.*

162. Vt homo est animal, simplex est; sed resoluitur in hæc duo: homo est: animal est. *Goclen. dict. loco.*

163. Non tamen ex virtute enuntiationis non simplicissimæ licet inferre simplicissimam. *Conf. Zabar. lib. 2. de prima rerum mat. cap. 3.*

164. Nam ad veritatem enuntiationis exsistentia subiecti non est opus. *Fons. 5. Metaph. c. 5.*

165. Simplici axiomate quodlibet argumentū disponi potest, exceptis plenis comparationibus, distributionibus & testimoniis, quæ non nisi cōposito enuntiantur. *Diss. Polanus in præfat. sua logices. & Scribon.*

166. Compositum axioma est, in quo vnum de vno non enuntiatur. *Zab. 2. poster. ad contex. 45.*

167. In omni enim composito vel prædicatum est multiplex, vel subiectum, vel vtrumque. *Flac. lib. 4. cap. 2.*

168. Omne compositum in duo vel plura simplicia resolui potest. *Flac. ibid.*

169. In omni composito non tam necesse est negari coniunctionem, quam est necesse negari prædicatum. *Ex aph. 109.*

170. Omnis composita propositio est intuta, nisi fulcimentum & vim a quadam simplici sortiatur. *Mocenicus contempl. 2. part. 3. c. 9.*

171. Verbi gratia: propositio hæc; Si asinus haberet pennas, volaret: per-esset-infirma, nisi hac simplici; Quicquid habet pennas, volat; firmaretur. *ibidem.*

172. Omnis compositi necessitas pendet ex necessaria consequentis ad antecedẽs dispositione. *Ex aph. 127.*

173. Composito axiomate quælibet argumenta disponi se patiuntur, contra quam in simplici. *Conf. aph. 165.*

174. Compositum axioma vel est congregatium, vel segregatiuũ, e coniunctione congregatiua, vel segregatiua. *Ramus.*

175. Congregatiuum vel copulatum est vel cõnexum.

176. Copulatum est, cuius coniunctio est copulatiua; vt: Socrates fuit philosophus, & vir bon⁹.

177. Copulati modi sunt tres: 1. vbi antecedens continet copulatiuam coniunctionem. 2. vbi cõsequens. 3. vbi & antecedens & consequens.

178. Exemplum modi primi: Cæsar & Cato equitant. Secundi: Aristoteles ambulat & disputat. Tertii: Aristoteles & Plato ambulant & disputant.

179. Ad modum secundum referimus axioma distri-

distributiuum, in quo semper vnumquodque prædicatorum vere subiecto adiungitur. *Conf. Mocenic.2.contempl.part.2.c.2.*

108. Quod cum in disiunctiuo non fiat, ideo distributiuum a disiunctiuo meritissimo distinguimus. *Mocen. ibid.*

181. Axioma copulatum verum est, quando omnes eius partes veræ sunt; totum falsum, vel ob vnam saltem partem falsam. *Gell. lib.16.c.8.*

182. Connexum est cuius coniunctio est connexiua. *Confer Fonsec.lib.3.Instit. Dialect.c.3.*

183. In omni connexiuo consequens in antecedentis virtute constituitur. *Mocen. dict. Cont. 2.part.3.c.9.*

184. Itaque consequens antecedentis veritatem consequitur semper. *ibid.*

185. Nullum connexiuum trium terminorum numerum excedat, neque in eo deficiat. *Mocen. d.Contempl.2.part.3.c.9.*

186. Ratio vna, quia connexum axioma nihil aliud est, quam contractus Syllogismus. *Libau.lib: 2: Dialect. Philip. Ram.pag.212.*

187. At Syllogismus non nisi tres terminos postulat. *Arist.1.prior.analy.c.24.*

188. Axioma segregatiuum est, cuius coniunctio est segregatiua. *Ram.*

189. Id non solum dissentanea, sed & consentanea enuntiat. *Ex aph.210.*

190. Segregatiuum vel est disiunctum, vel discretum, quorum posterius Scholastici non agnoscunt. *Thom.opusc.48. Tract.de Enunt.c.14.*

191. Disiunctum axioma est, cuius coniunctio est disiunctiua. *Fons.d.lib.3.Institut. Dial.c.14.*

192. Disiunctum omne verum iuxta veteres iudicatur, cum eius vna pars vera est. *Thom.d.loc.& Cic.in Top.*

193. Diximus enim supra, omnis compositi firmitudinem & efficaciam pendere ab vno aliquo simplici. *Aphor.170.*

194. Itaque falsa est disiunctiua propositio, non solum cum omnes partes disiunctionis sunt falsæ, sed etiam cum omnes sunt veræ. *Fons. lib.3. Dialect.c.17.*

195. Itaque vt verum disiunctũ exædifices, tria requirẽtur. I. vt partes omnes inter se dissentiãt. II. vt vna pars cum subiecto consentiat, & de eo affirmetur. III. vt reliqua vel reliquæ a subiecto dissentiant.

196. Itaque ineptum & ridiculi plenum fuerit, exstruere disiunctionem ex necessario cõnexis: vt Socrates aut est homo, aut rationis particeps. *Fonseca d. lib.3 c.17.*

197. Omne disiunctiuum a distributiuo robur & vim accipit; vt binarius numerus aut est par, aut impar; disiunctiuum est quia omnis numer⁹ aut est par, aut impar, distributiuum. *Mocenic. Contempl.2.part.2. c.8.*

198. Itaq; distributiuum est perfectius disiunctiuo. *Mocen. ibid.*

199. Itaque a distributiuo qui non distinguũt, præclare ineptiunt. *Ex præced.*

200. Rationes discriminis hæ sunt. I. disiunctionis pars vna duntaxat vera est; distributionis autem omnes. *Ex aphor.179.*

201. II. Quia omnis propositio disiunctiua est indeterminata, distributiua autem determinata. *Mocenic. dict. part. 2. contemp. 2. c. 2.*
202. Iccirco disiunctiua, quia nempe indeterminata est, prosequitur determinationem, sicut conditionalis absolutionem. *Mocen. d. l. c. 6.*
203. Quia in distributiuo subiectum non est nisi vnum, vt colligere est *ex 4. Metaph. Arist. c. 6.*
204. At in disiunctiuo subiectum non est necessario vnum, sed sæpe etiam multiplex; verbi gratia: Aut Demosthenes, aut Cicero, aut certe nullus fuit perfectus Orator. *Fons. d. lib. 3. c. 17.*
205. In hoc enim conueniunt copulatum & disiunctum, quod & subiecta & prædicata admittunt indeterminata & multiplicia. *Conf. aph. 167.*
206. Distributiui autem subiectum est determinatum & vnum semper, sicut connexiui subiectum est semper multiplex. *Ex aph. 185.*
207. Et sicut prædicatum in connexiuo est simplex, sic contra in distributiuo est multiplex. *Ex andecedent.*
208. Omne autem prædicatum multiplex, & omne subiectum multiplex imperfecte prædicati & subiecti partes aut officium exsequuntur. *Conf. Mocen. dict. contempl 2. part. 2. cap. 2.*
209. Discretum axioma est, cuius coniunctio est discretiua. *Ramus.*
210. Tria argumentorum genera enuntiat. I. Consentanea. II. Diuersa. III. Opposita. *Contra Ram. lib. 2. c. 5.*
211. Consentanea; vt quanquam formosa est;

est, tamen est pudica. *Ex disput. 6. aphor. 28. & sequent.*
212. Diuersa; vt, quanquam Vlysses non est formosus; tamen est facundus.
213. Opposita denique, vt: Socrates non est lapis sed homo. *Confer Libau. d. part. 2. Dialect. Ram. Philip. pag. 203.*
214 Omne discretiuum axioma, sicut & cōnexiuum, videtur esse Syllogismus imperfectus. *Conf. aphor. 186.*
215. Opposita enuntiantur axiomate discreto per coniunctionem aduersatiuam: consentanea autem & dissentanea diuersa, & per discretiuam & aduersatiuam.
216. Prægnans enim vitium est, si opposita hic enuntientur per coniunctionem discretiuam.
217. Nec minus est graue, si ea, quæ perpetuæ sunt consensionis, hic discernantur.
218. Omnis enim proprie dicta discretio est eorum argumentorum, quæ ita consentiunt, vt etiam dissentire, vel ita dissentiunt, vt etiam consentire possint. *Conf. Libau. Tempell. Beurhus. &c.*
219. Compositorum axiomatum, præsertim vero connexi & distributiui, itemq; disiunctiui sæpenumero vsu venit conuentio; vt si Socrates est animal, est vel rationale, vel irratiōale. *Videris Mocen. Contempl. 2 part. 2.*
220. Vbi ne quid titubes, contexta retexe, & retexta ad perpēdicula sui congeneris rationis appende, & iudicio vteris recto. *Libau d. l. 2. pag. 225.*
221. Hæc de propositionum speciebus, quas inter se si contendas aut compares, perfectissima.

erit Simplex in forma & materia perfectissima perfectione sequetur copulata & distributiua, mox discretiua; denique ad extremum disiunctiua. *Mocenic. Contempl. 2. part. 2. cap. 8.*

222. Quo enim quodque axioma perfectiori asserendi virtute munitum est, eo perfectius & præstantius censetur. *Ibid.*

223. Axiomatib. accidit oppositio & contradictio, conuersio & collectio; de quibus breuissime dicere cogimur.

224. Oppositio est, quando axiomati propositio opponitur eiusdem quantitatis, & eorundem terminorum, vt quando Vniuersali affirmanti opponitur Vniuersalis negans eorundem terminorum, &c.

225. Itaq; hæc nō diuidit semper verum a falso.

226. Contradictio est; quando vel vniuersali affirmatiuæ opponitur particularis negatiua, aut contra: vel quando Singulari singularis opponitur. *Conf. Aristot. 1. prior. analyt. cap. 15.*

227. In omni contradictione terminorum ambiguitas vitanda est. *Arist. lib. de Interpretat. c. 6.*

228. Itaq; omnis contradictio diuidit verum a falso. *Arist. d. lib. de interpret. c. 8.*

229. Conuersio est, quando ex subiecto propositionis fit prædicatum, & ex prædicato subiectum. *Zab. in lib. prior. analyt.*

230. Eaque triplex: conuersio simplex, conuersio per accidens, & conuersio per contrapositionem *Melanch.*

231. Conuersio simplex, quando propositio eadem quantitate & qualitate seruata conuertitur; sic

sic conuertitur propositio vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua. *Ex 1. Sophist. Elench. c. 4*
232. Conuersio per accidens est, quando vniuersalis affirmatiua conuertitur in particularem affirmatiuam. *Ex aphoris. 82. disputat. 10.*
233. Conuersio per contrapositionem est, quãdo vniuersalis affirmatæ negatur consequens, vt negetur antecedens. *Ex aphoris. 80. d. disp. 10.*
234. Collectio est, quando ex vna propositione alia colligitur, quæ Mocenico virtus collectiuã dicitur. *part. 2. cont. 2. cap. 4.*
235. Eaque duorum est generum; primo, quando ex vniuersali propositione colligitur particularis. *Ex aphor. 79. d. disp. 10.*
236. Secundo, quando propositio auxiliatur quidem constructioni alterius; cui tamẽ ipsa sola non est erigendo.
237. Verbi gratia, hæc propositio: Hic homo est rationalis, licet non probet, omnem hominẽ esse rationalem, tamen illius veritati fauet, quæ virtus speciatim inductiua dicitur. *Mocen. d. c. 4.*
238. Hæc iam de vniuersa fere axiomatum doctrina, cuius cognitio in principiis quidem tetra insuauisq; videri solet, vbi vero processeris, emolumentum & voluptas discendi consequetur insatiabilis. *Gellius Noct. Attic. lib. 16. cap. 8.*
239. Cui sane si modum non feceris, periculum non mediocre erit, ne, vt plerique alii, tu quoque in illis Dialecticæ gyris atque mæandris tanquam apud Sirenios scopulos consenescas. *Gell. d. loc.*
240. Quod si quæ superesse videntur, sunt autẽ

non pauca,ea aut parũ vtilitatis habent, aut certe ad præcedentia percommode referri nequeunt,& inde iudicari.

Disputatio XIII.
DE SYLLOGISMO IN GENERE.

Respondente Guilielmo Pistorio, Saximontano,VValdecco, Hesso.

1.

HActenus de instrumento disponendi Noetico,sequitur iam dianoeticum.

2. Dianoeticum est,quo vnum axioma ex alio elicimus. *Conf.Scal.ex.307.sect.2.*

3. Dianoeticum vel estSyllogismus vel Methodus *Ram.lib. 2.cap.9.*

4. Itaque hoc non nisi a tertia mentis operatione exercetur &vsurpatur.*Conf.Zab.lib.2.de nat.log.cap.3.*

5. Itaque imus inficias Syllogismum esse ipsam tertiammentis operationem.*Zab.ibid.*

6. Mentis enim operationes librare non logici,sed physici officium est.*ibid.*

7. Etenim eiusdem est considerare potentiam animæ, propriamq; eius operationem. *Iauell.7. Metaph.q.13.*

8. Syllogismus est instrumentum disponendi dianoeticum, quo thema compositum cum argumento tertio ita disponitur, vt posito antecedente necessario concludatur. *Videtur dissentire Zab.lib.3.de method.cap.13.*

9. Hic

9. Hic Syllogismus, quatenus instrumentum logicũ est, omnis materiei realis est expers. *Crell. in Isagog. pag. 5.*

10. Nam Syllogismum, a Philosopho naturali vel mathematico formatum, non voco Logicũ instrumentum, sed Syllogismum naturalem, vel mathematicum. *Zab. d. lib. 2. de nat. log. c. 7.*

11. Omnis autem propositio & omnis syllogismus, qui vere syllogismus, & ab actu intelligendi formatus, ens est reale, cum sit effectiue ab intellectu, & subiectiue in eodem. *Conf. Iaucl. d. 7. Metaph. q. 13.*

12. Itaque definitio illa Rami: Syllogismus est dianoia, qua quæstio, &c. non de syllogismo, qui instrumentum logicum est, sed de eo, qui instrumento logico formatur, intelligenda est. *Ex aphor. 8. disp. h.*

13. Nullum enim instrumentum logicum est ipsa dianoia, hoc est, tertia mẽtis actio. *Ex aphor. 5.*

14. Quo etiam sensu intelligimus illa Scaligeri; arti, inquit, ratiocinandi non accidit opera exterior, sed intus, secum, in se ipso, ad sese, pro semet potest homo facere syllogismum. *d ex. 307. sect. 23.*

15. Interim fatemur & profitemur syllogismum ab arte ratiocinandi factum esse dianoiam potius, quam orationem. *Vide diss. apud Gocl. 4. part. probl. log. q. 12.*

16. Exserte enim Philosoqhus ipse nullum syllogismum esse ait, τȣ̃ ἔξω λόγȣ, sermonis exterioris, sed τȣ̃ ἔσω λόγȣ, sermonis interioris. *1. post. c. 8.*

17. In animo enim nascitur omnis, in lingua nullus: imo ne ille quidem, qui in animo natus

est, lingua effertur, sed ipsa indicatur. *Ex aphor. 34. disp. 1.*

18. Adeoque intime & arcte cum mente cohæret, vt ab ea se diuelli neutiquam patiatur. *Ex disp. 2. aphor. 32.*

19. Nec syllogismus logice consideratus, & vt est instrumentum, habitus est. *Vide Pic. comite pol. part. 3. pag. 977.*

20. Logicus enim nullum instrumentum considerat, tanquam habitum animi, sed tanquam rectas rationes efficiendi aut explicandi aliquid. *Ibid.*

21. At modus definiendi respondet modo considerandi. *Ibid.*

22. Estq; hic ita comparatus, vt nunquam transeat in naturam eius, ad quod applicatur. *Conf. Zab. 1. de nat. log. c. 5.*

23. Tres enim cuiusque instrumenti conditiones. I. vt non sit pars rei, quæ eo efficitur. II. vt perfecto opere a re vicissim segregetur. III. vt subiiciatur operanti & inde dirigatur. *Piccol. 2. phys. ἀκροάσεως ad context. 18.*

23. Huius nobilissimi instrumenti logici finis adæquatus est fabricare syllogismum seu formã syllogisticam in materia qualibet. *Conf. aph. 9.*

24. Itaq; syllogismus ille logicæ vniuersæ finis non est. *Confer. Goclen. part. 1. problem. log. quæst. 4.*

25. Si enim esset, logica esset definienda ars syllogismum fabricandi. *vide eundem part 4. quæst. 1.*

26. Finis artis vniuersæ vniuersalis esse debet, partium singularum singularis, vti recte disserit *Ramus lib. 3. dialect. cap. 6.*

27. Nec ille logicæ pars est, nullus enim finis eius rei, cuius est finis, pars esse potest. *Ex Scal. ex. 307. sect. 27.*

28. Realis enim eiusmodi omnis: at logicus nullum reale contemplatur. *Ex aphoris. 43. disp. 1.*

29. Fabricari autem nequit, nisi ad vnguem ipsius partes sciantur.

30. Partes illæ aut sunt remotæ, aut propinquæ. *Fons. inst. Dial. cap. 9.*

31. Remotæ sunt tres termini. Minor, maior & medius, sic communiter appellati, quod in eos sylogismus resolutus terminetur. *Vid. Flac. lib. 5. log. gener. cap. 1.*

32. Maior terminus est ille, qui in conclusione prædicatur, & in propositione maiore dispositus est.

33. Semper enim, in quocunque Syllogismo, prædicatum conclusionis in maiori collocatur.

34. Dicitur autem prædicatum terminus maior, non quia in maiore disponitur, sed quia si plura non comprehendit, quam subiectum, ab illius vniuersitate nunquam deficit. *Mocenicus contemplat. part. 3. c. 1.*

35. Minor est, qui in conclusione locum subiecti tenet, & in minori disponitur. *Confir. aph. 40.*

36. Semper enim in quocunque Syllogismo subiectum conclusionis in minore situm reperitur. *Conf. aph. 4*

37. Dictus autem est terminus minor, non ob collocationem in minore, sed quia ipsi essentialiter cõuenit, a prædicati vniuersitate deficere posse, eam vero nunquam excedere. *Mocenic. d. loco.*

38. Hi duo termini dicuntur alias extrema, quia medio tanquam vinculo in præmissis iunguntur *Flac. d. lib. 9. cap. 3.*
39. Suntque conclusionis materia, ideo ad eam constituendam e propositionibus transmittuntur. *Ex. aph. 94. disp. 4.*
40 Nec tantum materia sunt conclusionis; sed & præmissarum.
41. At dispari ratione: illic enim collectim, hic diuisim collocantur.
42. Fieri enim non potest, vt ambo in vnam aliquam præmissarum sese insinuent: præmissæ enim fierent conclusiones in vno eodemq; Syllogismo, qua absurditate absurdiorem naturæ oculus vix viderit.
43. Medius termin' est, qui extrinsecus ad quæstionem probandam assumitur. *Vide Arist. 1. prior. Analyt. c. 1. & seqq.*
44. Hic terminus medius, terminus seu ὅρος ab Aristotele dicitur, sed extremum seu ἄκρον nunquam. *Vide Arist. d. loc.*
45. Sicut enim conclusionis termini extrema dicuntur, sed medius nunquam: sic medius terminus dicitur quidem terminus, sed extremum nunquam.
46. Medius autem, non quod mediam inter extrema sedem possidet, sed quia penes ipsum est virtus & efficacia inferendi conclusionem. *Zab. lib. de tertia Syllogis. figura. cap. 2.*
47. Sine hoc igitur medio, quasi sequestro quopiam, dubię ad inuicem partes vel coniungi vel seiungi nequeunt. *Conf. Scal. ex. 9.*

48. Et

48. Et hic eſt præmiſſarum vna cum quæſtionis partibus materia, concluſionis autem efficiens immediatum.
49. Itaq; concluſionem ingreditur nunquam. *Ex diſp. 3. aphoriſ.*
50. Itaque non niſi vnum quid eſſe poteſt.
51. Omne enim efficiens immediatum & adæquatum eſt vnum. *Zab. l. de ſpecieb. demonſt. cap. 1.*
52. Itaque & omnem reſpuit ambiguitatem: Ambiguitas enim terminorum pluritatem gignit *Vide Philip. lib. 3.*
53. Itaque vnus eſt Syllogiſmus ob vnitatẽ medii, pluribus enim mediis datis, plures dantur etiam Syllogiſmi. *Conf. Ariſt. 1. poſterior. contex. 189.*
54. Semperque ita comparatus eſt, vt cum vna ſaltem quæſtionis parte conſentiat. *Tempell. lib. 2 log. Rameæ c. 9.*
55. In omni enim Syllogiſmo oportet ineſſe connexionem medii termini cum aliqua ſaltem quæſtionis parte. *Philip. d lib. 3.*
56. Cum itaque duo tantum ſint extrema, & vnum mediũ, in quolibet Syllogiſmo, nullus quatuor terminis conſtabit. *Vide Gocl. d. part. 3. q. 62.*
57. Propinquæ partes Syllogiſmi ſunt antecedens & conſequens.
58. Propinquæ ſunt, quia ex earum apta & decenti appoſitione primo argumentatio oritur. *Fonſec. d. lib. 6.*
59. Decens autem illa appoſitio efficitur, cum ipſarum vires ad idem conſtituendum & probandum concurrunt. *Mocenicus dicta parte. 3.*
60. Antecedens omne habet virtutem effecti-

uam, vim enim suam in quęstionem quasi extendit ac iaculatur, vt cum Mocenico loquar. *Contempl. 2. part. 2. c. 4.*
61. Itaq; antecedens præstantius est consequente. *Ex disp. 4. aph. 34.*
62. Antecedentis partes duæ sunt, propositio & assumtio. Illa vulgo maior, hæc minor nuncupatur, quia illa maiorem, hæc minorem intra se cohibet terminum. *Flac. Mocenicus.*
63. Communi nomine præmissæ nominantur, quod ambæ conclusioni præmittantur, & ipsa illas sequatur.
64, Nihil itaque est in consequente, quin ante fuerit potestate in pręmissis. *Zab. 2. post. ad cont. 22*
65. Propositio est prior antecedentis pars, quæ ex maiore extremo, seu consequente quæstionis parte & medio termino conficitur. *Fonseca d. 6. instit. Dial. c. 10.*
66. Priorem locum hæc obtinet, quia de ordinis ratione magis vniuersalia, minus vniuersalibus præferuntur. *Mocenic. d. part. 3. contempl. 2. c. 1*
67. Assumtio est altera antecedentis pars, quæ ex minore extremo seu subiecto quæstionis, & medio termino ex propositione repetito nascitur. *Fons. d. loco.*
68. Itaque propositio est quodammodo caussa assumtionis, posterior igitur & imbecillior hæc illa. *Conf. Titelmann. lib. 4. d. Syll. cap. 5.*
69. Consequens, alias cõclusio, seu complexio, est altera Syllogismi pars, quæ ex antecedente tãquam fœtus excluditur. *Gocl. d. par. 4. q. 12.*
70. Sunt qui negant hanc syllogismi partem,
quo-

quorum verba adeo male sana sunt, vt stomachũ facere possint vel plumbeo stoico, vt cum Scaligero loquar. *ex.103.sect.4.*

71. Acutissimus Zabarella tantum abest, vt eam a censu partiũ syllogismi abdicet, vt etiam principem constituat. *1.post.context.4.*

72. Conclusio, inquit, habet locum formæ, propositiones autem locum materiæ. *ibi.*

73. Dicitur enim συλλογισμὸς quasi συλλογὴ τ̃ λόγου, collectio rationis, quæ tum demum fit, cum infertur conclusio. *ibid.*

74. Nos partem quidem eam non illubenter fatemur, sed formam esse id infitemur.

75. Syllogismus in antecedens & consequẽs resoluitur. *Ex Fons.d.6.inst.Dial.c.10.*

76. At nulla artificiosa res in materiam & formam resoluitur, sed solum in partes materiales, quæ facta resolutione remanent. *Fons.ib.c.9.*

77. Formam syllogismi in debita consequentis ex antecedente deductione positum arbitramur, *vid.Gocl.d.part.4.q.12.*

78. Ad hanc fabricandam non tantum antecedens, sed & consequens requiritur.

79. Conclusio igitur & antecedens Syllogismi materia propinqua sunt, quam vtrinq; formam attingere necesse est.

80. Omnis enim forma est extensa ad extensionem materiæ. *Arist.lib.3.de cæl.tex.7.*

81. Et quia forma Syllogismi nobilissima res est, non decuit vtiq; eam in vitiosam imponere materiam, sed in bonam, sed in veram, & a iudicio axiomatico præparatam. *Conf.Gocl.d.lib.p.4.q.16.*

82. Cum enim forma ſit pars vna Syllogiſmi,ab ea ſola Syllogiſmus,niſi κυρίως,non conſtituetur. *Ex aphor.14.diſp.3.*
83. Impoſſibile enim eſt, vt quis formam Syllogiſmi ſine materia ſiue fictitia,ſiue reali,ſibi ſomniet.
84. Forma enim nulla eſt,niſi in materia, & ens perfectum nullum ſine vtraq;. Deum vnum excipimus; qui purus actus.*Scalig.359.ſect.12.*
85. Dicemus: Syllogiſmus in materia improba eſt ita ſyllogiſmus, quemadmodum nummus adulterinus eſt nummus.
86. Quod ſi pars aliqua ſyllogiſmi abfuerit,Enthymema dicitur.
87. Ad quod inductionem reducimus cũ Mocenico. *d.part.3. contemp.2 c.2.*
88. Omnes enim inductionis propoſitiones,licet ſint plurimæ,continent vim vnicæ propoſitionis vt minoris. *Mocen. ibid.*
89. Si quid in ſyllogiſmo ſuperfuerit, proſyllogiſmus;ſeu ſyllogiſmus complicatus nominatur,
90. Si partes traiectæ reperiantur, & non iuſto loco poſitæ, hyſterologiſmus.
91. Quare ſi te dubitatio ceperit, adde quod adeſt,adime quod ſupereſt, & repone traiectum, & conſtabit iudicium.

Diſpu-

Disputatio XIV.

DE SYLLOGISMO IN GENERE ET SPECIE.

Respondente Iohanne Hupsauff, Elnbogensi, Bohemo.

I.

PErgendum in nobili illa, de syllogistica, materia. Cessatio enim ingenuo studioso ignauia est. *Scalig. ex. 344. s. 2.*

1. Omnis syllogismus. I. vel affirmatus est, vel negatus. *Libau. in notis, pag. 379.*

3. Affirmatio enim & negatio, vt in quoduis axioma cadunt, sic & in quemuis syllogismum. *Mocenicus contemplat. 2. part. 3. capit. 13.*

4. Omninoque necessum est, vt in quolibet syllogismo conclusio vel affirmetur vel negetur. *Exaphoris. 93. disp. 11.*

5 Est autem affirmatus, qui ex conclusione & præmissis constat affirmatis. *Ram.*

6. Nunquam enim conclusio affirmationem induit, nisi propositio & assumtio ambæ affirmatione vestiantur.

7. Nil enim est in re quapiam, quin vel actu vel potestate fuerit in suis principiis. *Scaliger. ex. 307. sect. 20.*

8. Negatus est, qui constat ex conclusione & alterutra antecedentis parte negatis. *Ramus.*

9. Itaq; negatus syllogismus non est perinde

denegatus, vti affirmatus est affirmatus. *Conf. de aphorism 5.*

10. In omni enim syllogismo oportet aliquam minimum inesse propositionem affirmatam, *Ex aphor. 55. disp. 12.*

11. Cuiusq; quippe syllogismi principium, quo fundatur & exstruitur, affirmationem alicuius propositionis postulat. *Confer. aphor. 31. disp. h.*

12. Itaque ex puris negatiuis nihil concluditur. *Ex praeced.*

13. II. Omnis syllogismus vel est necessarius, vel contingens. *Arist. lib. 1. prior. Anal. c. 10.*

14. Necessarius est, qui constat ex propositionibus, seu principiis necessariis. *Ex Arist. 1. post. cont. 45.*

15. Itaque si propositiones fuerint necessariae, etiam conclusionem necessariam esse necesse est. *Zab. 1. post. ad cont. 53.*

16. Omnis itaque necessarius componitur ex omnibus partibus necessariis. *Ex praeced.*

17. Contingens est, cum vna minimum propositionum est contingens. *Conf. aphor. 14.*

18. In contingenti syllogismo conclusio non imitatur partem viliorem, sed maiore necessaria, conclusio necessaria est, qualis tandem sit minor: Maiore contingenti, conclusio contingens. *Vide erudite Zab. d. 1. posterior. cont. 50.*

19. Itaque in contingenti syllogismo conclusio similis est maiori semper. *Auerr. 1. prior. c. 10.*

20. Itaq; necessitas & contingentia, sicut & veritas & falsitas materiei conditiones sunt. *Zab. lib. de quart. Syllogis. fig. c. 6.*

21. Alias

21. Alias omnis syllogismus est necessarius ratione formæ, quomodo ex definitione syllogismi apparet. *Zab.prædict.l.1.post.ad context.45.*
22. III. Omnis syllogismus vel est vniuersalis, vel specialis. *Conf.aphor.141.disp.12.*
23. Vniuersalis est, qui constat ex propositione & assumtione vniuersalibus. *Ram.*
24. Itaque in tertia figura syllogismi etiam sunt vniuersales. *Ex præced.*
25. Sed vt maxime vtraq; præmissarum in figura tertia vniuersalis exsistat, tamen minor particularis vires non excedit. *Mocen.d.contempl.2 p.3.c.7.*
26. Specialis vel est Particularis, vel Proprius. *Conf. Aphor.148.disp.12.*
27. Particularis est, in qua alterutra tantum est vniuersalis. *Ramus.*
28. In omni enim syllogismo necesse est, vnam saltem vniuersalem esse, sicut & vnam saltem affirmatam. *Ex aphor.10.disp.h.*
29. Itaque ex puris particularibus nihil sequitur. *Philip.*
30. In puris n. particularibus nulla coniunctio, sed diuisio consistit *Flac.lib.4.log.general.c.6.*
31. At vero in omni syllogismo duplex requiritur coniunctio, vna est, quam efficit medium, altera, quam illatio *Zab.2.posterior.ad cont.45.*
32. Medium quidem copulat propositiones, illatio vero conclusionem cum propositionibus. *Zab. ibid.*
33. Huc accedit, quod in omni particulari ambiguitas, quæ est erroris mater, residet. *Zab. lib. 4. de Syllogis.figur.c.7.*

34. Proprius eſt, qui conſtat eſt propoſitione & aſſumtione propriis. *Confer.aphoriſ.25.diſp.h.*

35. Hic omnium figurarum, adeoque omnis ſyllogiſmi communis eſt. *Vide diſſent.apud Gocl. part.4.probl.log.q.46.*

36. Ratio enim noſtra non tantum vniuerſalium, ſed & ſingularium eſt, *Scal. d.ex.307.ſ.16.*

37. Ex duab. tamen ſingularibus propoſitionibus nunquã elicitur logicæ particularis laxior. *Vide eleganter Gocl.d.part.4.quæſt.41.*

38. Oportet enim Concluſionis eſſentiam virtute præmiſſarum contineri. *Ibid.*

39. Itaque non valet illatio: Ariſtoteles fuit Philoſophus, & idem fuit Ethnicus. E. quidam Ethnici ſunt Philoſophi. Sed hæc: Ergo quidam Ethnicus. *Conf. Gocl.d.l.ibid.ex eod.*

40. Longiſſima ſiquidem differentia eſt inter particularem laxiorem, vt illam, & particularem ſtrictiorem, vt hanc.

41. Strictior enim hæc, ex illa, tanquam vniuerſali, recte colligitur, non vice verſa: vt quidã Ethnici ſunt Philoſophi: E. & quidam Ethnicus. Non vice verſa: Quidam Ethnicus eſt Philoſophus. E. & quidam Ethnici. *Ex aphor.235.diſp.12.*

42. Itaque laxior eſt præſtantior ſtrictiori, ſicut omnia propria particulari ſtrictiori. *Ex aphor.34. diſput.3.*

43. Particularitatem & negationem ſi ſpectes in ſyllogiſmo, concluſio ſemper imitatur partem debiliorem. *Confer.aphor.18.diſp.h.*

44. Omnis autem negata debilior eſt affirmata, & omnis particularis vniuerſali *Ex aph.103.diſ.12.*

45. Ita-

45. Itaq; si vna propositionum negata, & conclusio erit; si particularis, & conclusio. *Ex prac.*
46. IV. Omnis syllogismus vel est simplex vel compositus, vulgo Categoricus vel Hypotheticus. *Zab. in tab.prior.analyt.pag.148.*
47. Simplex est, vbi quæstionis pars consequens disponitur cum argumento tertio in propositione, pars antecedens cum eodem in assumtione. *Ram.*
48. Dicitur simplex, non quod constituatur ex simplicib. axiomatibus, sed quia quæstionis partes simpliciter & sigillatim in præmissis collocãtur. *Conf.Gocl.part.4.probl.q.38.*
49. Omnes enim enuntiationes simplices etiam compositæ esse possunt. *Libau. Dialog. Log. 2.pag.247.*
50. Quinimo nulla pure diuisiua enuntiatio, pro maiore assumta 1, syllogismum compositum constituit. *Vide Mocenic. contempl.2.par.3.c.5.*
51. Et tamen omnis diuisiua enuntiatio composita est. *Ex aphor.179. disp.12.*
52. Itaque falluntur Eudemus, Theophrastus, Boetius & Hunnæus, qui simplicem e simplicib. compositum e compositis enuntiatis incautius definiunt. *Talæus lib.2.Dialect.c.20.*
53. Itaq; simplex syllogismus non pendet ex enuntiatis simplicibus, sicut affirmatus & negatus ex affirmatis & negatis. *Talæus ibid.*
54. In omni syllogismo simplici modi isti, quos vocant, pereuidenter sese exserunt: In compositis obscuriuscule. *Confer Libau. libr. 2. Logic. emendat.pag.254.*

55. Modus est, vti finiunt, iusta præmissarum & conclusionis secundum quantitatem & qualitatem conformatio. *Gocl. d.part.4.quæst.11.*

56. Quæ iusta modi cuiusq; conformatio, ex vniuersalis, specialis, affirmati & negati definitionibus promte deprehenditur. *Vide sup.*

57. Syllogismus simplex vel simplicissimus est, vel non simplicissimus. *Conf. aphor. 154. disp.11.*

58. Simplicissimus est, qui continet simplicissimam argumenti tertii & quæstionis dispositionem. *Conf. Ram. lib.7. Schol. Dialect. c.5.*

59. Estq; duarum specierum: Aristoteles σχήματα, Interpretes autē figuras appellitant. *In Analyt. & 1. c.6. Metaph. &c.*

60. Prima species est, quando ex argumento antecedente in propositione vtlibet, in assumtione affirmate, conclusio particularis efficitur. *Ram.*

61. Itaque prima hæc species (Aristoteli figura tertia) postulat medii termini in vtraq; præmissa antecessionem. *Ex prior.*

62. Itaque in prima specie quæstionis partes in præmissis succedunt semper. *Ex aphorism. 47. disp. h.*

63. Quæ dispositio omnium simplicissima est, clarissima & facilima: Ideo merito præcedit. *Talæus ad h. loc.*

64. Vt enim simplex syllogismus compositum antecedit propter simplicem quæstionis cum argumento dispositionem: sic species hæc prima, propter rationem eandem, reliquas. *Talæus ibid.*

65. Itaq; propositio hic omnino est libera: Assumtio

ſumtio autem & concluſio ligatæ, *vt ait Zab. in tab. prior. analyt. pag. 154.*
66. Propoſitio enim eſt vtlibet, aſſumtio non niſi affirmata, & concluſio non niſi particularis. Idcirco omnium figurarũ imperfectiſſima, quia nequit oſtendere concluſionem vniuerſalem. *Zab. ibid.*
67. Oportet autem aſſumtionem eſſe affirmatam, quia ſubiectum Concluſionis ſiue quæſtionis in figura tertia ſumitur, tanquam quod medio termino inſit. *Flac. lib. 5. log. gener. cap. 13.*
68. Ex ſubiecto autem concluſionis & medio termino perpetuo fit minor propoſitio. *Ex aphor. 47. diſp. h.*
69. Concluſio autem eo nomine particularis eſt, quia quicquid affirmatur aut negatur de ſpecie, etiam affirmabitur aut negabitur de genere, ſed non niſi particulariter. *Vide Goclen. part. 4. probl. log. q. 44.*
68. Verbi gratia: omnis homo eſt ſubſtantia. E. quoddam animal eſt ſubſtantia. Nullus homo eſt lapis. E quædam ſubſtantia non eſt lapis.
69. Vniuerſaliter tamen in hac figura concluditur, ſi antecedens contineat inductionem perfectam. *Ex aphor. 22. d. diſp. 9.*
70. Inductio enim eſt Enthymema in tertia figura ſupplendum. *Conf. aphor. 87. diſp. 12.*
71. Itaq; ea firmitudine & perſpicuitate eſt tertia figura, quæ Ariſtoteli, vt ſecunda & prima etiam inde demonſtrentur. *Conf. Zab. l. 3. de met. c. 3.*
72. Omnis enim fides aut fit per ſyllogiſmum, aut per inductionem. *Iuxta Ariſt. 1. Eth &c.*

73. Estque huius figuræ latissimus in impingendis instantiis vsus, vt mirum sit, cur Ramus syllogismum contractum in quadam editione vocarit, & Valla eam penitus exterminatam voluerit. *Valla lib. 3. Dial. c. 8.*
74. In medios ambula rusticos, & propone hanc propositionem generalem: Omnis homo est doctus: illico, opinor, exclamabunt, se esse homines, & tamen non doctos, & idcirco propositionem tibi tuam falsitatis coarguent.
75. Principium huius figuræ geminum est, vnũ in affirmatis, alterum in negatis.
76. In affirmatis hoc: Quæ duo conueniunt in vno tertio, etiam inter se conueniunt. *Flac. d. lib. 5. Log. gener. c. 13.*
77. In negatis hoc: Quæ duo non conueniunt in vno tertio (ita vt vnum affirmetur, alterum negetur) ea nec inter se. *ibid.*
78. Modi hic sunt sex. 1. generalis affirmans. 2. generalis negans. 3. particularis affirmans primus. 4. particularis affirmans secundus. 5. particularis negans primus. 6. particularis negans secundus. Peripateticis: Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. Ramus addit duos proprios, affirmantem & negantem.
79. Altera species est, vbi argumentum vtrobique sequitur, in propositione quidem definite, in alterutra autem præmissarum negate. *Confer Talæum.*
80. Itaque conclusio semper hinc negatiua excluditur. *Ex aphoris. 43. disp. h.*
81. Quamobrem & hæc species, Aristotelis figura te-

ra ſecunda, imperfecta cenſetur, quia edere nequit concluſionem affirmatiuam. *Zab.*
82. Itaque eſt ligata in qualitate, proinde & alterutra præmiſſarum. *Ex aphor. 43.*
83. Itaque propoſitio eſt ligata in quantitate, quia neceſſe eſt eam eſſe vel vniuerſalem, vel propriam. *Ex aphor. 80.*
84. Ratio eſt, quia huius figuræ principium eſt conuerſio propoſitionis maioris per contrapoſitionem. *Ariſt. in prior. Anal.*
85. Atqui omnis conuerſio per contrapoſitionem depoſcit propoſitionem definitam. *Ex aphor. 233. diſp. 12.*
86. Et ex particulari propoſitione concluſionem hic non confieri legitimam vel iuſta vnius exempli inſtantia euiceris. Non enim ſequitur: Quidam homo non eſt doctus. Omnis Philoſophus eſt doctus. Ergo quidam Philoſophus non eſt homo.
87. Modi ſunt vulgo quatuor. Vniuerſalis negans primus. 2. vniuerſalis negans ſecundus. 3. particularis negans primus. 4. particularis negans ſecundus. Peripateticis: Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco. Ramus addit duos negantes proprios.
88. Non ſimpliciſſimus eſt, vbi argumentum in propoſitione definite antecedit, & ſequitur affirmate in aſſumtione. *Ram.*
89. Propoſitionem maiorem definitam eſſe decuit, quia ſubiectum minoris continetur in ſubiecto maioris. *Auerr. 1. prior. c. 10. & 24.*
90. Et aſſumtionem affirmatam, quia eius ſub-

iectum & subiectum maioris, ex quibus duobus ea exstruitur, consentiunt semper. *Zabarell. libr. de Syllog. fig. cap. 6.*

91. Conclusio est liberrima, quia potest esse affirmatiua, negatiua, vniuersalis, sicut in figura tertia propositio. *Conf. aphor. 64. disp. h.*

92. Itaque omnium figurarum dicitur perfectissima. *Arist. 1. prior. c. 4.*

93. Principium hic: Quicquid affirmatur aut negatur de genere, etiam de specie affirmabitur, aut negabitur. *Ex aphor. 79. d. disp. 10.*

94. Modi sunt item quatuor. 1. vniuersalis affirmans. 2. vniuersalis negans. 3. particularis affirmans. 4. particularis negans. Vulgo Barbara, Celarent, Darii, Ferio. Ramus addit duos, *proprium affirmantem & negantem.*

95. Hactenus de simplici syllogismo. Compositus est, vbi tota quæstio est pars altera propositionis compositæ, argumentum pars reliqua. *Confer aphor. 47.*

96. Omnis syllogismus compositus pendet ex virtute alicuius simplicis. *Confer Gocl. part. 4. probl. log. q. 64.*

97. Itaque nullus compositus firmus aut fixus iudicatur, nisi eius confirmatio ad vnū aliquem simplicium quadret. *Ex prior.*

98. Omne enim compositum sicut ex simplicibus compositum est, sic & simplicium naturam sapiat, necesse est. *Scal. ex. 307. s. 20.*

99. Compositus syllogismus vel connexus est, vel disiunctus. *Fons. lib. 6. instit. Dial. c 32.*

100. Ex propositione copulatiua aut disiunctiua nul-

ua nullus efficitur syllogismus compositus. *Conf. Sauonarolam. Epit. log. lib. 7. Conlus. 25.*

101. Omnis enim syllogismus ex propositione vel copulata vel disiunctiua manifesto aliquid esse, & non esse denuntiat. *Vid. ibid.*

102. Itaq; nec vllus syllogismus ex propositione diuisiua, compositus erit dicendus. *Ex prior. & Aph. 179. disp. 12.*

103. Et omnis propositio, in qua coniunctio copulatiua negatur indeterminate, disiunctiua est, aut certe connexiua. *Etiam Ramo & Talao testibus, lib. 2. c. 16.*

104. Connexus est, cuius propositio est connexiua. *Ram.*

105. Connexus duplex est, primus & secundus.

106. Primus est, qui tollit consequens, vt tollat antecedens. *Ex aph. 85.*

107. Secundus, qui assumit antecedens, vt concludat consequens. *Ex aph 94.*

108. Affirmatio & negatio in conditionalibus æstimatur ex consequēte: quod si affirmatiuum, conditionalis est affirmans, si negatum, negans. *Sauonarol. Epit. log. d. l. 7 concl. 3. Diss. Ram.*

109. Disiunctus est, cuius propositio est disiunctiua. *Ram.*

110. Omnis disiunctiuæ propositionis, sicut & diuisiuæ commune est, affirmationem tantum recte admittere, negationem omnino repellere. *Mocen. contempl. 21. part. 2 c. 2.*

111. Ἀδύνατον enim vnicam propositionem diuisiuam aut disiunctiuam, simulque negatiuam illi oppponere. *Ibid.*

112. Omnis tamen disiunctiua continet in se virtutem negatiuæ: Alias conclusio, affirmata assumtione, inde negata educi non possit. (*Conf. Aphor. 7.*

113. Disiunctus duplex, primus & secundus. *Fons. d. lib. 7. c. 32.*

114. Primus est, qui tollit vnum, & reliquum concludit. *Ramus.*

115. Secundus, qui assumit vnum, & reliquum tollit. *Idem.*

116. Hactenus de doctrina Syllogistica necessaria: Si quid in ea deficiat, de ea alias verbosius, nō quidem ex cerebri nostri iniqua statera, sed ex prudenti Sapientum æstimatione, vt cum Scaligero tandem concludam. *Ex. 224.*

Disputatio XV.

DE METHODO IN GENERE.

Respondente Ioanne Burkarto. T. T.

I.

ORDO adeo præclara & diuina res est, vt sine eo ne ipsa quidem natura, quæ omnium Opifex, consistere possit. *Scal. ex. 2.*

2. Et sicut in illa ipsa est ordo, sic nec ea quicquid absque ordine vel meditata est, vel effecit vnquam, vt scriptum est. *8. phys. contex. 15.*

3. Nullum excellenter pulcrum, & per se vel a se ordinatum alicuius praui distortiue caussa esse poterit. *Ex Scal. ex. 249. s. 3.*

4. Hunc nos in ſcientiis & artibus, quæ humana acie apparantur, incredibili merito complectimur amore, cum earum forma & anima nuncupetur. *Plato in Gorgia.*

5. Inq; diſciplina inſtrumentali, quæ inueniendi & diſponendi ideas exſinuat & explicat, a tot & tam altis excuſſiſq; ingeniis perputatur, vt ſcire iſtum omnia ſcire, & ignorare eundem omnia ignorare in omnibus putes. *Ex præced.*

6. Adeoque difficilis res, vt maxima ſubtilitatis pars, in libris ſapientum, œconomia ſeu diſpoſitio dicatur ſubtilitatum Profeſſori. *Ex. 303. ſect. 9.*

7. Vtq; Goclenius Philoſophus non demicus, ſed Academicus, lectionem eius & cenſuram accuratam non triuiali cuipiam, ſed Academico committendam iudicet ingenio. *In Iſagog. in Organum Ariſt. pag. 403.*

8. Ex quibus intelligitur, ordinem quatuor modis conſiderari. I. in origine & mente diuina. II. in natura ipſa. III. in ſcientiis & artibus. IV. in inſtrumentali diſciplina. *Piccol. introduct. ciuil. Philoſ. c. 12.*

9. Qua occaſione etiam natura philoſopho ordo rerum, ſicut forma rei eidem rei eſſentia κατ' ἐξοχὴν dictitatur. *3. de cœl. tex. 24.*

10. Ille, qui in mente diuina, eſt principium & cauſſa eius, qui eſt in rebus. *Ex aphor. 3. diſp. h.*

11. Qui in mente diuina & rebus, cauſſa eſt eius, qui in diſciplinis. *Piccol. d. c. 12.*

12. Qui in mente diuina, qui in rebus, & qui in diſciplinis conſpicitur, cauſſa eſt eius, qui in in-

ſtrumentali diſciplina, vt Logica, traditur & inculcatur.
13. Omne enim principale eſt cauſſa inſtrumentalis, non inſtrumentale principalis. *Ex diſp.4. aph.170.*
14. Et nullus omnino eſſet ordo inſtrumentalis, niſi exſtitiſſet is ante in rebus & diſciplinis. Et nullus eſſet ordo diſciplinæ, niſi eſſet ordo naturæ rerum. *Piccol.Com.Polit.part.4.ſect.2.*
15. Et Ariſtoteles cum nihil ſcriptum reliquerit de ordine, ordinem tamen quendam naturæ iuſtinctu obſeruauit. *1. Phyſ.c.1.*
16.* Qui a poſterioribus exceptus, excultus, & in inſtrumentalem diſciplinam illatus eſt, & quaſi per manus propagatus. *Confer Zabar.1 de nat.Logic.cap. 6.*
17. Difficile enim eſt inuenire aliquid, ſed inuẽtis quid addere non item. *Ariſt.Elench ſoph.c. vlt.*
18. Qui vbi poſtea excultus eſt, & peculiariter tractatus remedio & cauſſa inſtrumentali ceu idea ad diſciplinas meliuſcule ordinandas & conſtituendas adhibitus eſt.
19. Igitur ordo inſtrumentalis, qui per initium fuit poſterior ordine diſciplinarum qualicunq;, poſtea euaſit prior.
20. Non enim eſt abſurdum, idem eodem eſſe prius & poſterius, diuerſa ratione. *Ex Zab. 2. de med.demonſt.c.10.*
21. Inſtrumentalis quidem ordo poſterior eſt ordine in ſcientiis & artibus, vt imperfecto adhuc & incoato, prior vero eodem, vt ad modum perfe-

perfectiorem reducto,& ex arte instituto.*Confir Zabarell.lib.1.de natur logic.cap.12.*
22. Ordinis autem nomen græcum est: dicebãt militibus Tribuni.Hactenus tibi licet: hic consistes: eo progrediere:huc reuertere: ὅρον δῶ:inde ordo. *Scal.lib.1.de c.l.l.c.35.*
23. In militia igitur primum nata ea vox; vnde post in ciuitatem, & disciplinarum album sub-sumta.*Ibid.*
24. Et Methodi nomen Græcum est,quod si interpretere,idem quod ab vno ad aliud transitũ significabit.*Goclenius in synopsi methodica.*
25. Vtraque tamen vox aliter a Rameis, aliter a Peripateticis accipitur.*Conf.Goclenium ibid.*
26. Iccirço ambiguitas & anceps significatio distinguenda.*Ex Arist.6.Top.c.10.*
27. Rameis Methodi vox a syllogismi distincta est,nec eadem vtrisq; sed diuersa virtus adiungitur.*Ram.lib.2.sua Dialect.*
28. Quibus iisdem & Ordo a Methodo distinguitur;Methodus enim est propter ordinem.*Ex definitione Methodi Ramea.*
29. Id autem quod est propter aliud,non est idẽ quod ipsum.*3.Topic.c.1.*
30. Methodus ipsis præceptum est, pro ordine in disciplinis efficiendo.*Talæus ad h.loc.*
31. Itaq; Methodus efficientis rationem,ordo autem effecti subit & obit.*Ex praced.*
32. Contra Peripateticis Methodi vox duobus accipitur modis;generatim,& speciatim.*Zab.lib 1.de Method.c.3.*
33. Generatim accepta Methodus nihil est aliud

quam transitus vnius ad aliud, ad rerum cognitionem adipiscendam. *Ibid.c.2.*

34. Et ita Ordinem & Methodum in specie sic vocatam comprehendit. *Ibid.c.3.*

35. Ordinis officium est, vnum ex alio deducere sine vlla vi syllogistica. *Idem lib.2. de Method.c. 18.*

36. Methodi autem officium est ratiocinari, & nihil aliud quam syllogismus, vt habet idem explicate *lib.2.cap.18.*

37. Ordo autem cum Methodo seu syllogismo coniunctus, inferendi robore seu potestate munitus est. *Lib.2.de Method.cap.18.*

38. Iccirco ordini inferendi potestas & virtus est accidentalis, Methodo essentialis. *Auerr. lib. qui dicitur colliget.*

39. Ex quibus planum, Rameis Methodum a syllogismo semper distingui; Peripateticis non semper. *Ex aphor.36.*

40. Ordo autem Peripateticis & Rameis a syllogismo semper. *Ex aphor.37.*

41. Ordinis tamen vox & Rameis non infrequenter pro Methodo, prout a syllogismo distincta est, capitur. *Talaus.*

42. Cum igitur in ordinis voce quamplurimũ conueniant, & ea hoc loco crebriter vsurpetur, ideo & nos communem illam vsurpationem sectabimur, & hoc loci frequentabimus.

43. In statuendis enim sententiis sapientum iudicium, in communionibus vocum loquentium consuetudinem attendendam esse Philosophus docet. *In Sophist. Elench.*

44. Ordinemque ipsum, non vt in disciplinis est,

est, vel in rebus, sed vt in instrumentali disciplina instituitur, consideramus. *Conf. aph. 12. disp. h.*
45. Cuiusque enim rei natura dum abstracta, & καθ' ἰδίαν expenditur, melius & certius cognoscitur. *Zab. lib. 1. Apolog. cap. 2.*
46. Multa siquidem rei, dum alii inserta est, ex accidenti eueniunt, quæ eidem alias non eueniant. *Plat. in Philebo.*
47. Ordo igitur logice consideratus, nō est dispositio, sed disponendi modus, ratio seu regula. *Piccol. in Comit. pol.*
48. In disciplinis autem & rebus dispositio est, non disponendi modus seu regula. *Ex prior.*
49. Huius consideratio non logica, sed metaphysica est. *Ex aphor. 1. & seqq. disp. h.*
50. Cuius enim est scire & docere res vniuersas, eiusdem quoque rerum inter se nexum, & talem ordinem. *Ex aphor. 107. disp. 4.*
51. Ordo enim rerum vniuersarum & disciplinarum anima & forma est. *Ex aphorism. 4. disp. h.*
52. Nec ipse habitus est: nulla enim res logica habitus est. *Ex aphor. 24. disp. 2.*
53. Omnis enim habitus est res realis, qualitas n. acquisita & in animum quasi impacta. *Ex disp. 8. quæst. illustr.*
54. Ordo igitur logice acceptus & præceptus instrumentum nobis dianoeticum est. *Ex aph. 2. disp. 13.*
55. Instrumentum dianoeticum capimus, quo vnum ex alio educimus. *Ibid.*
56. Instrumentum quidem, quia tota logica instrumentalis dicitur ab instrumentis, quæ

in ipſa docentur. *Zabarell. lib. 1. de natur. logic. cap. 10.*

57. Ac inſtrumentum dianoeticum, quia hoc illi cum ſyllogiſmo commune, vt vnum ex alio eliciatur. *Talæus.*

58. De quo cum Ariſtoteles in logicis nihil præcipiat, ideo mancum & mutilum ipſi eſſe organum fidenter contendo. *Confer Zab. lib. 4 de Method. c 22.*

59. Illa enim diſciplina inſtrumentalis perfecta eſſe nequit, quæ perfectiſſimum inſtrumentum, cuiuſmodi ordo eſt, derelictui habet. *Confer Scal. exer. 1. ſ. 3.*

60. Nullum enim totum ſui aliqua parte Principe derupta, vere totum, ſed truncum eſt. *Ex aphoriſ. 41. diſp. 9.*

61. Dianoeticum autem & logicum ordinem eſſe inſtrumentum, & quidem omnium maxime Princeps, neceſſitas & pulcritudo admirabilis oſtendunt.

62. Nulla enim mentis actio ſeu operatio difficilior, & arduior eſt, quam illa, quæ in ordinis exſecutione ſeſe exerit. *Conf. Gocl. in Iſag. log. ad fin.*

63. Compoſitio & diuiſio ſimplicium difficilis, difficilior diſcurſus, difficilima rerum in diſciplinis ordinatio. *Talæus.*

64. Ideo & inſtrumentum, quod talem actionem ſeu ordinationem & adiuuat, & dirigit, omnium difficilimum & præſtantiſſimum eſſe neceſſe eſt. *Ex Zab. 2. de nat. log. c. 3.*

65. Ordinatio enim exerceri non poteſt, ſine mentis omnibus operationibus, ſine inuenien-

di theo-

di theorematib. & axiomatis, & syllogismi opella. *Talæus ad h.loc.*

66. Itaque in ordinatione omnes mentis operationes concurrunt, & ipsa ordinatio seu directio omnium vltima & perfectissima est. *Moccenic. contemp.2.part.1.c.1.*

67. Processus tamen ordinis a processu syllogistico maxime distinctus est. *Ex priorib.*

68. In ordine deductio fit vnius axiomatis iam conclusi, vel complurium ex alio vno.

69. Et quidem ea deductio per se fit sine necessitate, seu vi inferendi.

70. In syllogismo fit deductio vni' axiomatis, sed dubii, & nondũ conclusi, ex duob. minimũ aliis.

71. Et quidem hæc deductio consistit in vi, & necessitate inferendi.

72. Necessitas & vis inferendi, syllogismi essentia est. *Ex disp.13.*

73. Itaque ordo omnis est axiomatum manifestorum, & sæpe infinitorum. *Ex aph.88. disp. h.*

74. Syllogismus autem non item, sed duorum tm̃ manifestorum, vnde dubium concluditur, ideoque trium tantum propositionum est.

75. Ac nullum axioma ex alio educi potest, nisi cũ eo, vnde deducitur, cõsentiat, *Ex disp.4.aph.33.*

76. Iccirco omnia axiomata ordinata homogenea esse oportet. *Ram.*

77. Quæ homogeneitas non est necesse, vt sit præceptorum eiusdem disciplinæ. *Confer Piccol. in Phys. introduct. c.12.*

78. Sed etiam esse potest in præceptis seu documentis disciplinarum diuersarum. *Confer Zab. l. 1. de nat. log. c.2. contra Snell. & alios.*

79. Imo ipsæ disciplinæ diuersæ inter se homogeneæ sunt.
80. Diuersæ ratione præceptorum singulorum, homogeneæ ratione ordinis, qui inter ipsas.
81. Ordinari enim nihil potest, nisi prius & posterius, nisiq; quod primum, & inde dependens. *Piccol. Introductione ciuilis philosophiæ. c. 15. & 16.*
82. In omni autem priori & posteriori, primo & dependenti consensio seu homogeneia est. *Ex aphor. 8. disp. 7.*
83. Sicut in catena annulus annulum capit, & alter ab altero dependet, sic in artibus & scientiis præceptum capit præceptum. *Ex Bumanni lib. 2. Hipomn. log. cap. 27.*
84. Et omnia, quæ in illis sunt, sibi ἀναλόγως respondent. *Ibid.*
85. Et ea esse oportet non simplices notiones, *vt dictum aph. 73. disp h.*
86. At nil cognoscitur & dignoscitur sine attributis, vel expressis, vel intellectis. *Ex aph. 5. disp. 11.*
87. Cui autem attributum affixum, iam id simplex amplius non est. *Ex prior.*
88. Ordo igitur est instrumentum dianoeticũ, quo vnum vel plura axiomata ex alio sine vi syllogistica colliguntur, ad rerum cognitionem in suo genere perfectam adipiscendam.
89. Itaque in omnibus axiomatibus ordinatis est aliquod prius & posterius. *Ex prior.*
90. Ordo enim omnis in priori & posteriori veluti forma & essentia consistit. *Fons. 5. Metaph. c. 1. q. 3. s. 3.*

91. Prio-

91. Prioris ratio est præeũdi, posterioris sequendi. *Scal.d.lib.1.de causs.lat.ling.c.35.*

92. Sublato igitur priori & posteriori ordo tollitur necessario. *Ex.d.aph.90.*

93. Ergo quando duæ vel plures res cõcurrunt disponendæ, in quibus non reperiat locum prius & posterius, ordinis iudicium nõ attenditur, sed arbitrium disponentis. *Zabar. lib. 1. de Method. intel.c.9.*

94. Idcirco talis ordo ab eodem & aliis arbitrarius nuncupatur. *Lib.de ord.intel.c.1.*

95. Inque hoc casu vel id, quod nobis notius & illustrius est, vel quod nobilius, præcedere iubemus. *Iacob. Acontius de Method. pag.70.*

96. Quomodo intelligendum est illud: A nobiliori seu a principaliori incipiendum est. *Gocl. lib.de Method.*

97. Hoc enim verbi non inuenit spatium vbi ordo, sed vbi non ordo & arbitrium, seu placitũ, seu commodum disponentis. *Zab. lib. 1. de Method.c.7.*

98. Omne autem prius in ordine, vel prius est vt caussa essendi posterioris; vel vt antecedens tantũ, & vt caussa cognoscendi. *Conf.disp.seqq.latius.*

99. Omne prius quod continet caussam essendi posterioris, continet etiam caussam eiusdem cognoscendi. *Piccol.in Comit.polit.pag.1022.*

100. Vnde enim res habet vt sit, inde etiam vt primo cognoscatur. *Arist.2.Metaph.c.1.*

101. Caussæ essendi sunt 4. Efficiens, materia, forma, & finis. *Arist.in post.analyt.*

102. Omne enim ens, præter Devm, propter

ſui imbecillitatem ex omnibus hiſce cauſſis eſt. *Scal.ex.307.ſ.27.*

103. Deus enim cauſſa omnium, ideo, ſupra omnia, ideo a nulla cauſſa, non eſſet ſupra omnia, ſi cauſſam & ipſe haberet. *Scalig.*

104. Et omne genus cauſſæ eſt principium, per quod res eſt, & cognitionis. *Vide eleganter Piccol. lib. 1. Phyſ. pag. 103.*

Diſputatio XVI.

DE METHODO IN SPECIE.

Reſpondente Iohanne Guedelio, Eſchenbacenſi, Palatino.

1. DIctũ ſuperius cauſſas eſſendi eſſe quatuor, vt efficientem, materiam, formam, & finẽ.

2. Ad materiam refero genus, ad formam differentias eſſentiales, aut pro eſſentialib. acceptas. *Fonſec.5. Metaph.c.8.q.4.ſect.3.*

3. Subiectum autem nullum, qua ſubiectum, eſſendi principium eſt. *Ex aph.23.diſp.4.*

4. Antecedens autem, & non cauſſa eſſendi in ordine, poſterioris tamen cauſſam cognoſcendi eſſe neceſſe eſt. *Conf. Zab. dict. l.1. de Meth. cap.8.*

5. In omni enim ordine conſequẽs, ex antecedentis cognitione depẽdet. *Ex aph. diſp. præced. 88.*

6. Alias non omne antecedens aliud, illico eiuſdem cauſſa eſſendi eſt. *Ex aph.14. d. diſp.5.*

7. Nec omne antecedens aliud, illico eiuſdem cauſſa cognoſcendi eſt. *Ex priori.*

8. Sed omne antecedens in ordine, vt cauſſa cognoſcendi, ſemper eſt natura prius; non enim

esset antecedens in ordine, nisi natura prius. *Ex aph.98.disp.praced.*
9. Caussa igitur cognoscendi in ordine duas postulat cõditiones. 1. Vt sit natura saltem prior. 2. vt in alterius nos cognitionem inuehat *Ex disp. praced.*
10. Itaque nullum, quod caussa cognoscendi quidem est, nec tamen natura prius, in ordine præit. *Conf. Crell. 1. Phys. c. 1.*
11. Et nullum, quod natura quidem prius est, nec caussam tamẽ alterius cognoscendi præfert. *Ex aph. 9. disp. h.*
12. Omnis tamen caussa essendi, non qua essendi est, sed qua cognoscendi, in ordine attenditur. *Ex apho. seqq.*
13. In ordine enim quærimus, non vnde res aliqua sit, sed vnde melius cognoscatur. *Zab. lib. 1. apolog. c. 5.*
14. Omnis enim ordo ad rem cognoscendam institutus est, *Ex eod. lib. 1. de nat. log. c. 12. ad finem.*
15. Quomodo aliud ab alio sit, id debetur certis inueniendi instrumẽtis. *Ex disp. 4. aph. 25. & seqq.*
16. Quomodo aliud cum alio disponatur, & cõcludatur quippiam, id debetur noetico & syllogistico instrumentis.
17. Quomodo autem aliud axioma ex alio natura priori cognoscatur, id soli ordini relinquitur. *Ex apho. 12. disp. h.*
18. Itaque omne natura prius, & cognoscendi principium, per se clarius est aut vniuersalius. *Ex apho. 9. disp. h.*

19. Et omne per se clarius, aut vniuersalius est etiã natura prius, & cognoscendi principium.

20. Quanquam per se clarius, & vniuersalius cũ philosophis distinguimus.

21. Omne vniuersalius per se est & clarius, at non viceuersa.

22. Vniuersale enim est, seu καθόλου τοῦτο λέγεται, ὃ πλείοσιν ὑπάρχειν πέφυκε. *7. Metaph.13.*

23. Sic litera pluribus inest, quam syllaba; & genus pluribus, quam species: ideo illa vniuersaliora his. *Gocl.lib.de Meth.didasc.*

24. Clarius autem per se est, etiamsi pluribus, quam id, quo clarius est, non insit. *Ex aph.seq.*

25. Omne enim subiectum proprium, & πάθος τὸ ἴδιον æqualis sunt ambitus, illud tamen hoc per se clarius & notius. *Zab.lib.1.de propos.necess.c.5.*

26. Caussa cognoscendi & natura prius, est veluti subiectum ad adiunctum, veluti habitus ad priuationem, veluti rectum ad obliquum, veluti lex ad peccatum. *Ex aphor.79.disp.2.*

27. Ex his enim nullum alterius est caussa essendi. *Ex aphor.disp.praced.*

28. Semper igitur in ordine a per se clarioribus, & natura prioribus, ad ea, quæ sunt obscuriora & natura posteriora, descendimus. *Ram. lib.2 log.de Method.*

29. Ideoq; semper ab eo, quod parit cognitionem distinctam, non confusam. *Zab.lib.1.de Method.c.9.*

30. Omne per se clarius est etiam natura prius, & quicquid in ordine natura prius, est per se clarius. *Conf.aph.18.disp.h.*

illo.

31. Esse autem natura prius, phrasis est ambigua, ideo accurate distinguenda.

32. Primo, τῇ φύσει, seu natura prius dicitur, quod prius in natura exstitit, si non semper tempore, certe semper τῇ γενέσει. *Vide Zab.lib.1.de Meth.c.6.*

33. Sic elementa sunt natura priora mixtis, & mixta animalibus, & domus ciuitate. *Arist.1.polit.3. Confer Zab.lib.2.de med.demonst.c.10.*

34. Secundo prius natura est, non quod prius in natura exstitit, sed quod prius a natura intenditur. *Zab.ibid.*

35. Hoc modo quod præstantius & perfectius est, & compositius alio, ipso quoque id natura prius dicitur. *Arist.2.de part.anim.cap.1.*

36. Et posteriora generatione sunt priora natura. *1.Metaph.c.7.*

37. Sic rursus ciuitas est ordine naturæ prior, quam familia, quoniam vnaquæque res parte sui est antiquior. *1.polit.2.*

38. Vnde merito quæsitum, an a toto ad partes, an contra a partib.ad totum sit progrediendum. *Arist.in prooem.1.de anima.text.9.*

39. Nam dictum iam, totum esse natura prius partibus; sed & dictum, partes esse natura priores toto. 5.*Metaph.text.16.* & *1.polit.2.*

40. Omninoque in hac natura, quod generatione est vltimum, est perfectione & instituto primum; & quod institutione & perfectione primum est, generatione seu exsistentia est posterius. *Piccol.comit.polit.pag.1015.*

41. Et nihilo secius tamen, quicquid perficit aliquid, licet sit imperfectum, eo, quod perfici-

tur, perfectius censetur. *Id.grad.5. Philos. moral. cap.16.*

42. Totum igitur cum perficiat partes, perfectius erit ipsis, & natura prius, & vicissim partes, cum perfecerint totum, erunt ipso perfectiores & natura priores. *Gocl.part 2.probl.log. q.4.*

43. Quicquid enim dat esse alicui, perfectius & prius eo est, quod accipit, *Ex disp.4.aphoris.log.*

44. Tertio natura prius est, quod sine intentione naturæ, secundum essentiam aut accidens, præstantius est. *Ex seqq.*

45. Sic sensus visus aperte dicitur natura prior ceteris sensibus. *2.de ort. & interit. context.7.*

46. Sic circulus natura prior, h. e. eminentior recto indigetatur. *d 1.de cœl. text. 12.*

47. Igitur tripliciter est aliquid natura prius I. Ratione exsistentiæ realis. II. Ratione exsistentiæ intentionalis & instituti scopi. III. Ratione præstantiæ essentialis vel accidentalis.

48. Tertium natura prius in ordine locum non sustinet, *Ex disp. prior.*

49. Sic enim nunquam liceret a principiis ordiri. Omne enim principium, qua ens est, Deo excepto, ignobilius est principiato suo. *Colleg. Conimb.2.Phys.c.7.q 5. art.1.*

50. Omne n. principiatum essentiam habet nobiliorem, quam vnum tale principium. *Ibidem.*

51. Ac semper a principiis ordiendũ. *1.acro.c.1.*

52. Omne enim principium Solem intelligendi in principiatum eiaculatur. *Conf. Tempel. de Meth. log. Ram.*

53. Id autẽ principium est duplex, vel enim realiter

liter in natura præexiſtit, & cauſſa cognoſcendi eſt, vel intentionaliter in natura præexiſtit, & item cauſſa cognoſcendi eſt. *Confir Pic. com. polit.*
54. Intentionale principium natura ſibi conſtituit prius, quam reale. *Ex Scalig. exer. 307. ſect. 21*
55. Reali enim non potitur, niſi per intẽtionale.
56. Hoc eſt, finis, & quicquid finis rationem habet, veluti totum, ſeu totius definitio. *Conf. Gocl. lib. de meth. & Piccol. paſſim com. polit.*
57. Omne enim totum a natura prius cognoſcitur, quam partes: eſt enim id, cui intendit opus, & apparat partes. *Scal. d. ex. 307. ſ. 21.*
58. Per naturam non intelligo hic Deum, qui omnia æque nouit, ſed virtutem in rebus, quæ a Deo ipſo dependet, & ſapientiſſimis præceptis a Deo præculta eſt. *Ibid.*
59. Et ſemper fere totius definitio finem includit, quo omnia, quæ ſunt in diſciplina, referuntur. *Gocl. de Meth.*
60. Reale autem principiũ eſt omne illud, quod reuera ante, natura ſaltem exſiſtit, & cauſſa cognoſcendi eſt. *Ex collat. aphor. 53.*
61. Illo cum vtitur natura, reſoluit; hoc autem quando vtitur, componit, & id quod intentionale erat, efficit reale. *Conf. aphoriſm. 55.*
62. Naturæ igitur ordo eſt talis; primo procedit ab ente intentionali, veluti fine, ad media. Secũdo; mediis acceptis & erutis principiis, ad finem generandum aut conſequendum feſtinat.
63. Semper igitur natura a fine aliquo incipit, & in fine acquieſcit, quem ſibi per media idonea conciliat.

64. Termini igitur, quibus natura in ordine vtitur, sunt tres. Primus, a quo, nempe finis intentio. Secundus ad quem, nempe principiorum realium sibi constitutio. Tertius, ad quem, finis procreatio.

65. A fine progrediens ad media resoluit; a mediis ad finis adeptionem componit. *Zab.*

66. Resolutio igitur non est ordo, sed est actio, quæ est a fine ad media. & fit in ordine.

67. Nec compositio est ordo, sed actio, quæ fit in ordine, hoc est a priori ad posterius. *Ex prior.*

68. In quouis igitur ordine duplex est actio, resolutio & compositio,

69. Resolutio autem & compositio re ipsa & formis differunt. Εἴδηλον.

70. A resolutione vnus resolutiuus, a compositione alter resolutiuus nuncupatur, quem vtrũque natura prudentissime præscripsit. *Zab. lib. de Method.*

71. Vterq; autem ordo est, quia vterque in priori & posteriori, quæ ordinis essentiam in genere constituunt, consistit. *Ex disp. praced.*

72. Duplex autem & essentialiter distinctus, quia duplex actio a priori ad posterius distincta reipsa. *Ex aphor. 69.*

73. Et vtrumque ordinem in quauis disciplina legitime conscribenda obseruari posse coniunctim, non inepte contendit *Piccol. comit. polit. & in Phil. mor.*

74. Dicemus nos, non obseruari tantum posse in quauis disciplina integra, sed etiam debere.

75. I. Quia natura ipsa ordinis nostri fundamẽ-

tum

tum est, & vtrumque ordinem in quouis opere perficiendo enixe persequitur. *Ex aph. 62.*
76. II. Quia in omni integra disciplina necesse est inueniri diuisionem integri in membra.
77. At nullum integrum perspici potest distincte, nisi ante perceptis partibus. Εὔδηλον.
78. Et nullæ partes sigillatim acceptæ distincte cognoscentur, nisi percepto fine & officio totius.
79. Toti tribuuntur multa, quæ partibus sigillatim non tribuentur. *Piccol.*
80. Cum natura sit ordinis fundamentum, arcte teneo, ordinem in disciplinis esse petendum ab ordine rerum, qui est in natura. *Piccol. com. pol. par. 5.*
81. Hinc Philosophus præcipit in seruando ordine nos debere naturam sequi, & ordiri a primis. *1. Physic. tex. 56. 2. de anim. tex. 34. 1. de ort. & interit. tex. 43.*
82. Et eleganter dictum, ordo eorum, quæ sunt, sequitur ordinem intelligētiarum separatarum; ordo vero nostri intellectus sequitur ordinem rerum. *Auer. 3. disp. quodlibet. 18. dub. 2. & Scal. ex. 2.*
83. Et Galenus: quodcunque a natura principium est constitutum, id a se fieri etiam doctrina cogit. *6. de decret. c. 5.*
84. Scientiæ enim nostræ ita secantur, seu diuiduntur, vt res in natura sunt diuisæ; ideoq; necessario disponentur, vt sunt dispositæ in natura. Antecedens est *Arist. 3. de anim. text. 38.*
85. Deinde, quia scientia est mensura, non quidem mensurans, sed mensurata a rebus, vt est *10. Metaph. tex. 5.*

86. Denique quia consensu omnium ideo duplex est ordo in disciplinis, resolutiuus & cōpositiuus, quia in natura talis obseruatur. *Zab. lib. de Method.*

87. Adde quod ratio, vnde ordo petitur, potius constantior, quam instabilior attendenda. *Piccol. d. part. 5. com. polit.*

88. At natura multis partibus constantior est, quam modus noster cognoscendi melior.

89. Et ideo cognoscendi modus constans est, quia naturæ stabilitati innititur: stabilis hic, quia illa stabilis.

90. Et quia naturam sequimur in disponendo, ideo etiam sequimur modum nostrum cognoscendi meliorem, non contra. *Piccol. d. part. 5.*

91. Ab hoc ordine naturæ intellectus ordo artificiosus non variat, nisi ex accidente & vitio sui, vt qui ordinem rerum per inscientiæ nubeculam sæpissime ignorat. *Conf. Piccol.*

92. Omnino, quemadmodum in axiomatibus tenemur coniungere, quæ natura coniunxit, & seiungere quæ eadem seiunxit: sic & in ordine ea præmittere, quæ natura præmisit, ea submittere, quæ illa submisit. Antecedens est. *Scal. l. 7. de caus. lat. ling. cap. 142.*

93. Itaq; si contra in disciplinis molimur, ordinem naturæ inuertimus, & in artē, cuius natura fundamentum, necessario impingimus.

94. Ordo igitur resolutiuus est prior ordinis species, qua a fine, vel eo, quod finis rationē habet, ad destinata seu principia prolabimur. *Conf. Zab. lib. 2. de Method. c. 17.*

95. Com-

95. Compositiuus est altera ordinis species, qua a mediis ad finem consequendum progredimur. *Zab. ibid. cap. 16.*
96. Ordo resolutiuus est præstantior compositiuo: hic enim ab illo necessario dependet. *Contra Scal. lib. 1. de caus. lat. ling. c. 3.*
97. Omne enim independens præstantius est dependenti. *Ex 1. lib. prior. analyt.*
98. Vterq; ordo in vsu coniunctissimus est cum virtute inueniendi Axiomatica, & Syllogistica. *Ex Piccol. lib. 3. de ment. hum. c. 1.*
99. Ideo ordo omnium difficilimum exercitu instrumentum propter tam varias annexas operationes.
100. Itaq; non placet Rami hypothesis de præceptis in vrnam collectis & confusis, & postea per ordinem disponendis. *lib. 2.*
101. Hæc enim hypothesis statuit, necessario præcepta iam ante in ordine quodam fuisse, & inde postea exemta, & inter se conturbata.
102. At non est quæstio, quomodo præcepta ex ordine eiecta in ordinem redigēda sint, sed quomodo ea, quæ nunquam in ordine fuere, ordine componenda.
103. Rami hypothesin vel septennis puer præceptis ipsius instructus, persequatur, sed ordinem eorum facere, quæ nunquam ordinem habuere, tantæ est difficultatis, vt merito hic omnes Philosophi difficultatem sentiant grauissimam.
104. Artes tamen oratoriæ & poeticæ & sæpe ab ordinis præceptis, sed licite discedunt, quia eis non tam propositum, cognoscere rerum ordinē,

quam delectare, & admirationem, & quasi stuporem animis audientium iniicere.

105. Atq; hæc etiam de ordinis doctrina, elegãtia, necessitate, natura, & proprietatib⁹ diligẽter a nobis pro tempore dicta sunt, ex quib⁹ fere omnes cõtrouersiæ intelligẽtur & decidentur.

106. Tu autem, Academice, & in scriptis eorũ, qui hanc doctrinam persecuti sunt, non triuialiter versate, iudicium ferto.

Disputatio XVII.

DE TRIBVS LEGIBVS, A PETRO RAMO INCVLCATIS.

Respondente Hippolyto Hubmeiero, L.P.

1.

DE trium legum, quas elegantissimus Ramus ad rauim pene vbiq; appellat, potestate, multi pertinaciã pro telo, & fastigium pro muro habent, vt verba vsurpem *Scalig. ex.307.s. 25.*

2. At pertinaciter reiicere & fastidire id, cuius syncerus necessariusq; vsus ignoratur, nimis quã curti & natantis iudicii est.

3. Et excellenter pudeat eos, qui cum alios oppugnatum veniunt, ipsi vitiosa arma afferunt, quorum culpa conuincantur. *Scal. lib. 1. de causs, latin. ling. c. 11.*

4. In eorum numero, vt boni esse nolunt, ita & ab eorundem dementi opinione dissidere volunt.

5. Nec

5. Nec enim hominum quantiuis pretii & sapientiæ errores fouendi sunt, sed quos commisere tollendi, quæq; necessaria omisere, indicanda & vindicanda. *Scal. d. lib. 1. de causs. lat. ling. c. 25.*

6. Nec vniuersa Philosophia in nudis opinionibus, nec in pertinacia, numeroue, sed in pondere soliditateq; sententiarum consistit. *Idem in Poeticis.*

7. Quibus sententiis, diuina illa nostri particula præculta, perinde atq; globo facto eos, qui in decernendo vero, non ex vero, sed ex quodam animi morbo pronũtiant, tanquam hostes prosternimus. *Idem ex. 307. sect. 5.*

8. At multiplices eæ sentẽtiæ cum sint variæq;, ideo varie discerptæ, varieq; in suam quæq: ceu tribum tributæ. *Confer eleganter Senec. epist. 94.*

9. Quæ tributio aut distributio non a triuiali quodam Philosopho, sed a Principe illo, qui in ceteras disciplinas habenas exercet, fieri poterat, vt a nobis disputatum *in disp. de prima Philosophiæ Magisterio, thes. vlt.*

10. Hic enim tanquam in solio Philosophico constitutus, & omnia perlustrans, quasi iustus Rex suum cuiq; reddit, herciscens familias, & finium regund. iniens rationem. *Scalig. ex. 9.*

11. Apud eum enim est disciplinarum distributio, penes quem est earundem constitutio & informatio. *Perer. lib. 1. de Philos. cap. 2.*

12. Sicut autem ad distributionem opus sunt leges distribuendi, sic ad constitutionem leges cõstituendi. *Conf. Ram. lib. 1. Schol. Gram.*

13. Nulla enim disciplinarum est, quæ non ma-

teriam quampiam certo modo, tanquam forma determinatam, possideat & pertractet. *Zab.lib. de trib. præcog.c.4.& seqq.*

14. Nulla item materia sine forma seu modo est, quo eius laxitas restringatur arceaturque. *Scal.ex.17.*

15. Imo habes quod mireris, omnis materia, etiam vltima illa, quæ dicitur, forma est. *Taurell.in triumph.Philos.*

16. Leges constituendi tantopere necessariæ & vtiles sunt, vt sine iis rerum perfecta cognitio, & exacta traditio, seu methodus, quæ cognitioni plurimum ancillatur, & forma scientiarum artiumq; nuncupatur, desperanda sit omnis. *Conf. Plat. in Phædone.*

17. Leges constituendi aut sunt definiendi, aut determinandi.

18. Definiendi leges præscripsimus non indiligenter supra disput. 11.

19. Et sunt istæ ab his distinctæ: Omnes enim species sub genere vno aut diuerso distinctæ sunt. *Zab.in Phys.lib.2.de qual.elem.c.6.*

20. Sæpe tamen numero determinandi lex legi definiēdi subseruit, & opem operamq; cum ipsa communicat. *Ex aph.40.disp.h.& seq.*

21. Determinandi lex aut in propositionis partibus occupatur, aut in partibus propositionis & integris propositionibus simul.

22. Determinandi igitur lex est, quæ propositiones vel secundum partes, vel secundum totū determinat, vt quod eius fieri potest, perfecta habeatur cognitio.

23. Ha-

23. Harum legum, ſicut & aliarum optimarum ſemina & initia Deo coæterna ſunt. *Piccol.grad. 10. Phil. mor.c.26.*

24. Poſtea in natura ipſa & mentib hominum, tanquam ſcintillæ emicuere, vnde neceſſitate vrgente, & vtilitate ſuadente, arreptæ, hauſtæ & propagatæ ſunt. *Piccol.ibid.*

25. Deus igitur leges initio proſeminauit, natura oſtendit, induſtria hominum ex natura elicuit, & in literas redegit. *Confer Ariſt. in Elench. Sophiſt.*

26. Tantum igitur abeſt, vt a Ramo nouiter ſint inuectæ & excogitatæ, vt etiã fuerint ante mundi conſtitutionem. *Ex aphor. 23.*

27. Appellationes quidem earum κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, & καθόλου πρῶτον, in Philoſopho exſtant, ſed tantũ ad demonſtrationẽ adhibitæ. *1. poſt. c. 4.*

28. At Ramus earum vſum longe generaliorem & eminentiorem eſſe deprehendit, non fingendo illas, ſed aliam ſignificationem prudenter iis attribuendo. *Gocl. in proœm. part. log.*

29. Res ipſa fuit longe ante, eademq; vt eſſet in artibus & diſciplinis, a Peripateticis & ab ipſo Ariſtotele, adeoque natura, præclare præceptum eſt. *Confer aphor. 47. & ſeq.*

30. Noua ſolum ſignificatio iam tum vocabulis vſitatis impoſita eſt, cuius ſolius Ramus alumnus & parens eſt. *Conf. Gocl. iam d. l.*

31. Quo in genere ſi quid erratum ab ipſo, erratũ quoq; fuerit cum ab aliis, tũ ab omnib. priſcis Romanis, qui vni voci, præter natiuã & inſitam ſignificationẽ, infinitas peregrinas affinxerunt. *Conf. Scal. l. 13. de cauſ. lat. ling. c. 192. & 293.*

32. Omnis enim vox vnam tantum eandemque sibi principem & natiuam significationem obtinet, ceteræ, quæ sunt, ascititiæ sunt, & ad primam illam ceu tesseram rediguntur. *Idem dict. l.*

33. Imo libertas Philosophica, ex superfluenti concedit, noua penitus vocabula fingere, quanto magis aliam significationem eidem vocabulo retento affingere, & commoditate suadente introducere in Latium. *vide eundem ex. 297.*

34. Earum autem legum possessio & exsecutio non penes logicum est, sed penes primum Philosophum: vsus autem earum artibus communis. Contra Ram.

35. Huius enim est, non illius, suam cuiq; disciplinæ præscribere & assignare materiam. *Perer. d. l. 1. de Philos.*

39. Quam præscriptionem & assignationem per leges istas, tanquam gubernandi & dirigendi modulos exsequitur.

37. Leges enim illæ a principis Philosophi maiestate & dignitate, quia; eius propria sunt quasi diademata & insignia, neutiq; auellendæ sunt.

38. Lex determinandi in propositionis partibus occupata tantum dicitur κατὰ παντὸς. *Confer aph. 21.*

39. Huius *primum* scitum est, vt quodlibet artis seu scientiæ documentum sit affirmatum. *Ramus lib. 2. Dial. ad hunc loc.*

40. Omne enim theorema disciplinæ affabre conscriptæ, docendi gratia instituitur. *Confer Arist. 1. post. c. 1.*

41. At plus docet affirmatio, quam negatio. *Flacius. 4. Dial. cap. 14.*

42. Et

42. Et affirmatio negatione multis partibus præstet & eminet. *Scal.ex.61.s.2.*

43. Adde, quod omnis negatiuæ propositionis veritas consistit in veritate alicuius propositionis affiirmatæ. *Ex disp.12. d ϕop: 112.*

44. Nihil enim negari potest de quopiam, nisi de eo ipso aliquid ante affirmetur. *Ex prio.*

45. Affirmatio enim cuiuis rei est essentialior & cognatior, negatio a. accidentalior & remotior. *Ex d.disp.12.apho.19.*

46. Et naturæ ipsa prius constitui vult, & intime & extime conseruari, quam ab aliis separari. *Ex priori.*

47. Atq; eampse ob caussam Philosophus definitiones negantes ex disciplinis excutiendas esse censuit. *6. Top.6.*

48. Multoq; citius & promtius cognitionem rei, quæ finis docentis disciplinæ, assequimur per affirmationes, quam negationes. *Ex aphor.45.*

49. Alterum scitum est, vt quoduis documentũ sit perpetuo & necessario verum. *1.post.c.26.*

50. Itaque Zabarella in disciplinis inquit, præcepta tradenda sunt, quæ perpetuam habeant veritatem. *lib.1.de med. demonst.c.10.*

51. Et Piccolom. definitiones, inquit, non sunto contingẽtes, sed per se & necessario veræ. *grad. 5.phil.mor.c.15.*

52. Hoc adeo certum est, vt res etiam contingentes necessariis obuiæ prostent definitionib⁹. *Confer Piccol.d.l.*

53. Nulla enim est regula, nulla definitio ex accidenti seu contingente facta, quæ non quadantenus falsa appareat. *Idem in comm. Pol.par.5.*

54. Res enim definiendæ eiusmodi postulant attributa, quæ ab iis in æternum separari nequeunt. *Ex Scal. lib. 4. de caus. Lat. lin. c. 80.*

55. Iccirco in ipsis signa vniuersalia, tum numerorum, tum temporum, necessario & semper intelliguntur, non exprimuntur. *Ibid.*

56. Per quæ enim cuiusq; rei essentia in naturæ constat, per eadem definienda & explicanda est in arte. *Zab. 1. post. c. 4.*

57. Tertium & vltimum legis κατὰ παντὸς scitũ est, vt documentum sit vniuersale & de omni, vt expresse habet *Ram. lib. 9. Schol. Dial. c. 14.*

58. Vniuersale esse cognoscitur ex duobus. 1. si subiectum sit vniuersale. 2. Si prædicatum omni tempore enuntietur. *Zab. lib. 1. de propos. neces. c. 2.*

59. Subiectum autem vniuersale esse deprehenditur, vel si signum vniuersale vere admittat, vel si quasi, & ob naturæ singularitatem & constantiam. *Conf. Gocl. part. 2. probl. log. q. 12.*

60. Huc faciunt auctoritates Galeni & Aristo. quorum ille πᾶν θεώρημα καθόλου esse debere contendit. lib. de optima secta ad Thrasybulũ.

61. Hic, καθόλου αἱ ἐπιστῆμαι πάντων, pronuntiat. *2. Metaph. a. 6.*

62. Quin rerum corruptibilium scientia seu propositio certa & incorruptibilis. *Scal. lib. 13. de caus. lat. lin. c. 187.*

63. Et lex ista non æternitatem in rebus simplicibus, sed in complexis seu propositionibus statuit & requirit. *Ex aph. 128. disp. 12. &c.*

64. Vt æterna sit illa propositio, non cuius vel subiectum vel prædicatum est æternum; sed cui' nexus,

nexus, qui fit per subiectum & prædicatum, æternus & perpetuus est. *Ex d.12. dist. aphoris.135.*

65. Quæ perpetuitas & æternitas, si simplici enuntiato semper comparari industria humana nequit, quit tamen composito & diuisiuo.

66. In simplici tantum axiomate κατ' ἐξοχὴν spectatur, iccirco & leges istas P. Ramus ad solum simplex astringere voluit. *d.l.1. Dial.6.4.*

67. Neque vniuersalitatem & necessitatem in compositis axiomatibus disertim negauit vnq̃.

68. Lex determinandi in partibus propositionis, & integris propositionib. simul occupata, vel κατ' αὐτὸ est, vel καθόλυ πρῶτον.

69. καθ' αὐτὸ seu iustitiæ, vt appellat Ram⁹, duo iubet & sancit.

70. Vnum est, vt axiomatis in disciplina traditæ partes inter se teneãtur nexu essentiali. Ram⁹.

81. Iccirco in definitionibus & artibus nihil accidentale toleratur. *Arist.5. Ethic. cap.11. Zab.1. de prop.nec.cap.10.*

72. Essentialis autem nexus est, vel quando alterum est de essentia alterius, vel quando alterũ ab alterius essentia perenniter quasi fluit, & demanat. *Zab.lib.1.de i.rer. mat.c.10.*

73. Alterum est, vt theorema illud, quod in arte aut scientia præcipitur, sit homogeneum & consentiens. *Ram.*

74. Confirmat natura, quæ homogenea & quasi congeneres res consociat, diuersigeneres autẽ dissociat & dissipat. *Gocl. in proœm. part. log.*

75. Comprobat Philosophi auctoritas, qui Arithmeticum in Geometria ἀγεωμέτρητον ;

& Geometricum in Arithmeticæ ἀνάριθμον pronuntiat. *1. post. c. 5.*

76. Atque adeo μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, hoc est transitionē de genere ad genus aliud, seuerissime vitandam monet *Arist. ibid.*

77. Iccirco prudenter a Zabar. subiectum cuiusque scientiæ proprium esse, nec transferendum, vnde nec principia eiusdē, nec affectiones transducendas esse concludit. *1. post. ad co. 58. & 59.*

78. Artium igitur termini constituendi sunt, & constituti obseruandi: vt singula singularum disciplinarum theoremata probe muniteq; custodiantur, in vsu & exercitatione vna promantur & coniungantur. *Ram. 2. Schol. Dial. c. 7.*

79. Homogeneum autem esse intelligitur, vel ex subiecto vt in scientiis, vel ex fine vt in artibus. *Confer Zab. lib. de tr. præc. c. 1. & seq. & Arist. 1. post. cont. 57.*

80. Artium autem differentiæ potissimum à fine sumuntur. *Zab. 2. de nat. log. c. 11.*

81. Adhuc finem ceu scopum, artis cuiusque præcepta collineare & conspirare debent. *Flac. l. gen. log. c. 3.*

82. Iccirco præceptum in arte peregrinum per legem iustitiæ ceu falcem amputandum est.

83. Lex καθόλου πρῶτον, alias lex sapientiæ duo item præcipit.

84. Vnum est, vt consequens cum antecedente reciprocetur, proindeq; æqualis sit cum ambitu. *Conf. Arist. 6. Top. & Zab. 3. de meth. c. 10.*

85. Atq; hoc est, quod & Aristotelici volunt, Definitionem bonam cum definito, sicut & distributionē cum distributo, viciſſim retro cō-

meare debere. *Scalig. ex 300. f. 1.*

86. Reciprocum autem est axioma, quando antecedens in locum consequentis; & vicissim consequens in locum antecedentis transit, eadē axiomatis quantitate & qualitate retentis.

87. *Alterū* est; vt generale generaliter; speciale specialiter præcipiatur, & ταυτολογία vitetur. *Ra. d l. 2.*

88. Qui enim specialem affectionem generi aut contra generalem speciei affigit, is perinde facturus est, ac si sartor aliquis ridiculus pumilionis veste gigantem, aut contra pumilionem Gigantis veste vestire conetur. *Ra. in Schol mathemat.*

89 Quod & ipsum Arist. docuit, contendens, vt τῷ γένει ὁμογενὲς, τῷ δ' εἴδει ὁμοειδὲς copuletur. *1. post. c. 4. & 5.*

90. Hæc de tribus legibus accurate obseruanda esse, disciplinarum plucritudo, natura ipsa, adeoque Peripateticorum auctoritates adductæ ostendunt.

91. Suntque earum virtutes distinctæ, ita vt vna non sufficiat, sed omnes tres requirantur; id quod omnium elegantissime explicauit *Bisterfeldius in Logic. ad h. l.*

92. Sed caute animaduerte, illas ipsas virtutes esse intelligendas, primo, in perfectis axiomatibus, vt definitionibus & distributionibus, non qualibus qualibus consectariis & aphorismis. *vide aphor. 39. & seq.*

93. Secundo, in disciplinis quatenus non ab inuicē pendent, cuiusmodi sunt inter se particulares, & non subalternatæ. *Conf. disp. 1. quæst. illust. & 4. earundem. th. 1.*

94\. Subalternatæ enim a subalternantibus seu principibus, subiecta non solum, sed etiam principia mutuantur, modus tamen considerandi est diuersus. *Ex 3. disp quæst. illust. th. 1.*

95\. Imperfectas siquidem propositiones, vt descriptiones non paucas, & consectaria omnia, ad leges illas tres ne ipse quidem Ramus accommodare potuit, nec debuit. *Conf. priores 3. saltem libros Geometriæ Rameæ.*

96\. Alias omnibus disciplinis indiscrete eas attribuere velle, nec modum cōsiderandi diuersum attendere, id adeo absurdum est, vt primus philosophus de solio suo & augusto imperio penitus deturbetur, cum tamen omnino aliquis requiratur, qui ea, quæ in disciplinis particularibus considerari nequeunt, contempletur, vt disceptatum *in disp. 1. quæst. illust. th. 1. & alibi.*

Disputatio XVIII.

DE VTILISSIMA ILLA REALI ET RATIONIS distinctione;

M. Guilielmo Vrsino Præside:

ACHATIO RESCHIO WOLDERbacensi Palatino, olim respondente;

Nunc longe emendatior & auctior edita.

I. QVÆSTIO.

An Realis & Rationis distinctio sit omnis entis, adeoq; in negotio SS. Trinitatis locum inueniat?

Breve, ait ille, *est tempus, quod agimus; quod acturi sumus, dubium: quod egimus, certum.* Ex quo quanti habendum sit, quod velut in manu decurrit, satis, opinor, intelligi datur. Quin, cū illud breue, adeoque persæpe momentaneum sit, per breuitatem in longitudinem memoriæ consulendum: ne dics, quos illa optima cœli pietas cōcessit, plane combussisse aut lacerasse feramur. Pergamus ergo, cum distinctione illa reali & rationis, quæ dicitur, in præsentia res & ratio est: neque vero præter vim & rationem. Quot'enim quisque est, in cuius ea ore non versetur, aut qui vel fando eam non audiuerit? Quotus quisq; est, qui eius contemplationem penitiorem in irritū & cassum sumi affirmauerit? Huius ipsius obiectum, subiectum, & caussas, quantum quidem sub iugo occupationum licet, indagaturi sumus: in qua re Deum, cuius in omni re gloriam quærimus, propitium ducem & auspicem nobis serio precamur. Nostra enim hæc in literarum studiis peregrinatio, sine superna luce miserabilis quædam erratio est, vt acutissimi illius in 359. s. 1. verbis vtar. Cum hac luce eamus ad rem & obiectū, quod primū dispicere ferebat animus. Occipiamus sic: *Omne ens aut est reale, aut rationis.* Ex Ar. 6. Metaphys. c. 2. text. 8. Scalig. Ex 1. sect. 3. Ex. d. 359. sect. 10. Fons. c. 5. Metaph. c. 7. quæst. 7. sect. 5. Atqui Deus vel maximus est ens reale, vt concludere est ex Scalig. Ex. 61. s. 5 & 307. sect. 20. Ex. 205. s. 1. & 3. Ex. 6. sect. 2. Cum enim res creata, quæ Dei respectu est veluti vmbra & imago, realis sit, quanto magis Deus ipse,

Est enim omnis caussa suo effectu præstantior. Colleg. Conimb. 2. Physic. c. 7. quæst. 5. artic. 1. Ἀδύνατον *vt reale producatur a non reali*: igitur ESSE realissimum Deo tribuetur: sed alia longe est realitas Dei, alia creaturæ. Distingui igitur Deum a creaturis realissime necesse erit. Deinde, *Omnia, quæ separari possunt, realiter differunt.* Phil. Melanch. lib. 4. Dial. c. de distinct. Scot. in 2. dict. 1. q. 4. Fer. 1. Physs. quæst 10. Atqui Deus fuit sine creatura, atque etiamnunc esse posset sine creatura, omni scilicet destructa, & in nihilū redacta. At, inquis, plus quam genere differt Deus a Creatura: sed quid inde? nempe non distingui ea realiter? Non sequitur; imo hoc: Ergo maxime realiter. Quæcunq; enim genere differunt, realiter differunt. Ergo, quanto magis quæ diuersi sunt generis, realiter different. Ex. 9. Metaph. c. 13. tex. 26. Quin nec ab ipsa Trinitate est, quod ad solas creaturas amandes. In Trinitatis enim personis relatio: ea relatio aut realis est, aut rationis: mediam enim nullus finxeris, pinxeris, aut dixeris. Atqui realis est. *Sed enim omnia relata realia realiter quoque differunt.* Fons. d. 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 1. Adde quod vere opposita: Arist. in Categor. c. 7. At: *Omne verum oppositum ab opposito re diuersum est.* Vel Ramo Doctore. Et permirum cui accidat id, quod rei distinctione ex venerando illo mysterio ablegato, Rationis tamen admittatur. Cur enim non & rationis inde in totum abdicetur? Quid enim illa præ hac designauit? Neque desunt grauissimæ auctoritates, seu recentiores Theologos, seu Scholasticos, seu Patres ipsos

ipsos postules. De illis & istis res adeo clara & manifesta est, vt probatione indigeat nulla. De his autem non temere affirmauerim, si ipsa quidem verba spectes, facile autem si sensum. Cum Fonseca enim 4. Metaphys. c. 2. quæst 5. s. 2. Reale, Realiter, & Realitaris vocabulum potissimum recẽtiorum esse fateor. Græci profecto Patres fere omnes τῷ πράγματι διαφέρειν vel pro essentia, vel pro subiecto differre acceperunt, vt vel ex vno Damasceno lib. 1. Orthodox. fid. c. 11. satis superque liquet: quo sensu negauit & Damascenus, Patrem, Filium, & spiritum S. in diuinis πράγματι, id est, re differre λόγῳ τέ καὶ ἐπινοίᾳ, *intelligentia autem & ratione* distingui. Hoc autem ἐπινοίᾳ, *differre*, Augustinus per τὸ, *re vera differre* extulit. lib. de Trinit. c. 9. Qua de re consule prolixius quæst. 4. & 6. seqq.

II. QVÆSTIO.

An rationis distinctio antecedat rei?

SVNT qui illam præmittunt: Fortassis quia generalior, vtpote quæ & in personis Deitatis vsum habeat, & in creatis rebus simul. Sed cũ insigni doctrinæ suæ flagitio. Dicunt; distinctio alia est primaria, alia secundaria, & porro. Secũdaria est, quæ fit sola consideratione mentis. Primaria. quæ in rebus ipsis immediate est extra animum. Hoc ordine illi. Elegans hic & in logicam peccatum: quod partes eo, quo positæ sunt, ordine non expediuntur; & in reipsa: Cum *realis*

32. Omnis enim vox vnam tantum eandemque sibi principem & natiuam significationem obtinet, ceteræ, quæ sunt, ascititiæ sunt, & ad primam illam ceu tesseram rediguntur. *Idem dict. l.*

33. Imo libertas Philosophica, ex superfluenti concedit, noua penitus vocabula fingere, quanto magis aliam significationem eidem vocabulo retento affingere, & commoditate suadente introducere in Latium. *vide eundem ex. 297.*

34. Earum autem legum possessio & exsecutio non penes logicum est, sed penes primum Philosophum: vsus autem earum artibus communis. Contra Ram.

35. Huius enim est, non illius, suam cuiq; disciplinæ præscribere & assignare materiam. *Perer. d. l. 1. de Philos.*

39. Quam præscriptionem & assignationem per leges istas, tanquam gubernandi & dirigendi modulos exsequitur.

37. Leges enim illæ a principis Philosophi maiestate & dignitate, quia eius propria sunt quasi diademata & insignia, neutiq; auellendæ sunt.

38. Lex determinandi in propositionis partibus occupata tantum dicitur κατὰ παντὸς. *Confer aph. 21.*

39. Huius *primum* scitum est, vt quodlibet artis seu scientiæ documentum sit affirmatum. *Ramus lib. 2. Dial. ad hunc loc.*

40. Omne enim theorema disciplinæ affabre conscriptæ, docendi gratia instituitur. *Confer Arist. 1. post. c. 1.*

41. At plus docet affirmatio, quam negatio. *Flacius. 4. Dial. cap. 14.*

42. Et

42. Et affirmatio negatione multis partibus præstet & eminet. *Scal.ex.61.s.2.*

43. Adde, quod omnis negatiuæ propositionis veritas consistit in veritate alicuius propositionis affiirmatæ. *Ex disp.12. ἀφορ. 112.*

44. Nihil enim negari potest de quopiam, nisi de eo ipso aliquid ante affirmetur. *Ex prio.*

45. Affirmatio enim cuiuis rei est essentialior & cognatior, negatio a. accidentalior & remotior. *Ex d.disp.12.apho.19.*

46. Et naturæ ipsa prius constitui vult, & intime & extime conseruari, quam ab aliis separari. *Ex priori.*

47. Atq; eampse ob caussam Philosophus definitiones negantes ex disciplinis excutiendas esse censuit. *6. Top.6.*

48. Multoq; citius & promtius cognitionem rei, quæ finis docentis disciplinæ, assequimur per affirmationes, quam negationes. *Ex aphor.45.*

49. Alterum scitum est, vt quoduis documentũ sit perpetuo & necessario verum. *1.post.c.26.*

50. Itaque Zabarella in disciplinis inquit, præcepta tradenda sunt, quæ perpetuam habeant veritatem. *lib.1.de med. demonst.c.10.*

51. Et Piccolom. definitiones, inquit, non sunto contingẽtes, sed per se & necessario veræ. *grad. 5.phil.mor.c.15.*

52. Hoc adeo certum est, vt res etiam contingentes necessariis obuiæ prostent definitionib⁹. *Confer Piccol.d.l.*

53. Nulla enim est regula, nulla definitio ex accidenti seu contingente facta, quæ non quadantenus falsa appareat. *Idem in comm. Pol.par.5.*

M

54. Res enim definiendæ eiusmodi postulant attributa, quæ ab iis in æternum separari nequeunt. *Ex Scal.lib.4. de cauſ.Lat.lin.c.80.*

55. Iccirco in ipsis signa vniuersalia, tum numerorum, tum temporum, necessario & semper intelliguntur, non exprimuntur. *Ibid.*

56. Per quæ enim cuiusq; rei essentia in natura constat, per eadem definienda & explicanda est in arte. *Zab. 1. post.c.4.*

57. Tertium & vltimum legis κατὰ παντὸς scitũ est, vt documentum sit vniuersale & de omni, vt expresse habet *Ram. lib.9. Schol. Dial.c.14.*

58. Vniuersale esse cognoscitur ex duobus. 1. si subiectum sit vniuersale. 2. Si prædicatum omni tempore enuntietur. *Zab.lib.1.de propoſ.neceſ.c.2.*

59. Subiectum autem vniuersale esse deprehenditur, vel si signum vniuersale vere admittat, vel si quasi, & ob naturæ singularitatem & constantiam. *Conſ. Gocl.part. 2.probl. log.q.12.*

60. Huc faciunt auctoritates Galeni & Aristo. quorum ille πᾶν θεώρημα καθόλου esse debere contendit. lib.de optima secta ad Thrasybulũ.

61. Hic, καθόλου αἱ ἐπιστῆμαι πάντων, pronuntiat. *2. Metaph.a.6.*

62. Quin rerum corruptibilium scientia seu propositio certa & incorruptibilis. *Scal.lib.13. de cauſ.lat.lin.c.187.*

63. Et lex ista non æternitatem in rebus simplicibus, sed in complexis seu propositionibus statuit & requirit. *Ex aph.128. diſp.12.&c.*

64. Vt æterna sit illa propositio, non cuius vel subiectum vel prædicatum est æternum; sed cui' nexus,

nexus, qui fit per subiectum & prædicatum, æternus & perpetuus est. *Ex d.12.diff.aphoris.135.*

65. Quæ perpetuitas & æternitas, si simplici enuntiato semper comparari industria humana nequit, quit tamen composito & diuisiuo.

66. In simplici tantum axiomate κατ' ἐξοχὴν spectatur, iccirco & leges istas P. Ramus ad solum simplex astringere voluit. *d.l.1. Dial.c.4.*

67. Neque vniuersalitatem & necessitatem in compositis axiomatibus disertim negauit vnq̃.

68. Lex determinandi in partibus propositionis, & integris propositionib. simul occupata, vel κατ' αὐτὸ est, vel καθόλυ πρῶτον.

69. καθ' αὐτὸ seu iustitiæ, vt appellat Ram⁹, duo iubet & sancit.

70. Vnum est, vt axiomatis in disciplina traditæ partes inter se teneãtur nexu essentiali. Ram⁹.

81. Iccirco in definitionibus & artibus nihil accidentale toleratur. *Arist.5.Ethic. cap.11. Zab.1. de prop.nec.cap.10.*

72. Essentialis autem nexus est, vel quando alterum est de essentia alterius, vel quando alterũ ab alterius essentia perenniter quasi fluit, & demanat. *Zab.lib.1.de i.rer. mat.c.10.*

73. Alterum est, vt theorema illud, quod in arte aut scientia præcipitur, ei sit homogeneum & consentiens. *Ram.*

74. Confirmat natura, quæ homogenea & quasi congeneres res consociat, diuersigeneres autẽ dissociat & dissipat. *Gocl. in procem. part. log.*

75. Comprobat Philosophi auctoritas, qui Arithmeticum in Geometria ἀγεωμέτρητον ;

& Geometricum in Arithmeticæ ἀνάριθμον pronuntiat. *1. post. c. 5.*

76. Atque adeo μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, hoc est transitionē de genere ad genus aliud, seuerissime vitandam monet *Arist. ibid.*

77. Iccirco prudenter a Zabar. subiectum cuiusque scientiæ proprium esse, nec transferendum, vnde nec principia eiusdē, nec affectiones transducendas esse concludit. *1. post. ad co. 58. & 59.*

78. Artium igitur termini constituendi sunt, & constituti obseruandi: vt singula singularum disciplinarum theoremata probe muniteq; custodiantur, in vsu & exercitatione vna promantur & coniungantur. *Ram. 2. Schol. Dial. c. 7.*

79. Homogeneum autem esse intelligitur, vel ex subiecto vt in scientiis, vel ex fine vt in artibus. *Confer Zab. lib. de tr. prac. c. 1. & seq. & Arist. 1. post. cont. 57.*

80. Artium autem differentiæ potissimum a fine sumuntur. *Zab. 2. de nat. log. c. 11.*

81. Adhuc finem ceu scopum, artis cuiusque præcepta collineare & conspirare debent. *Flac. l. gen. log. c. 3.*

82. Iccirco præceptum in arte peregrinum per legem iustitiæ ceu falcem amputandum est.

83. Lex καθόλου πρῶτον, alias lex sapientiæ duo item præcipit.

84. Vnum est, vt consequens cum antecedente reciprocetur, proindeq; æqualis sit cum ambitu. *Conf. Arist. 6. Top. & Zab. 3. de meth. c. 10.*

85. Atq; hoc est, quod & Aristotelici volunt: Definitionem bonam cum definito, sicut & distributionē cum distributo, vicissim retrocō-

meare debere. *Scalig. ex 300. f. 1.*

86. Reciprocum autem est axioma, quando antecedens in locum consequentis; & vicissim consequens in locum antecedentis transit, eadẽ axiomatis quantitate & qualitate retentis.

87. *Alterũ* est; vt generale generaliter; speciale specialiter præcipiatur, & ταυτολογία vitetur. *Ra. d l. 2.*

88. Qui enim specialem affectionem generi aut contra generalem speciei affigit, is perinde facturus est, ac si sartor aliquis ridiculus pumilionis veste gigantem, aut contra pumilionem Gigantis veste vestire conetur. *Ra. in Schol mathemat.*

89 Quod & ipsum Arist. docuit, contendens, vt τῷ γένει ὁμογενὲς, τῷ δ' εἴδει ὁμοειδὲς copuletur. *1. post. c. 4. & 5.*

90. Hæc de tribus legibus accurate obseruanda esse, disciplinarum plucritudo, natura ipsa, adeoque Peripateticorum auctoritates adductæ ostendunt.

91. Suntque earum virtutes distinctæ, ita vt vna non sufficiat, sed omnes tres requirantur; id quod omnium elegantissime explicauit *Bisterfeldius in Logic. ad h. l.*

92. Sed caute animaduerte, illas ipsas virtutes esse intelligendas, primo, in perfectis axiomatibus, vt definitionibus & distributionibus, non qualibus qualibus consectariis & aphorismis. *vide aphor. 39. & seq.*

93. Secundo, in disciplinis quatenus non ab inuicẽ pendent, cuiusmodi sunt inter se particulares, & non subalternatæ. *Conf. disp. 1. quæst. illust. & 4. earundem. th. 1.*

94. Subalternatæ enim a subalternantibus seu principibus, subiecta non solum, sed etiam principia mutuantur, modus tamen considerandi est diuersus. *Ex 3.disp quæst.illust.th.1.*

95. Imperfectas siquidem propositiones, vt descriptiones non paucas, & consectaria omnia, ad leges illas tres ne ipse quidem Ramus accommodare potuit, nec debuit. *Conf.priores 3 saltem libros Geometriæ Rameæ.*

96. Alias omnibus disciplinis indiscrete eas attribuere velle, nec modum cõsiderandi diuersum attendere, id adeo absurdum est, vt primus philosophus de solio suo & augusto imperio penitus deturbetur, cum tamen omnino aliquis requiratur, qui ea, quæ in disciplinis particularibus considerari nequeunt, contempletur, vt disceptatum *in disp.1.quæst.illust.th.1.& alibi.*

Disputatio XVIII.

DE VTILISSIMA ILLA REALI ET RATIONIS distinctione;

M. Guilielmo Vrsino Præside:

ACHATIO RESCHIO WOLDERbacensi Palatino, olim respondente;

Nunc longe emendatior & auctior edita

I. QVÆSTIO.

An Realis & Rationis distinctio sit omnis entis, adeoq; in negotio SS. Trinitatis locum inueniat?

BREVE, ait ille, *est tempus, quod agimus; quod acturi sumus, dubium: quod egimus, certum.* Ex quo quanti habendum sit, quod velut in manu decurrit, satis, opinor, intelligi datur. Quin, cũ illud breue, adeoque persæpe momentaneum sit, per breuitatem in longitudinem memoriæ consulendum: ne dies, quos illa optima cœli pietas cõcessit, plane combussisse aut lacerasse feramur. Pergamus ergo, cum distinctione illa reali & rationis, quæ dicitur, in præsentia res & ratio est: neque vero præter vim & rationem. Quotus enim quisque est, in cuius ea ore non versetur, aut qui vel fando eam non audiuerit? Quotus quisq; est, qui eius contemplationem penitiorem in irritũ & cassum sumi affirmauerit? Huius ipsius obiectum, subiectum, & caussas, quantum quidem sub iugo occupationum licet, indagaturi sumus: in qua re Deum, cuius in omni re gloriam quærimus, propitium ducem & auspicem nobis serio precamur. Nostra enim hæc in literarum studiis peregrinatio, sine superna luce miserabilis quædam erratio est, vt acutissimi illius in 359.s.1.verbis vtar. Cum hac luce eamus ad rem & obiectũ, quod primũ dispicere ferebat animus. Occipiamus sic: *Omne ens aut est reale, aut rationis.* Ex Ar. 6.Metaphys.c.2.text. 8.Scalig. Ex 1.sect. 3. Ex.d. 359.sect. 10.Fons. c.5.Metaph. c.7. quæst.7. sect. 5. Atqui Deus vel maximus est ens reale, vt concludere est ex Scalig. Ex. 61.s. 5 & 307. sect. 20. Ex. 205. s.1. & 3. Ex. 6. sect. 2. Cum enim res creata, quæ Dei respectu est veluti vmbra & imago, realis sit, quanto magis Deus ipse.

ipſos poſtules. De illis & iſtis res adeo clara & manifeſta eſt, vt probatione indigeat nulla. De his autem non temere affirmauerim, ſi ipſa quidem verba ſpectes, facile autem ſi ſenſum. Cum Fonſeca enim 4. Metaphyſ. c.2. quæſt 5. ſ. 2. Reale, Realiter, & Realitaris vocabulum potiſſimum recẽtiorum eſſe fateor. Græci profecto Patres fere omnes τῷ πράγματι διαφέρειν vel pro eſſentia, vel pro ſubiecto differre acceperunt, vt vel ex vno Damaſceno lib. 1. Orthodox. fid. c. 11. ſatis ſuperque liquet: quo ſenſu negauit & Damaſcenus, Patrem, Filium, & ſpiritum S. in diuinis πράγματι, id eſt, re differre λόγῳ τέ καὶ ἐπινοίᾳ, *intelligentia autem & ratione* diſtingui. Hoc autem ἐπινοίᾳ, *differre*, Auguſtinus per τὸ, *re vera differre* extulit. lib. de Trinit. c. 9. Qua de re conſule prolixius quæſt. 4. & 6. ſeqq.

II. QVÆSTIO.

An rationis diſtinctio antecedat rei?

SVNT qui illam præmittunt: Fortaſſis quia generalior, vtpote quæ & in perſonis Deitatis vſum habeat, & in creatis rebus ſimul. Sed cũ inſigni doctrinæ ſuæ flagitio. Dicunt; diſtinctio alia eſt primaria, alia ſecundaria, & porro. Secũdaria eſt, quæ fit ſola conſideratione mentis. Primaria. quæ in rebus ipſis immediate eſt extra animum. Hoc ordine illi. Elegans hic & in logicam peccatum: quod partes eo, quo poſitæ ſunt, ordine non expediuntur; & in reipſa: Cum *realis*

natura prior sæpe etiam tempore rationis sit distinctione. Ratio sane discrimen factura, siue reale, siue rationis, necessario rem sibi ante præfigit. *Res enim caussa est, cur ratio distinguat, vel reipsa, vel consideratione.* Confer Aristot in Categor. c. 12. Quid? *Omnis rationis distinctio recipitur in re ceu subiecto.* Ex Aristot. 5. Metaph. c. 9. tex. 16. Et *omnino necesse est, vt res prius sit & constituatur, quam distinguatur; quippe constitutam sequitur distinctio.* Zab. lib. de constit indiuid. c. 4. lib. 2. de prima rer. mat. c. 9 lib. de nat. c. 7. ideo *iustæ differentiæ non nisi a formis petuntur.* Scalig. lib. 1. in Theoph. hist. de plant. cap 7.

III. QVÆSTIO.

Ad quam disciplinam pertineat distinctio Realis & Rationis?

NVLLA *ars repente perfecta exstitit.* Scal. lib. 4. de caus. l. t. ling. c. 79. *Omnes enim per additamenta inuenta & comparata sunt.* Zab. lib. 1. de nat. logic. c. 10. & 12. Aristot. in sophist. Elench. c. 34. adde eleg. Scal. Ex. 359. sect. 12. ita nec dum doctrinam de distinctione Reali & Rationis antiquissimam quidem illam omnes suos numeros & perfectionem esse consecutam facile asseruerim, *sine certis enim præceptis & decretis omnia in animis natant, & flexibile iudicium est,* vt ait Senec. Ep. 45. Itaque hic quæritur, cuius sit priuilegium tradere de hac ipsa generali distinctione? Metaphysici esse hæ rationes videntur euincere.

1. *Qui considerat ens vniuerse, qua est ens, idē quoq; considerat entis differentias & distinctiones.* Zab. lib. 2. post. ad cont. 48.

At

At primus Philosophus seu Methaphysicus considerat ens, qua ens. Arist. 4. Metap. cap. 1. & 6. Met. cap. 1.

II Qui perpendit vnum & multa, idem etiam distinctionẽ: est *enim distinctio caussa multitudinis*. Fonf. 5. Metap. c. 6. q. 5. sect. 4. & 7. sect. 2. At Metaphysicus perpendit τὸ vnum & multa. Arist. 4. Metap. c. 6. tex. 11. & 3. cap. 2. tex. 4.

III. *Omne vere logicum a mente pendet, & mentis figmentum est.* Zab. lib. 1. de nat. log. c. 5.

At distinctio Realis & Rationis non est mentis figmentum. Realis enim distinctio a natura rei est, adeoq; multæ distinctiones rationis: neq; enim ideo res realiter distinguũtur, quia mens mea sic distinguit, sed quia natura. Confer Scal. lib. 7. de cau. lat. ling. c. 142. Mentis quippe distinctio sequitur distinctionem naturæ. Contra Logici esse agere de distinctione sic pote ostendi videtur.

I. Logici est agere de diuisione: ergo etiam de distinctione: diuisio enim & distinctio sunt instrumenta oppido quam cognata.

II. Logica tradit rationem definiendi quid: ergo ex æquo etiam rationem distinguendi. *Definiendi enim & distinguendi virtus eiusdem sunt.*

III. Deniq; definitio alia rei est, alia rationis, de quarum vtraq; Logicus agit: per nihil enim stat, quo minus Logicus eodem iure de distinctione. & rei & rationis contempletur.

Vtraque opinio suis nititur rationibus: ex quibus priores, si cum posterioribus examussim conferantur, præponderatur puto.

IV. QVÆSTIO.

Realiter differre seu distingui, quot accipiatur modis; & quod eorum magis proprie & frequentius?

PRÆCIPI hic oportet, terminos esse æqualis potestatis. I. Re differre, & realiter seu realitate differre. II. Ex æquo item valere, subiecto differre, re subiecta differre, seu fundamento. III. Et hoc sciendum; Re & subiecto differre, Re & fundamento, Realitate & subiecto, modo eiusdem esse potestatis, modo mistæ, vt posterius explanabitur. Confer Gocl.lib. 1. Instit.log.p.207. Item Ram. lib.9. Schol. Dialect.c.26. Hæc de terminis & appellationibus: nunc de re ipsa differendum. Re seu realiter differre seu distingui, quod Latini dicũt, id duobus modis intelligi potest. inquit Zab.lib.de facult.animæ. c.2. *Primo realiter*, seu re differe, sumitur pro differre subiecto seu re subiecta: sic, Lux solis & lux ignis differũt rei. id est subiecto; sic albedo in pariete, & in cygno realiter distinguuntur, i. subiectis. Sic album & musicum aliaque similia concreta, sunt vnum Aristoteli reipsa, id est, subiecto. 1. Phys. c.2. tex.21. sic contra pomum & albedo de vno subiecto designato prædicata non differunt re, sed sola ratione. Sic materia & priuatio idem re Aristoteli sunt, quia sunt simul, vide Zabar. lib. 1. de pri.rer. mat.c.8.

Secundo realiter differre dicuntur, quæ essentialiter differunt, seu quæ sunt secundum essen-

tiam distincta, etiam animo, non cogitatione, vt ait Zabarella. Sic Scaliger Ex. 346. potestates animæ (ait) in illius viri (intellige Scoti) schola sunt realiter idem cum ipsa anima, neque differunt ab illa essentialiter. Probaturq; ea ipsa distinctio ex Aristotele 1. post. cap. 26. vbi idem dupliciter dicitur, primo re & subiecto, secundo ratione & essentia. Confer Zabar. ad h. loc. Iam si idem est duplex, re subiectoue, & essentia seu ratione, etiam diuersum secundum ipsum Aristotelem duobus modis dicetur, re seu subiecto, & ratione seu essentia. Ex 5 Ethic. c. 1. & 1. Topic. c. 13. Innuit & Fonseca eandem distinctionem: Album, inquit, & musicum, & alia similia concreta, quæ significant accidentia realiter, id est, essentialiter, distincta, sunt Aristoteli vnũ subiecto, id est, re, ratione autem diuersa. Vbi realiter distingui, expresse opponit τῷ subiecto, id est, re distingui. Quare qui distinctionem istam ex Zabarella vsurpat, ille ex Aristotele, ex Scaligero, ex Fonseca, eque ratione ipsa vsurpabit. Hoc modo pomum & albedo, vtpote quæ prædicamentis primariis differunt, re different. *Quæ enim toto genere differunt, maxime re distinguũtur.* Zab d. lib. de facult: animæ, c 3. Sic priuatio & materia, cum priuatio a materia separari possit. Idem d. lib. 1. de prima rerum mater cap. 7. Iam quæritur vtro modo frequentius capiatur, & vter sit magis proprius & φιλοσοφικώτερ☉? Responsio ex Aristotele in procliui: Actio & passio, inquit, non sunt proprie idem, sed motus, cui actio & passio insunt, idem est proprie. Actio enim

&passio definitione differũt.3 phys. Acroas. c. 3. tex. 22. Et tamen interpretes Aristotelis actionem & passionem subiecto idem esse profitentur, quos vide ad tex. 18. dict. lib. 3. c. 3. Attamen re differre, pro subiecto differre, apud Peripateticos & Scholasticos frequentius repertum iri nõ est, quod inficier. Vide Fons. 4. Metaph. cap. 2. ad tex. 3. *Quæ enim subiecto idem sunt, fere duas naturas significant.*

V. QVÆSTIO.

An distinctio realis ex Zabarella, aliisque allata duplex sit sufficiens.

DIXIMVS, Re distingui, I. & idẽ esse, quod subiecto seu subiecta re distingui. II. idem quod secundum essentiam esse res, distinctas & diuersas. Quæ distinctio duplici illo modo intellecta; an sufficiens & partibus omnibus plena? Enimuero non videtur. Entia enim suppetunt, quæ neutro modo distinguuntur: vt Pater & Filius in diuinis re ipsa distingui dicuntur, & quidem dicuntur recte, qui ideo non distinguuntur subiecta re: quippe in subiecta re (liceat vti hoc termino Philosophico) vel maxime conueniunt. Pater namque & filius in vnitate essentiæ, quæ maxima in tremendo illo negotio vnitas est, nẽpe Deitate vnum & idem sunt: neque Pater & filius sunt essentiæ distinctæ, sed hypostases, seu subsistentiæ: sic non plebeii Philosophi: indiuidua eiusdem speciei, verbi gratia, Socratem & Platonem secundum essentiam distingui negãt, illorum distinctionem ab accidentium collecti-

one accersendo. Porph. in Isagoge, c. de specie. Boeth. 1. de Trin. c. 1. Damas. in inst. c. 3. & 4. Aui. 5. met. c. 2. & 4. Accedere his videtur acutissim' Scalig. l. 3. Poet c. 17. Ex quo hoc enuntiatũ euocam'. Natura indiuidua eiusdẽ speciei variare seu diuersa facere volens, accidentia eis apposuit. Sed hic a se diuersus abit in Exer. 307. sect. 17. Adiice, quod fundamentum & relatio diuersas essentias habent, realiter tamen distingui negantur. Fons. d. 5 Metaph. ad c. 6. q. 6. s. 1. Tum deinde potentia Patris, & sapientia Filii in diuinis, in diuersis sunt suppositis, sed realis in ipsis non est differentia, cum ex natura rei non distingantur, id est, semota omni operatione intellectus. Fons. d. s. 1. Denique aquam quæ in malluuio est, ab ea, quæ in gutturnio, realiter differre neges, licet subiectis diffideant, quia *in rebus creatis, quæcunq; realiter differunt, etiam essentialiter.* vide Sonc. 7. metap. q. 12. & Col. Conimb. lib. 1. in phys. Arist c. 2. q. 1. art. 2. at essentia seu essentialiter non differunt. Hæc omnia positam distinctionem non leuiter quatiunt. Quid ergo responderi, aut in distinctione mutari oporteat, etiam atq; etiam videndum est. Quod igitur de aqua in malluuio & gutturnio affertur, certum est, ea realiter differre, quã separata reipsa sunt, & in distinctis subiectis: nec est quod mouearis, quæ realiter differunt in rebus creatis, etiam essentialiter. Id enim infra bona fide discutietur, in præsenti tantum negem id necessario sequi. De potentia Patris & sapientia Filii in diuinis, respondeo, verũ id quidẽ esse,

passio: sic forma & compositum: *nunquam enim, quorum ex parte eadem numero est essentia (intellige in humanis) re differre dixeris.* Et, *nunquam ea, quorum vnum est de realitate alterius.* Si namque formæ cum composito realis intercederet differentia, idem quodammodo a se ipso re differret, quod absurditati affine: est enim forma in composito, & compositum per formam est id, quod est. II. Pro subiecto differre: sic eruditio Platonis, & eruditio Aristotelis: aqua Lani, & Fuldæ. III. Pro habere essentias diuersas animo nec cogitante: exemplorum satis supra dedimus. IV. Pro differre supposito: sic pater & filius in diuinis: suppositum autem est singulare & indiuiduum, vt infra ex Fonseca docebitur, expresse talem modum inculcante & asserente: diuersitatem suppositorum esse etiam conditionem reali distinctioni concludendæ sufficientem. Tres posteriores significationes magis propriæ hoc loci habentur. Ad dichotomiam sic reducantur licebit: Realiter differre vel proprie & per se dicitur, vel improprie & per accidens. Proprie & per se vel essentialiter, vel non essentialiter. Essentialiter, quæ necessario diuersas habent essentias, vt homo & bestia, &c. Non essentialiter, quæ non habent necessario diuersas essentias. Sic pater & filius in diuinis realiter distinguuntur: sed ideo non sequitur eos diuersis esse præditos essentiis. Sic Grammatica in Diomede & Aristotele re differunt: essentialiter non. At calor in igne, & frigus in aqua, & re, & essentialiter: ideo dixi non necessario habere

τῷ λόγῳ autem, id est, definitione, vt Interpretes notant, distingui. Et 1. Phys. c. 7. tex. 60. τῷ εἴδει, inquit, καὶ λόγῳ λέγω ταυτόν: quo & loci materiam & priuationem vnum numero esse ait, sed ratione, hoc est, definitione discrepare.

Sic lib. 4. Metaphys. c. 2. Ens & vnum μίαν φύσιν vnam naturam esse profitetur, interim negans ea ἑνὶ λόγῳ, id est, vna definitione declarari, δηλοῦσθαι.

Sic 5. Metaph. cap. 6. text. 11. εἴδει ἓν ὧν ὁ λόγος εἷς, inquit; & quid hoc miri sit & insolentis, cum omnis definitio ipsi sit λόγος τις, 1. Topic. cap. 4. vbi, an τὸ λόγος, per τὸ Oratio, an vero Ratio meliuscule explicetur, id alibi excussimus. Estq; hæc significatio longe liberalissima, vtpote quæ & omnia, inter quæ realis distinctio est, ratione distingui dicantur. Itaque hoc modo inter τὸ ratione differre, & re differre nulla fuerit oppositio.

II. Accipitur pro subiecto esse vnum: *quæ enim subiecto vnum sunt, ea Peripateticis etiam ratione differre dicuntur*, vt album & dulce in lacte.

III. Idem est, quod ratione dissentire, quomodo Ramus, ipsiusq; Interpretes volunt, finientes diuersa esse dissentanea, quæ sola ratione dissentiunt: sed & hæc acceptio nimis quã generalis est: quippe cũ & ea comprehendat, quę re distinguũtur, qua de re in sequenti quæstione fusius. Huc fortassis reduci queat illud ἐπινοίᾳ differre Damasceni, de quo supra. IV. Idem est, quod consideratione respectu, & alia atque alia relatione distingui, vt quando de vno diuersum

vel affirmatur vel negatur. Sic animam rationalem & formam,& efficientem,& finem dicimus: formam,respectu hominis seu compositi,efficientem respectu proprietatum: finem denique respectu materiæ propriæ & preparatæ: vti scite do. et Zabarel.lib. 2.de propos. necess. c.9.& alibi. Et hæc significatio sæpenumero realiter destinata implicita tenet. V. Strictius sumitur, pro eo, quod est Fonsecę distingui ex natura rei, hoc est, vbi quidem ratio discrimen facit inter hoc & illud: sed & ipsius discriminis caussa in natura rei aperitur, non quidem tanti discriminis, quantū in reali distinctione,vt infra dicetur. VI.Adhuc strictius,vbi & rursus ratio discrimen instituit,& discriminis caussa in re ostenditur, non autem tanti, quantum in distinctione ex natura rei habetur.VII. Omnium strictissime,vbi pure puteque a ratione differentia ducitur, nulla prorsus in re illius differentiæ caussa aut fundamento reperto.Hæc simplicissime omniumq; maxime ratione distingui dicuntur: & sic maxime reali opponitur differentiæ. Ex quibus,Philosophos inter ipsos, cum in rationis distinctione, tum reali constituenda,non conuenire, facile est coniicere:aliis quidem realis distinctionis terminos vlterius proferentibus: aliis contra citerius contrahentibus, id quod paulo post expendetur enucleatius.

VII QVÆSTIO.

Quid Ramo sit ratione dissentire?

ANTEQVAM ad alia parem aditum, explicandum paucis est, quid Ramo sit ratione dissen-

diſſentire: id enim non notum inter omnes? Nũquid idem, quod Peripateticis ratione differre? Et quatenus rationis illa differentia etiam in laxa ſignificatione opponitur reali? Non ita eſt. Nam Ramo ratione diſſentientia Peripateticis etiam realiter differre poſſunt. Certe facundum eſſe, & formoſum eſſe ſubiectis nonnunquam diſtrahi non negauerit Peripateticus: ergo affirmauerit re quoq; diſſidere poſſe. At Ramo ea diuerſa ſunt, vel inde maxime, quia non conueniunt eidem ſubiecto, verbi gratia, Vlyſſi, qui facundus, non formoſus prædicabatur. At diuerſa ſola ratione diſſentire finiuntur Ramo, quanto minus ea, inter quæ pura puta Peripateticis rationis diſtinctio eſt, Ramo ratione diſſentient? Nec tamen diuerſa, vt maxime ſub iis contineantur talia, quæ Peripateticis re differunt, oppoſita ſunt vnquam Ramo. Vt igitur ſcias, quid illi ſit ratione diſſentire, tria accurate animo percipienda ſunt. I. *Diuerſa nunquam eſſe conſentanea.* II. *Diuerſa nunquam eſſe oppoſita:* ſi enim alterutrum affirmaueris, diuerſa non ſunt amplius, ſed fuerũt: quippe conſentaneorum vel oppoſitorum habitu iam aſſumto. III. *Sed diuerſa eſſe in confinio*, vt cum Columella loquar, conſentaneorum & oppoſitorum collocata: extra quod, vt vel in illa, vel in hæc tranſeant, ipſis permittendum non eſt: ſi enim tranſeunt, ſe perditum eunt: aut certe habitu exuuntur ſuo. In hoc igitur confinio retenta conſideranda, definienda & explicanda ſunt. Quod totum ex duabus pendet legibus. Quarũ

vna præcipit, vt *diuersorum alterum de altero non affirmetur:* hoc proficiscitur ex dissensione, quæ forma dissentaneorum est, &, vt pulcre ait Libauius, fundamentum negationis: sicut contra consensio affirmationis. Altera hæc est, *vt licet alterum de altero non affirmetur, ita tamen nata & comparata sint, vt possint extra omne mutui interitus periculum:* illa lex a consentaneis ea arcet: hæc ab oppositis: si namq; illuc processerint affirmabũtur: si huc recesserint negabuntur ita, vt mutuo affirmari non possint: si enim mutuam affirmationem aggrediaris, mors iis, vt cum Seneca loquar, supra caput erit: oppositorum siquidem leges ita factæ sunt, vt affirmationem citra mutuã destructionem haud tolerent, terminis iisdem manentibus: leges diuersorum ita, vt tolerent, quamuis manentibus iisdem terminis. Itaq; non facio ab iis, qui & consensionem pariter & dissensionem in diuersis patiuntur, primo, quia hoc impingit in dissentaneorum formam, quam dissensionem facere nos oportet: deinde, quod ex illo fluit, quia verum illud confinium tollunt, aut certe inter consentanea vsq; retroducunt: quod factum non oportebat.

VIII. QVÆSTIO.

An igitur Ramo suum τὸ re dissentire Peripateticis sit re differre? item, An animal & homo Ramo differant?

RAMVS ait lib.1. opposita esse dissentanea, quę ratione & re dissentiunt: quæritur super hoc non

non inutiliter, an hic τὸ re dissentire cum illo Peripateticorum re differre conueniat. Scire enim hoc nō exiguum lucis cognitioni oppositorum a Ramo finitorum afferet. In quæstione, quæ hanc præcessit, tertia, nonnihil huius tetigimus: nunc autem exactius & impensius res considerāda. Itaq; vt breuissimi simus, negamus. I. quia Ramo dissentire ratione Peripateticis non est differre ratione, ergo nec Rameum re dissentire idem erit cum Peripatetico Re differre. II. Quia opposita Ramo laxe accipiuntur, itaque & τὸ re dissentire. Itaque formæ compositum opponitur non per se, sed ratione materiæ: materia enim & forma per se opponuntur. Quare & oppositionem distinguas licebit: vt aliam dicas exquisitam, accuratam, perfectam, & per se, aliam minus exquisitam, imperfectam & cum quodā respectu, seu ex accidenti; vtramque docet Ramus, & vtramque re dissentire finit. Quæstiunculam addo superpondii loco: genus & species, verbi gratia, animal & homo, an Ramo differant? vtique affirmandum. Non enim negare potest inesse aliquid differentiæ: si aliquid differentiæ, aliquid dissensionis. At quæro porro, vtrum vt diuersa, an vt opposita dissentiant? Hic Ramus obhærere videatur. Neutro enim retulerit facile: vel ex vna hac ratione: quia animal de homine perpetuo affirmatur. Quid igitur dicemus, qui hic lupum pene infima, quod dicitur, aure tenemus? Negauerimus ea dissentire, negauerimus quoq; differre

Affirmauerimus autem differre, & affirmauerimus necesse est, dissentire, si non re, saltem ratione. At non ratione: essent enim Ramo diuersa: at non sunt. Et nihilo sane magis opposita. Sine circuitione ampliori dicam, quod res est. Homo & animal opponuntur oppositione accidentaria, & minus accurata: non quidem qua talia, sed qua præscribuntur, (vt loquitur Scaliger) seu (vt vulgus) limitantur: nempe hoc modo: homo, qua homo, non est animal: & animal, qua animal, non est homo: hoc adeo verum est, vt Auerroes quoq; pronuntiet: propositionem hanc: Homo, qua homo, est animal, esse falsam: id quod infra quoq; tactum inuenies, & ex Zabarella explicatum.

IX. QVÆSTIO.

An Philosophorum, de distinctione Reali & Rationis constituenda, eadem sententia? & an conciliari se patiantur?

DISSENTIVNT vtiq;: sed ita, vt in gratiam facile redeant. Triplex est opinio: *Prima veterum, quam & Aristotelis esse*, dubium non est, teste Fonseca, 5. Metaph. cap. 6. quæst. 7. §. 3 quam Thomas 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. Ferrariensis 3. Phys. q. 5. Caietanus lib. de Ente & Essentia. cap. 6. quæst. 12. & nostræ memoriæ nobilissimi Peripatetici sequuntur Iacobus Schegkius, Iulius Cæsar Scaliger, Iacobus Zabarella, Matthias Flacius Illyricus, Rudolphus Goclenius, aliique

quo-

quorum numerus innumerus. Hi enim omnes latius accipientes τὸ ratione differre, comprehendunt sub eo distinctionem Scoti, quam appellat ex natura rei, vt paulo post dicetur. *Altera opinio est Okami*, 1.d.2.q.3. cuius ingenium, vt inquit Scaliger, omnia vetera subuertit, noua ad inuictas insanias ob incomprehensibiles subtilitates fabricauit atq; conformauit. Ex 324. Durandi 1. senten. dict. 2 q 2. Heruæi quodlib. 3.q.3. & Ioannis Gandauensis 6. met. q. 10. Et hi horumq; similes distinctionem Realem & Rationis sine vllo medio retinent & colunt: sed eam, quæ Scoto ex natura rei dicitur, non ad rationis, sed ad realē retroducunt: in quo a veterib' dissentiunt. *Tertia deniq; & vltima est Scoti*, qui lima dicitur veritatis Scaligero d. Exer. 324. 2. sent. dist 1. q. 4. & in 2. sent. distinct. 16. q. vnica. Conf. Coll. Conimbr. in 2. de anima, c. 3 q. 4. art. 1. & Scal. 346. Hic igitur inter Realem & rationis nouiter mediam inuenit, quam appellat ex natura rei. Neq; enim ad Scoti vsq; tempora alia distinctio audita fuit. Hāc Fonseca d. l. 5. Metaph. q. 6. sect. 1. & quæst. 7. s. 3. calculo suo approbatam Aristotelicæ & Thomisticæ illi, quam veterum diximus esse, præfert, asserens, esse illustriorem, & ad vsum accommodatiorem. Scotus igitur τὸ ratione distingui strictius vsurpat, quam veteres, & strictius item τὸ realiter differre, quam Okam & alii, vnde ipsos inter se conciliare procliue fuerit.

X. QVÆSTIO.

An prædictæ opiniones methodicè proponi possint, & quæ cui præferenda sit? item, an rectior methodus excogitetur?

OMNINO affirmamus. Primum igitur prædictas tres opiniones in suam quamq; methodum redigemus: deinde criticum, quantumuis exiguũ, adhibebimus lumen, quæ cui præpõderet, visuri. Deniq; rectiorem methodum ex propria sententia excogitatã & discussam subiiciemus. Veterum & Aristotelis disponi sic queat: Omnis distinctio vel est realis, vel rationis: hæc merito veterum dicitur, cum ad Scotum vsque non sit audita alia, teste Fonsec.d.libr.5.Metaph. cap.6. quæst.7.sect.3. Realis est, qua aliquid ab aliquo distinguitur, vt res vna, ab alia re: quod quid sit posterius, pressius, & signatius percipietur. Subdiuidi hæc potest in essentialem & modalem: cuius subdiuisionis infra reddemus caussam. Rationis est, qua aliquid ab aliquo non distinguitur, vt res vna ab alia re. Rationis vel est ratiocinantis, vt Thomistæ loquuntur, vel ratiocinatæ.

Rationis ratiocinantis est, quæ fit sola intellectus operatione, nullo distinctionis neruo in re inuento. Rationis ratiocinatæ, vel est virtualis, vt appellat Caietanus, libro de ente & essent. cap.6. q.12. vel ex natura rei, vt appellat Scotus. Ex natura rei, vel est formalis, vel modalis: quæ voca-

vocabula hic aliter, quam ibi, nempe in reali distinctione capiuntur. Hæc perbreuis veterum & Aristotelicæ distinctionis delineatio. Okami, Heruæi & Gandauensis sic potest: Distinctio vel est Realis (latius hic sumitur, quam antea) vel Rationis, (strictius hic vox rationis quam antea.) Realis vel est perfecta, quæ vulgo & κατ' ἐξοχὴν, realis dicitur, vel imperfecta, quæ Scoto ex natura rei. Vtraq; formalis vel modalis. Rationis, vel puræ, vel impuræ, hoc est, etiam fundamentum in re habentis: hæc virtualis & eminẽs ex natura rei Fonsecæ dicitur. Hæc Okami & similium methodus: vnde apud omnes in luce est, quam mala fide recentior cum Okamo tantopere a Scaligero commendato, agat Logicus, publice profiteri ausus ipsum in ea fuisse mente, vt quicquid re ipsa ab alio distinctum & separatum non est, id ratione, id est, solo mentis conceptu distingui dixeris. Quo fit, vt & recentior ipso sensu tantum virum refellere conetur. At homo & animal Okamo realiter differunt: & tamen neutrum ab altero separari potest. Quare omnino Okamus diuersum, quam ei affingitur, sensit. Et recentior Logicus ex Fonseca, vel sensu refutandus veniet ipse. Confer Fonsecam & recentiorem hunc, in vtrumque oculum immitte, experiendo plus satis scies. Scoti & Fonsecæ sententia sic ordinetur. Omnis distinctio, vel est rei, vel rationis. Rei est, quæ in re fundamentum habet: estque vel realis, vel ex natura rei. Vtraque & hic in formalem

diuersas essentias, quę differunt non essentialiter. Et non essentialiter hic non est idem, quod accidentaliter. Possunt enim differre non essentialiter, quæ tamen non differunt accidentaliter. Porro quæ non essentialiter differunt, vel subiectiue differunt, vel suppositiue. Tabella hæc esto:

Realis differentia
- *Propria & per se*
  - *Essentialis.*
  - *Non essentialis: idque fit*
    - *Subiectiue.*
    - *Suppositiue.*
- *Impropria & per accidens.*

Peripatetici penitius rem librantes realem differentiam improprie, & per accidens ita dictam in hac doctrina, vel ad distinctionem ex natura rei, vel ad rationis, referunt: quos & nos, ne frustra sis, imitamur.

VI. QVÆSTIO.

Ratione distingui quot modis dicitur, & quomodo proprie in hoc loco?

RATIONE distingui phrasis item ambigua est: quam & ipsam ambiguitatem tolli necesse est: *nihil enim in oratione Philosophi distincte locuturi ambiguitate absurdius.* Scaliger Exerc. 300. sect. 1. I. Apud Aristotelem plerumque idem est, quod definitione distingui, teste Monlor. ca. 4. de vniuersalibus: vox enim λόγος frequenter apud Philosophum pro definitione sumitur, vt 3. Phys. acroas. c. 3. tex. 22. vbi actionem & passionem re & subiecto idem esse pronuntiat,

τῷ λόγῳ autem, id est, definitione, vt Interpretes notant, distingui. Et 1. Phys. c. 7. tex. 60. τῷ εἴδει, inquit, καὶ λόγῳ λέγω ταὐτόν: quo & loci materiam & priuationem vnum numero esse ait, sed ratione, hoc est, definitione discrepare.

Sic lib. 4. Metaphys. c. 2. Ens & vnum μίαν φύσιν vnam naturam esse profitetur, interim négans ea ἑνὶ λόγῳ, id est, vna definitione declarari, δηλοῦσθαι.

Sic 5. Metaph. cap. 6. text. 11. εἴδει ἓν ὧν ὁ λόγος εἷς, inquit; & quid hoc miri sit & insolentis, cum omnis definitio ipsi sit λόγος τις, 1. Topic. cap. 4. vbi, an τὸ λόγος, per τὸ Oratio, an vero Ratio meliuscule explicetur, id alibi excussimus. Estq; hæc significatio longe liberalissima, vtpote quæ & omnia, inter quæ realis distinctio est, ratione distingui dicantur. Itaque hoc modo inter τὸ ratione differre, & re differre nulla fuerit oppositio.

II. Accipitur pro subiecto esse vnum: *quæ enim subiecto vnum sunt, ea Peripateticis etiam ratione differre dicuntur*, vt album & dulce in lacte.

III. Idem est, quod ratione dissentire, quomodo Ramus, ipsiusq; Interpretes volunt, finientes diuersa esse dissentanea, quæ sola ratione dissentiunt: sed & hæc acceptio nimis quã generalis est: quippe cũ & ea comprehendat, quę re distinguũtur, qua de re in sequenti quæstione fusius. Huc fortassis reduci queat illud ἐπινοίᾳ differre Damasceni, de quo supra. IV. Idem est, quod consideratione respectu, & alia atque alia relatione distingui, vt quando de vno diuersum

natura prior ſæpe etiam tempore rationis ſit diſtinctione. Ratio ſane diſcrimen factura, ſiue reale, ſiue rationis, neceſſario rem ſibi ante præfigit. *Res enim cauſſa eſt, cur ratio diſtinguat, vel reipſa, vel conſideratione.* Confer Ariſtot in Categor. c. 12. Quid? *Omnis rationis diſtinctio recipitur in re ceu ſubiecto.* Ex Ariſtot. 5. Metaph. c. 9. tex. 16. Et *omnino neceſſe eſt, vt res prius ſit & conſtituatur, quam diſtinguatur; quippe conſtitutam ſequitur diſtinctio.* Zab. lib. de conſtit indiuid. c. 4. lib. 2. de prima rer. mat. c. 9 lib. de nat. c. 7. ideo *iuſta differentia non niſi a formis petuntur.* Scalig. lib. 1. in Theoph. hiſt. de plant. cap 7.

III. QVÆSTIO.

Ad quam diſciplinam pertineat diſtinctio Realis & Rationis?

NVLLA *ars repente perfecta exſtitit.* Scal. lib. 4. de cauſ. lat. ling. c. 79. *Omnes enim per additamenta inuenta & comparata ſunt.* Zab. lib. 1. de nat. logic. c. 10. & 12. Ariſtot. in ſophiſt. Elench. c. 34. adde eleg. Scal. Ex. 359. ſect. 12. ita nec dum doctrinam de diſtinctione Reali & Rationis antiquiſſimam quidem illam omnes ſuos numeros & perfectionem eſſe conſecutam facile aſſeruerim, *ſine certis enim præceptis & decretis omnia in animis natant, & flexibile iudicium eſt,* vt ait Senec. Ep. 45. Itaque hic quæritur, cuius ſit priuilegium tradere de hac ipſa generali diſtinctione? Metaphyſici eſſe hæ rationes videntur euincere.

1. *Qui conſiderat ens vniuerſe, qua eſt ens, idē quoq; conſiderat entis differentias & diſtinctiones.* Zab. lib. 2. poſt. ad cont. 48.

At

At primus Philosophus seu Methaphysicus considerat ens, qua ens. Arist. 4. Metap. cap. 1. & 6. Met. cap. 1.

II. Qui perpendit vnum & multa, idem etiam distinctionē: est *enim distinctio caussa multitudinis.* Fons. 5. Metap. c. 6. q. 5. sect. 4. & 7. sect. 2. At Metaphysicus perpendit τὸ vnum & multa. Arist. 4. Metap. c. 6. tex. 11. & 3. cap. 2. tex. 4.

III. *Omne vere logicum a mente pendet, & mentis figmentum est.* Zab. lib. 1. de nat. log. c. 5.

At distinctio Realis & Rationis non est mentis figmentum. Realis enim distinctio a natura rei est, adeoq; multæ distinctiones rationis: neq; enim ideo res realiter distinguūtur, quia mens mea sic distinguit, sed quia natura. Confer Scal. lib. 7. de cau. lat. ling. c. 142. Mentis quippe distinctio sequitur distinctionem naturæ. Contra Logici esse agere de distinctione sic pote ostendi videtur.

I. Logici est agere de diuisione: ergo etiam de distinctione: diuisio enim & distinctio sunt instrumenta oppido quam cognata.

II. Logica tradit rationem definiendi quid: ergo ex æquo etiam rationem distinguendi. *Definiendi enim & distinguendi virtus eiusdem sunt.*

III. Deniq; definitio alia rei est, alia rationis, de quarum vtraq; Logicus agit: per nihil enim stat, quo minus Logicus eodem iure de distinctione, & rei & rationis contempletur.

Vtraque opinio suis nititur rationibus: ex quibus priores, si cum posterioribus examussim conferantur, præponderatur puto.

IV. QVÆSTIO.

Realiter differre seu distingui, quot accipiatur modis; & quod eorum magis proprie & frequentius?

PRÆCIPI hic oportet, terminos esse æqualis potestatis. I. Re differre, & realiter seu realitate differre. II. Ex æquo item valere, subiecto differre, re subiecta differre, seu fundamento. III. Et hoc sciendum; Re & subiecto differre, Re & fundamento, Realitate & subiecto, modo eiusdem esse potestatis, modo mistæ, vt posterius explanabitur. Confer Gocl.lib. 1. Instit.log.p.207. Item Ram.lib.9.Schol.Dialect.c.26. Hæc de terminis & appellationibus: nunc de re ipsa differendum. Re seu realiter differre seu distingui, quod Latini dicūt, id duobus modis intelligi potest, inquit Zab.lib.de facult.animæ. c.2. *Primo realiter*, seu re differe, sumitur pro differre subiecto seu re subiecta: sic, Lux solis & lux ignis differūt rei, id est subiecto; sic albedo in pariete, & in cygno realiter distinguuntur, i. subiectis. Sic album & musicum aliaque similia concreta, sunt vnum Aristoteli reipsa, id est, subiecto 1. Phys. c.2. tex.21. sic contra pomum & albedo de vno subiecto designato prædicata non differunt re, sed sola ratione. Sic materia & priuatio idem re Aristoteli sunt, quia sunt simul, vide Zabar. lib. 1. de pri.rer. mat.c.8.

Secundo realiter differre dicuntur, quæ essentialiter differunt, seu quæ sunt secundum essen-

tiam distincta, etiam animo, non cogitatione, vt ait Zabarella. Sic Scaliger Ex. 346. potestates animæ (ait) in illius viri (intellige Scoti) schola sunt realiter idem cum ipsa anima, neque differunt ab illa essentialiter. Probaturq; ea ipsa distinctio ex Aristotele 1. post. cap. 26. vbi idem dupliciter dicitur, primo re & subiecto, secundo ratione & essentia. Confer Zabar. ad h. loc. Iam si idem est duplex, re subiectoue, & essentia seu ratione, etiam diuersum secundum ipsum Aristotelem duobus modis dicetur, re seu subiecto, & ratione seu essentia. Ex 5 Ethic. c. 1. & 1. Topic. c. 13. Innuit & Fonseca eandem distinctionem: Album, inquit, & musicum, & alia similia concreta, quæ significant accidentia realiter, id est, essentialiter, distincta, sunt Aristoteli vnũ subiecto, id est, re, ratione autem diuersa. Vbi realiter distingui, expresse opponit τῷ subiecto, id est, re distingui. Quare qui distinctionem istam ex Zabarella vsurpat, ille ex Aristotele, ex Scaligero, ex Fonseca, eque ratione ipsa vsurpabit. Hoc modo pomum & albedo, vtpote quæ prædicamentis primariis differunt, re different. *Quæ enim toto genere differunt, maxime re distinguũtur.* Zab d. lib. de facult: animæ, c 3. Sic priuatio & materia, cum priuatio a materia separari possit. Idem d. lib. 1. de prima rerum mater cap. 7. Iam quæritur vtro modo frequentius capiatur, & vter sit magis proprius & φιλοσοφικώτερος? Responsio ex Aristotele in procliui: Actio & passio, inquit, non sunt proprie idem, sed motus, cui actio & passio insunt, idem est proprie. Actio enim

&passio definitione differũt.3 phys. Acroas. c.3. tex. 22. Et tamen interpretes Aristotelis actionem & passionem subiecto idem esse profitentur, quos vide ad tex.18.dict.lib. 3. c.3. Attamen re differre, pro subiecto differre, apud Peripateticos & Scholasticos frequentius repertum iri nõ est, quod inficier. Vide Fons.4.Metaph. cap. 2. ad tex.3. *Quæ enim subiecto idem sunt, fere duas naturas significant.*

V. QVÆSTIO.

An distinctio realis ex Zabarella, aliisque allata duplex, sit sufficiens.

DIximvs, Re distingui, I. & idẽ esse, quod subiecto seu subiecta re distingui. II. idem quod secundum essentiam esse res, distinctas & diuersas. Quæ distinctio duplici illo modo intellecta, an sufficiens & partibus omnibus plena? Enimuero non videtur. Entia enim suppetunt, quæ neutro modo distinguuntur: vt Pater & Filius in diuinis re ipsa distingui dicuntur, & quidem dicuntur recte, qui ideo non distinguuntur subiecta re: quippe in subiecta re (liceat vti hoc termino Philosophico) vel maxime conueniunt. Pater namque & filius in vnitate essentiæ, quæ maxima in tremendo illo negotio vnitas est, nẽpe Deitate vnum & idem sunt: neque Pater & filius sunt essentiæ distinctæ, sed hypostases, seu subsistentiæ: sic non plebeii Philosophi: indiuidua eiusdem speciei, verbi gratia, Socratem & Platonem secundum essentiam distingui negãt, illorum distinctionem ab accidentium collecti-

one accersendo. Porph.in Isagoge, c. de specie. Boeth. 1. de Trin. c. 1. Damasc. in inst. c. 3. & 4. Aui. 5. met. c. 2. & 4. Accedere his videtur acutissim' Scalig. l. 3. Poet c. 17. Ex quo hoc enuntiatũ euocam'. Natura indiuidua eiusdẽ speciei variare seu diuersa facere volens, accidentia eis apposuit. Sed hic a se diuersus abit in Exer. 307. sect. 17. Adiice, quod fundamentum & relatio diuersas essentias habent, realiter tamen distingui negantur. Fonsc. d. 5 Metaph. ad c. 6. q. 6. s. 1. Tum deinde potentia Patris, & sapientia Filii in diuinis, in diuersis sunt suppositis, sed realis in ipsis non est differentia, cum ex natura rei non distingantur, id est, semota omni operatione intellectus. Fonsc. d. s. 1. Denique aquam quæ in malluuio est, ab ea, quæ in gutturnio, realiter differre neges, licet subiectis diffideant, quia *in rebus creatis, quæcunq; realiter differunt, etiam essentialiter.* vide Sonc. 7. metap. q. 12. & Co l. Conimb. lib. 1. in phys. Arist c. 2. q. 1. art. 2. at essentia seu essentialiter non differunt. Hæc omnia positam distinctionem non leuiter quatiunt. Quid ergo responderi, aut in distinctione mutari oporteat, etiam atq; etiam videndum est. Quod igitur de aqua in malluuio & gutturnio affertur, certum est, ea realiter differre, quia separata reipsa sunt, & in distinctis subiectis: nec est quod mouearis, quæ realiter differunt in rebus creatis, etiam essentialiter. Id enim infra bona fide discutietur, in præsenti tantum negem id necessario sequi. De potentia Patris & sapientia Filii in diuinis, respondeo, verũ id quidẽ esse,

passio: sic forma & compositum: *nunquam enim, quorum ex parte eadem numero est essentia (intellige in humanis) re differre dixeris.* Et, *nunquam ea, quorum vnum est de realitate alterius.* Si namque formæ cum composito realis intercederet differentia, idem quodammodo a se ipso re dissideret, quod absurditati affine: est enim forma in composito, & compositum per formam est id, quod est. II. Pro subiecto differre: sic eruditio Platonis, & eruditio Aristotelis: aqua Lani, & Fuldæ. III. Pro habere essentias diuersas animo nec cogitante: exemplorum satis supra dedimus. IV. Pro differre supposito: sic pater & filius in diuinis: suppositum autem est singulare & indiuiduum, vt infra ex Fonseca docebitur, expresse talem modum inculcante & afferente: diuersitatem suppositorum esse etiam conditionem reali distinctioni concludendæ sufficientem. Tres posteriores significationes magis propriæ hoc loci habentur. Ad dichotomiam sic reducantur licebit: Realiter differre vel proprie & per se dicitur, vel improprie & per accidens. Proprie & per se vel essentialiter, vel non essentialiter. Essentialiter, quæ necessario diuersas habent essentias, vt homo & bestia, &c. Non essentialiter, quæ non habent necessario diuersas essentias. Sic pater & filius in diuinis realiter distinguuntur: sed ideo non sequitur eos diuersis esse præditos essentiis. Sic Grammatica in Diomede & Aristotele re differunt: essentiliter non. At calor in igne, & frigus in aqua, & re, & essentialiter: ideo dixi non necessario habere

τῷ λόγῳ autem, id eſt, definitione, vt Interpretes notant, diſtingui. Et 1. Phyſ. c. 7. tex. 60. τῷ εἴδει, inquit, καὶ λόγῳ λέγω ταὐτόν: quo & loci materiam & priuationem vnum numero eſſe ait, ſed ratione, hoc eſt, definitione diſcrepare.

Sic lib. 4. Metaphyſ. c. 2. Ens & vnum μίαν φύσιν vnam naturam eſſe profitetur, interim negans ea ἑνὶ λόγῳ, id eſt, vna definitione declarari, δηλοῦσθαι.

Sic 5. Metaph. cap. 6. text. 11. εἴδει ἓν ὧν ὁ λόγος εἷς, inquit; & quid hoc miri ſit & inſolentis, cum omnis definitio ipſi ſit λόγος τις, 1. Topic. cap. 4. vbi, an τὸ λόγος, per τὸ Oratio, an vero Ratio meliuſcule explicetur, id alibi excuſſimus. Eſtq; hæc ſignificatio longe liberaliſſima, vtpote quæ & omnia, inter quæ realis diſtinctio eſt, ratione diſtingui dicantur. Itaque hoc modo inter τὸ ratione differre, & re differre nulla fuerit oppoſitio.

II. Accipitur pro ſubiecto eſſe vnum: *quæ enim ſubiecto vnum ſunt, ea Peripateticis etiam ratione differre dicuntur*, vt album & dulce in lacte.

III. Idem eſt, quod ratione diſſentire, quomodo Ramus, ipſiuſq; Interpretes volunt, finientes diuerſa eſſe diſſentanea, quæ ſola ratione diſſentiunt: ſed & hæc acceptio nimis quã generalis eſt: quippe cũ & ea comprehendat, quę re diſtinguũtur, qua de re in ſequenti quæſtione fuſius. Huc fortaſſis reduci queat illud ἐπινοίᾳ differre Damaſceni, de quo ſupra. IV. Idem eſt, quod conſideratione reſpectu, & alia atque alia relatione diſtingui, vt quando de vno diuerſum

vel affirmatur vel negatur. Sic animam rationalem & formam, & efficientem, & finem dicimus: formam, respectu hominis seu compositi, efficientem respectu proprietatum: finem denique respectu materiæ propriæ & preparatæ: vti scite docet Zabarel. lib. 2. de propos. necess. c. 9. & alibi. Et hæc significatio sæpenumero realiter destinata implicita tenet. V. Strictius sumitur, pro eo, quod est Fonsecę distingui ex natura rei, hoc est, vbi quidem ratio discrimen facit inter hoc & illud: sed & ipsius discriminis caussa in natura rei aperitur, non quidem tanti discriminis, quantū in reali distinctione, vt infra dicetur. VI. Adhuc strictius, vbi & rursus ratio discrimen instituit, & discriminis caussa in re ostenditur, non autem tanti, quantum in distinctione ex natura rei habetur. VII. Omnium strictissime, vbi pure puteque a ratione differentia ducitur, nulla prorsus in re illius differentiæ caussa aut fundamento repetito. Hæc simplicissime omniumq; maxime rapitione distingui dicuntur: & sic maxime reali opponitur differentiæ. Ex quibus, Philosophos inter ipsos, cum in rationis distinctione, tum reali constituenda, non conuenire, facile est coniicere: aliis quidem realis distinctionis terminos vlterius proferentibus: aliis contra citerius contrahentibus, id quod paulo post expendetur enucleatius.

VII QVÆSTIO.

Quid Ramo sit ratione dissentire?

ANTEQVAM ad alia parem aditum, explicandum paucis est, quid Ramo sit ratione dissen-

diſſentire: id enim non notum inter omnes? Nũquid idem, quod Peripateticis ratione differre? Et quatenus rationis illa differentia etiam in laxa ſignificatione opponitur reali? Non ita eſt. Nam Ramo ratione diſſentientia Peripateticis etiam realiter differre poſſunt. Certe facundum eſſe, & formoſum eſſe ſubiectis nonnunquam diſtrahi non negauerit Peripateticus: ergo affirmauerit re quoq; diſſidere poſſe. At Ramo ea diuerſa ſunt, vel inde maxime, quia non conueniunt eidem ſubiecto, verbi gratia, Vlyſſi, qui facundus, non formoſus prædicabatur. At diuerſa ſola ratione diſſentire finiuntur Ramo, quanto minus ea, inter quæ pura puta Peripateticis rationis diſtinctio eſt, Ramo ratione diſſentient? Nec tamen diuerſa, vt maxime ſub iis contineantur talia, quæ Peripateticis re differunt, oppoſita ſunt vnquam Ramo. Vt igitur ſcias, quid illi ſit ratione diſſentire, tria accurate animo percipienda ſunt. I. *Diuerſa nunquam eſſe conſentanea.* II. *Diuerſa nunquam eſſe oppoſita:* ſi enim alterutrum affirmaueris, diuerſa non ſunt amplius, ſed fuerũt: quippe conſentaneorum vel oppoſitorum habitu iam aſſumto. III. *Sed diuerſa eſſe in confinio*, vt cum Columella loquar, conſentaneorum & oppoſitorum collocata: extra quod, vt vel in illa, vel in hæc tranſeant, ipſis permittendum non eſt: ſi enim tranſeunt, ſe perditum eunt: aut certe habitu exuuntur ſuo. In hoc igitur confinio retenta conſideranda, definienda & explicanda ſunt. Quod totum ex duabus pendet legibus. Quarũ

vna præcipit, vt *diuersorum alterum de altero non affirmetur:* hoc proficiscitur ex dissensione, quæ forma dissentaneorum est, &, vt pulcre ait Libauius, fundamentum negationis: sicut contra consensio affirmationis. Altera hæc est, *vt licet alterum de altero non affirmetur, ita tamen nata & comparata sint, vt possint extra omne mutui interitus periculum:* illa lex a consentaneis ea arcet: hæc ab oppositis: si namq; illuc processerint affirmabũtur: si huc recesserint negabuntur ita, vt mutuo affirmari non possint: si enim mutuam affirmationem aggrediaris, mors iis, vt cum Seneca loquar, supra caput erit: oppositorum siquidem leges ita factæ sunt, vt affirmationem citra mutuā destructionem haud tolerent, terminis iisdem manentibus: leges diuersorum ita, vt tolerent, quamuis manentibus iisdem terminis. Itaq; non facio ab iis, qui & consensionem pariter & dissensionem in diuersis patiuntur, primo, quia hoc impingit in dissentaneorum formam, quam dissensionem facere nos oportet: deinde, quod ex illo fluit, quia verum illud confinium tollunt, aut certe inter consentanea vsq; retroducunt: quod factum non oportebat.

VIII. QVÆSTIO.

An igitur Ramo suum τὸ re dissentire Peripateticis sit re differre? item, An animal & homo Ramo differant?

RAMVS ait lib. 1. opposita esse dissentanea, quę ratione & re dissentiunt: quæritur super hoc non

non inutiliter, an hic Rã re dissentire cum illo Peripateticorum re differre conueniat. Scire enim hoc nõ exiguum lucis cognitioni oppositorum a Ramo finitorum afferet. In quæstione, quæ hanc præcessit, tertia, nonnihil huius tetigimus: nunc autem exactius & impensius res considerã-da. Itaq; vt breuissimi simus, negamus. I. quia Ramo dissentire ratione Peripateticis non est differre ratione, ergo nec Rameum re dissentire idem erit cum Peripatetico Re differre. II. Quia opposita Ramo laxe accipiuntur, itaque & τὸ re dissentire. Itaque formæ compositum opponitur non per se, sed ratione materiæ: materia enim & forma per se opponuntur. Quare & oppositionem distinguas licebit: vt aliam dicas exquisitam, accuratam, perfectam, & per se, aliam minus exquisitam, imperfectam & cum quodã respectu, seu ex accidenti; vtramque docet Ramus, & vtramque re dissentire finit. Quæstiunculam addo superpondii loco: genus & species, verbi gratia, animal & homo, an Ramo differant? vtique affirmandum. Non enim negare potest inesse aliquid differentiæ: si aliquid differentiæ, aliquid dissensionis. At quæro porro, vtrum vt diuersa, an vt opposita dissentiant? Hic Ramus obhærere videatur. Neutro enim retulerit facile; vel ex vna hac ratione: quia animal de homine perpetuo affirmatur. Quid igitur dicemus, qui hic lupum pene infima, quod dicitur, aure tenemus? Negauerimus ea dissentire, negauerimus quoq; differre:

Affirmauerimus autem differre, & affirmauerimus necesse est, dissentire, si non re, saltem ratione. At non ratione: essent enim Ramo diuersa: at non sunt. Et nihilo sane magis opposita. Sine circuitione ampliori dicam, quod res est. Homo & animal opponuntur oppositione accidentaria, & minus accurata: non quidem qua talia, sed qua præscribuntur, (vt loquitur Scaliger) seu (vt vulgus) limitantur: nempe hoc modo: homo, qua homo, non est animal; & animal, qua animal, non est homo: hoc adeo verum est, vt Auerroes quoq; pronuntiet: propositionem hanc: Homo, qua homo, est animal, esse falsam: id quod infra quoq; tactum inuenies, & ex Zabarella explicatum.

IX. QVÆSTIO.

An Philosophorum, de distinctione Reali & Rationis constituenda, eadem sententia? & an conciliari se patiantur?

DISSENTIVNT vtiq;: sed ita, vt in gratiam facile redeant. Triplex est opinio: *Prima veterum, quam & Aristotelis esse*, dubium non est, teste Fons. ca. 5. Metaph. cap. 6. quæst. 7. s. 3 quam Thomas 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. Ferrariensis 3. Phys. q. 1. Caietanus lib. de Ente & Essentia, cap. 6. quæst. 12. & nostræ memoriæ nobilissimi Peripatetici sequuntur Iacobus Schegkius, Iulius Cæsar Scaliger, Iacobus Zabarella, Matthias Flacius Illyricus, Rudolphus Goclenius, aliique

quo-

quorum numerus innumerus. Hi enim omnes latius accipientes τὸ ratione differre, comprehendunt sub eo distinctionem Scoti, quam appellat ex natura rei, vt paulo post dicetur. *Altera opinio est Okami*, 1.d.2.q.3. cuius ingenium, vt inquit Scaliger, omnia vetera subuertit, noua ad inuictas insanias ob incomprehensibiles subtilitates fabricauit atq; conformauit. Ex 324. Durandi 1. senten.dist.2 q.2. Heruæi quodlib. 3.q.3.& Ioannis Gandauensis 6.met.q.10. Et hi horumq; similes distinctionem Realem & Rationis sine vllo medio retinent & colunt: sed eam, quæ Scoto ex natura rei dicitur, non ad rationis, sed ad realẽ retroducunt: in quo a veterib' dissentiunt. *Tertia deniq; & vltima est Scoti*, qui lima dicitur veritatis Scaligero d. Exer.324.2.sent.dist 1.q.4.& in 2.sent. distinct.16.q.vnica. Conf. Coll. Conimbr. in 2.de anima, c.3 q.4.art.1.& Scal.346. Hic igitur inter Realem & rationis nouiter mediam inuenit, quam appellat ex natura rei. Neq; enim ad Scoti vsq; tempora alia distinctio audita fuit Hãc Fonseca d.l.5. Metaph.q.6.sect. 1.& quæst.7.s.3. calculo suo approbatam Aristotelicæ & Thomisticæ illi, quam veterum diximus esse, præfert, asserens, esse illustriorem, & ad vsum accommodatiorem. Scotus igitur τὸ ratione distingui strictius vsurpat, quam veteres, & strictius item τὸ realiter differre, quam Okam & alii, vnde ipsos inter se conciliare procliue fuerit.

vocabula hic aliter, quam ibi, nempe in reali distinctione capiuntur. Hæc perbreuis veterum & Aristotelicæ distinctionis delineatio. Okami, Heruæi & Gandauensis sic potest: Distinctio vel est Realis (latius hic sumitur, quam antea) vel Rationis, (strictius hic vox rationis quam antea.) Realis vel est perfecta, quæ vulgo & κατ' ἐξοχὴν, realis dicitur, vel imperfecta, quæ Scoto ex natura rei. Vtraq; formalis vel modalis. Rationis, vel puræ, vel impuræ, hoc est, etiam fundamentum in re habentis: hæc virtualis & eminẽs ex natura rei Fonsecæ dicitur. Hæc Okami & similium methodus: vnde apud omnes in luce est, quam mala fide recentior cum Okamo tantopere a Scaligero commendato, agat Logicus, publice profiteri ausus ipsum in ea fuisse mente, vt quicquid re ipsa ab alio distinctum & separatum non est, id ratione, id est, solo mentis conceptu distingui dixeris. Quo fit, vt & recentior ipso sensu tantum virum refellere conetur. At homo & animal Okamo realiter differunt: & tamen neutrum ab altero separari potest. Quare omnino Okamus diuersum, quam ei affingitur, sensit. Et recentior Logicus ex Fonseca, vel sensu refutandus veniet ipse. Confer Fonsecam & recentiorem hunc, in vtrumque oculum immitte, experiendo plus satis scies. Scoti & Fonsecæ sententia sic ordinetur. Omnis distinctio, vel est rei, vel rationis. Rei est, quæ in re fundamentum habet: estque vel realis, vel ex natura rei. Vtraque & hic in formalem

& modalem tribui potest: quamuis Fonseca eam diuisionem soli distinctioni ex natura rei associet. Rationis est, quæ in re immediate fundamentum non inuenit. Estque hæc pura vel eminenter ex natura rei, vt inculcat ipse d. libr. 5. sect. 3. q. 6. Quæ Caietani illa virtualis est. Quæ omnia, vt quasi oculis ipsis vsurpes, tabellæ cuiusque opinionis methodice subiiciantur.

I Tabella Methodi pro veteribus.



II. Tabella Method. pro Okamo, &c.



III. Tab. method. pro Scoti & Fonsecæ opinione.



Ex his tabellis Philoſophorum, cum veterum, tum recentiorum diſcrepantiam ſatis intelligere licet: omnium tamen optima illorum mihi videtur opinio. I. Quæ omnium veterum, & noſtra tempeſtate a præſtantiſſimis quibuſque Peripateticis & Theologis eodem fere ſenſu vſurpatur. II. Quia dictione, *Realiter differre*, ita ſtricte & exquiſite accepta, homo & animal, & id genus ſimilia, non poſſunt non ratione differre: ſiquidem inter realem & rationis differentiam ex eorum ſententia media conſtituenda non ſit. III. Quia non eſt vrgentiſſima & grauiſſima cauſſa, cur media ſit introducenda. Neque æris eſt alicuius obiectio: Diſtinctio, quæ in re fundamentum habet, & ſit præciſa, vt Fonſeca, ait, omni mentis ſeu rationis operatione, ea rationis dicenda non eſt. At talis eſt illa ex natura rei: reſponderi enim poteſt, ratione diſtingui ea capi amplitudine, vt & illam, quæ eſt ex

natura rei, includat: taceo, quod Fonsecæ ipsi ea obiectio aduersetur. Si namq; distinctio ex natura rei rationis dicenda non est, quia fit mentis operatione seclusa, & in re fundamentum reperit: virtualis quoque & ex natura rei eminens ex rationis distinctione eximenda fuerit, & ad mediam illam reuocanda: quippe cum & hæc fundata sit in re, & fiat nullo mentis discursu adhibito. At Fonseca eam suo sibi loco relinquit. Premere tamen liceat veteres his rationibus. I. Quod ratione dissidere valde ἀκύρως dixerint etiam ea, vbi in re ipsa est distinctio. II. Quia omnia realiter differentia etiam ratione distingui dicantur phrasi fusius sumta. III. Quia illi ipsi veteres solidæ alicui caussæ afferendæ non sint, quamobrem distinctio ex natura rei rationis sit vocanda: profecto id nominis habebit, vel, quia a sola ratione creatur, vel, quia a re rationi obiicitur, vel ob vtrumque simul: quicquid horum dixeris, necessario aqua hærebit tibi, illa caussa non est caussa: ista & hæc cum reali distinctione communis. Okami, Heruæi aliorumque opinio vera sit, si omne illud realiter differre dicere liceat, quod in re differentiam sustinet: at ea interpretatio, cum veteribus, tum recentioribus ignotissima est: imo aperte, teste Fonseca, negant omnes, hominem & animal realiter distingui. Nec quicquam medicinæ afferat realem distinctionem in perfectam & imperfectam, vel in aliquam eiusdem monetæ secare volenti: quando simpliciter negetur in genere & specie realem residere differentiam.

Itaq;

Itaque hi quidem veterum verba vsurpant, sed non sensum, vtpote a quo iuxta cum alienissimis sunt alieni. Aptior tamen hæc & μεθοδικώτερος, quam Scoti & Fonsecæ sententia est. Media namque distinctio ex natura rei, quam faciunt hi, tam laxis & spatiosis circumscribitur cancellis, vt & realem complectatur, vt infra distractius probabitur. Accedit huc, quod & virtualis, quæ dicitur, substet, nulla mentis opella exercita. Itaq; definitio distinctionis ex natura rei, quam Fonseca tradit, & conuenit virtuali. Qua igitur lege, illa ex rationis distinctione ablegata, hæc relinquatur & retineatur? Quod si autem apud Fonsecam illa ex natura rei ita arctetur & tractetur, vt neq; in realem, neq; rationis euagetur, non vtique contemnendam censeam, sed cum Fonseca magis magisque frequentandam. Sed tamen rectius probetur, si nulla, quæ in re fundata est, sub rationis trahatur classem: tum enim tanto purior & excellentior fuerit oppositio. Quare ad certiorem inuehendam methodum sic discurrere possis: *Omnis distinctio habet fundamentum in re, aut in pura puta ratione.* Vnde efficitur, omnem aut rei esse, aut rationis. At quoniam distinctio in re, aut immediate nititur, aut mediate, & illud conueniat cum reali, tum ex natura rei: hoc autem virtuali: itaque illa diuisa in Realem, & ex natura rei, ad virtualem descendatur, & inde ad rationis, fundamento distinctionis in re prorsus omni destitutam. Quin, cum virtualis, re pro-

idem notat quod vox diuiſionis: ſic Ramus, vt diſtinctio totius in partes diſtributio, ſic collectio partium ad conſtituendum totum inductio dicitur. lib. 1. Dial. c. 25. Deinde ſeparationem ſignificat: ſic Cic. in partit. ciuem ab hoſte non natura ac loco, ſed animo ac factis diſtinguendũ, i. ſeparandum eſſe monet. Tum pro interpunctione Grammatica. Adde pro variatione & & illuminatione: ſic oratoris dicitur eſſe diſtinguere, & variare orationem, quaſi verborum ſententiarumq; quibuſdam inſignibus. Cic. de Orator. Deniq; *diſtinctio eſt inter aliquid & aliquid differentia ſeu diuerſitas:* quæ ſignificandi poteſtas huius loci eſt, & metaphyſica acceptio potius, quam logica, vt paulo ante diſcuſſum. *Eſt igitur hic diſtinctio alicuius ab aliquo diuerſitas.* Sicut enim ταὐτότης ἑνότης ἐστιν, ita διαφορὰ neceſſario fuerit ἑτερότης τις. Ex 5. Metaph. cap 9. text. 16. ſeu eſt, qua aliquid ab aliquo diſtinguitur. Itaque I. *Omnis diſtinctio eſt inter aliquid & aliquid.* II. *Omnis in multitudine fundata eſt.* Ex Fonſ. 5. Metaph. ad c. 6. & 4. Metaphyſ. c. 2. quæſt. 5. ſ. 2. III. *Et multitudo potius eſt cauſſa diſtinctionis, quam diſtinctio multitudinis*, contra quam ſentit Fonſ. d. 5. Metaph. ad cap. 6. q. 5. ſ. 4. & q. 7. ſ. 4. non enim, quia mens mea diſtinguit, multa ſunt, ſed quia multa, ideo diſtinguit. IV. *Diſtinctio etiam inter coniunctiſſima eſſe poteſt.* V. *Et quæ diſtincta ſunt, non ſunt neceſſario ſeparata.* VI. *Et quæ diſtinguuntur, non neceſſario ſeparantur.* VII. Hoc tamen veriſſimum & immotum: *Quæcunq; ſeparantur, ea etiam diſtinguuntur.* VIII. Denique *nulla diſtinctio*

vera est naturæ abolitio, sed assertio. Ex quibus & liquet, quæ sit caussa distinctionis adæquata, nempe multitudo: hac siquidem posita ponitur distinctio, & hac sublata tollitur; quam caussam intellectus intuendo ipse & distinguendi ansam arripit. IX. Itaq; *qua omnino seu per omnia idem sunt, distingui nequeunt.* Fons. 4. Metaph. cap. 2. quæst. 5. sect. 4.

XII. QVÆSTIO.

Quid sit distinctio rei, quæ caussa, quæque axiomata?

DISTINCTIO, vt diximus, vel rei est, vel rationis. Tò rei adeo fuse cape, vt tam rationis, quam rem realem capiat. Dici autem res reales constat ex Scaligeri Exerc. 359. sect. 10.

Distinctio rei est, quæ in re fundamentum habet. Huic velut e regione opponitur rationis. Sed inquis, quæ in re fundamentum habet, ea realis dici possit. Iudicii, inquam, longe falleris. Habere enim fundamentum in re, & esse realem distinctionem in tantum differunt, vt etiam Peripatetici nonnullas in re radicatas & fixas rationis dixerint. Itaque I. *Omnis distinctio realis in re fundamentum habet : at non vicissim : Quæcunq; in re fundamentum habet, realis est.* Hinc sese ostendit caussa, quæ est in fundamento rei diuersitas. II. Itaque *distinctio rei est, licet intellectus operatione cohibita, nec in rem,* vt ita loquar, *immissa.* Sic omnia, quæ realiter, quæ ex natura rei, & virtualiter distinguuntur, distingui dicemus. Hoc autem non fit in distinctione rationis, ibi enim

enim non est distinctio vlla, nisi a ratione profe-ƈta, & vt ita dicam, in rem quasi illata. III. Itaque *distinctio rei præstantior est distinctione rationis.* Sed ad species eundum.

XIII. QVÆSTIO.

Quid sit distinctio realis, & quæ eius conditio constituens, ex Fonseca sententia perpenditur.

FONSECA realem finit, qua aliquid ab aliquo distinguitur vt res vna ab alia re: quid autem efficiat, vt vna res ab alia re distinguatur, id operose disputat, cum aliorum opiniones ponendo & refutando, tum suam stabiliendo & confirmando. Quod vt dextra, quod dicitur, aui aggrediatur, supponit, *nihil posse ab alio distingui realiter, nisi distinguatur ab ipso omni operatione intellectus præcisa.* d. libr. 5. cap. 6. s. 3. q. 6. Hoc posito quærit caussam, quam alii aliter assignarunt. Sunt enim hac de re opiniones quatuor, quibus addita Fonsecæ, quinque fuerint, quas omnes, quanta maxime fieri potest breuitate, explicatas percurremus. I. *Est Boneti* libr. 3 Metaphys. cap. 2. & Tromb. 5 Metaph. q. 5. artic. 4. volentium præter intellectus operationem semotam requiri & sufficere huius & illius rei diuersam exsistentiam, ita vt illa omnia & sola dicantur realiter distingui, quorum est diuersa exsistentia. Respondet Fonseca non sufficere diuersam exsistentiam: nam relationis & fundamenti diuersas esse exsistentias, q. a illa pereunte sæpenumero integrū

permaneat hoc, & tamen a Philosophis negari, relationem & fundamentum realiter distingui. II. *Opinio est aliorum, qui dixerunt*, ea esse realiter distincta, quæ alia & alia generatione generentur, & alia ac alia corruptione corrumpantur. Ex 4. Metaphysic. cap. 2. text. 3. vbi, inquiunt, docuit Philosophus, vnum & ens esse re ipsa idem, quia eadem generatione primo generentur, & eadem corruptione primo corrumpantur. Hinc concludunt, ergo ea re ipsa non differre, quæ eadem generatione primo non generentur, nec eadem corruptione primo corrumpantur. Respondet Fonseca dupliciter, primum negando Aristotelem dicere dicto loco re ipsa idem esse quæ, &c. sed ens & vnum esse vnam naturam μίαν φύσιν: deinde repetens ἔνστασιν priorem, relatio, inquit, & fundamentum sunt re idem, & tamen non generantur primo eadem generatione, nec corrumpuntur primo eadem corruptione, quod antea explicatum. III. *Scoti in 2. s. d. 1. quæst. 4.* & ceterorum putantium ea distingui realiter, ex quibus alterutro sublato remanere possit alterum, vt Socrates & Plato realiter differunt, quia si Socratem tollas, non necesse est protinus tolli Platonem, nec item necesse, si hunc, protinus illum. Et hoc de fundamento & relatione dici non posse. Fundamentum enim manere potest, destructa relatione: sed ipsa relatio nequit, destructo & extincto fundamento. Respondet iterum Fonseca per instantiam: & quidem recte: duo, inquit, relatiua realia, vt Pater & Filius,

lius, distinguuntur realiter, & tamen neuter esse potest sine altero, id quod ex relatorum doctrina ex abundanti deprehenditur.

IV. *Eorum est*, qui dicebant ea realiter differre, si alterutrum ex iis posset separatum ab altero exsistere. Sed & hæc caussa valde-quam angusta, quia Pater & Filius in diuinis realiter differunt: sed nec Pater a Filio, nec Filius a Patre est separatus: sed Pater est in Filio, & Filius in Patre. Fonseca huc citat Augustin. libr. de fid ad Petr. cap. 1. & Hilar. 7. de Trinitat. & Ambros. super 5. cap. 2. epist. ad Corinth. ex Magistro sententiar. in 1. d. 9. Addimus nos Damascenum libr. 1. Orthodox. fid. cap. 11. vbi ἐν ἀλλήλαις inquit, αἱ ὑποστάσεις εἰσίν, ipsę hypostases sibi mutuo insunt.

V. *Igitur Fonsecæ est, tres conditiones ponentis:* ex quibus vel vna saltem satis sic distinctioni reali inferendæ. *Prima conditio* est alietas, vt ait, producentis & producti: quæ adeo efficax est, vt ne maxima quidem essentiæ vnitate impediri & reprimi possit, vt in personis diuinis patet. *Secunda est alietas* caussæ & effectus: loquitur autem de vera & propria ratione caussæ & effectus, quo pacto materia & forma sunt caussæ totius compositi. *Tertia est alietas* suppositorum, quæ etiam in iis, vt ait, in quibus neutra prædictarum alietatum reperitur, sufficit: per suppositum autem intelligit ens completum indiuiduum, scilicet siue diuinum, siue humanum, siue aliud quoduis. Hinc tria colligas licet axiomata. I. *Quæcunque se habent vt producens & productum, ea*

realiter differunt. II. *Quacunq; se habent sicut vera caussa & verus effectus realiter differunt*: nihil enim est producens aut caussa sui ipsius. III. *Et diuersa supposita realiter differre necesse est.* Porro huius tertiæ conditionis gradus facit tres. I. Cōplectitur ipsa supposita, quæ omnium maxime distinguuntur. II. Complectitur ea, quæ cum ex natura rei distinguantur, exsistunt, aut saltem exsistere possunt in distinctis suppositis: sic distinguuntur realiter accidentia absoluta Socratis & Platonis, non item relatio & fundamentum, figura & quantitas, cuius est figura. Sic Musica & Grammatica Socratis distinguuntur realiter, quia potest diuina virtute effici, vt altera, manente in Socrate, altera exsistat in Platone. Sic materia & forma Socratis & a se inuicem, & a tota natura Socratis realiter differunt: quia & materia Socratis naturali successione reperitur in suppositis a Socrate distinctis, & forma Socratis, atque adeo tota illius natura possunt esse diuina virtute in aliis suppositis, non solum a Socrate distinctis, sed etiam ab iis, in quibus materia Socratis successiue exsistit. III. Denique gradus comprehendit ea, quæ exsistunt, aut exsistere possunt in iis, quæ cum ex natura rei distinguantur, nihil repugnant quo minus in diuersis suppositis exsistant, hoc est ea, quæ cum ipsa in diuersis exsistere nequeunt, tamen exsistunt in iis, quæ in diuersis possunt. Sic relatio inhærentiæ formæ Socratis in materia Socratis, & relatio obiectionis huius sub illa. Quanquam enim ipsæ relationes in distinctis suppo-

ſuppoſitis exſiſtere nequeunt, tamen exſiſtunt in materia & forma Socratis, quæ in diſtinctis ſuppoſitis exſiſtere queunt. Hæc Fonſeca: quorum partim a nobis conciſa ſunt, partim diducta & plenius explicata: quo mentem ipſius, quæ interdum obſcuriuſcula eſt, quaſi perſpicias, aut, vt ita dicam, animi q. oculis penetres. Tria mihi circa hęc non tam reprehendenda, quam notanda ſunt. Primum eſt, quod materiam & formam a compoſito reipſa diſtinguit: *compoſitum namq; nullum eſt alia res a materia & forma*: qui enim exquiſite dicit compoſitum eſſe aliam rem a forma, perinde id eſt, ac ſi dicat formam a ſe ipſa eſſe rem aliam: quod quanta refertum ſit abſurditate nemo non intelligit. In meam it ſententiam Zabarella, quem & ſupra laudaui: hic libr. 1. de mot. leu. & grauium, cap. 12. formam a compoſito re ipſa diſtingui explicate negat. Idem de materia reſpectu compoſiti omnino pronunties licebit. Secundum hoc eſt, quod diuina virtute & abſoluta Dei poteſtate nimis quam licenter abutitur: ad realem enim diſtinctionem in rebus naturalibus concludendum, nihil quicquam attinebat extraordinariam Dei poteſtatem ſubſidio accerſere. Ait enim Grammaticam & Muſicam Socratis realiter differre, quod hac in Socrate retenta, illa diuina virtute in Platonem tranſeat. Nos enim ex Zabarella aliiſque docemus, realiter etiam ea, quæ diuerſas in eodem ſuppoſito eſſentias habent, diſſidere. Tertium eſt, quod videatur tum veritati, quæ Philoſophiæ anima

positione: dabitur quoque realis distinctio : & viciſſim data hac, neceſſum & dari illam. Quid autem ſit accurata illa oppoſitio, id explicato opus eſt, vt omnis hac in re de medio tollatur difficultas. Dico accurata oppoſitio, vt quamuis triuialem & ex communi diſſerentium conſuetudine ſumtam ne intelligas, in multis ſiquidem oppoſitio cernitur & ſtatuitur, quę ab hac, quam nos hoc loci requirimus, accuratione infinitis diſtat interuallis. Vt igitur eam plene animo imbibas, hæc ſola perfecte, abſolute & accurate opponi dices, quorum vnum non ingreditur in conſtitutionem alterius. Hoc autem penitius perceperis, ſi exactam illam oppoſitionem in quatuor conſiſtere perceperis, nempe *vel in diuerſitate* (alietate ait Schola vetus) *ſubſiſtentiæ ſeu hypoſtaſeos*, vel *in diuerſitate eſſentiæ*, vel *in diuerſitate ſubiecti*, vel deniq; *in diuerſitate loci*: qui diuerſitatis modus ad præcedentem reduci poſſit. *In diuerſitate ſubſiſtentiæ*, vt in diuinis Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Atque hoc exemplum, vt in re ſingulari eſt, ita & ipſum ſingulare & vnicum. *In diuerſitate eſſentiæ*, vt Plato & Socrates, omniaq; Platonis & Socratis accidentia abſoluta: ſic homo & beſtia, & horum inter ſe accidentia. Huc do relationem & fundamentum in humanis: licet de iis acerrima Scholaſticis inter ipſos ſit contentio: relatio enim oritur a fundamento, & in hoc illius entitatis ſubſiſtit imbecillitas, atq; adeo ab hoc nihilo ſecius integro permanente, illa ſeparari poteſt: ἀδυνάτον ergo, vt vtriuſque

Hæc diuisio licet a Scholasticis, imprimis vero a Scoto, qui acutissime de distinctionibus his scripsit, adeoque in hoc genere præferendus est omnibus, teste Schegkio d. lib. 7. Top. loc. 10. huc non applicetur, sed ad solam distinctionem ex natura rei, vt ex sequenti intelligere erit quæstione, tamen veritas ipsa manum iniicit & cogit essentialem proprie hic, & modalem aliter tamen hic, quam in distinctione ex natura rei fateri. Vtramque Philosophi non ignobiles & formalem voce generali nuncupant. Sic homo & equus differunt non tantum formaliter, & realiter, sed etiam essentialiter in se, ait Schegk. d. loc. 10. Et Zab. libr. 1. de prim. rer. mat. formaliter & essentialiter distingui pro eodem vsurpauit: priuatio, inquit, non est essentialiter forma, sed per comitantiam. Et paulo post: nec forma est formaliter priuatio, nec priuatio formaliter est forma, sed per necessariam connexionem, tum forma est priuatio, tum priuatio est forma. Annon hic essentialiter & formaliter sunt termini ἰσοδυναμοῦντες? Sic Fonseca omnem essentialem distinctionem etiam formalem facit. 5 Met. cap. 6. q. 6. s. 2. Deniq; Phil. Moccnicus, ne alios nominem: humanitas, inquit, opponitur formaliter equinitati, quoniam homo & equus formaliter differunt, contempl. 2. par. 1. cap. 12. imo quæcunq; sunt diuersæ entitates, aut vbi vnum aliquid entitatis addit entitati alterius, ea sola proprie formaliter distingui dicuntur, vt docet Fons. 4. Met. c. 2. q. 4. s. 3. Sic substantia & quantitas, homo & animal.

Realis essentialis distinctio est inter ea, quæ habent diuersas naturas siue essentias. Schegk.d.l.7. Topic. loc.14. Seu, *est inter ea, quæ differunt singularibus naturis & essentiis.* Sic principia rerum naturalium: sic homo & equus: Socrates & Plato, & Socratis ac Platonis accidentia diuersa. Sic accidens & substantia essentialiter differunt. Scalig. Ex.325.s.2. Sed Schegkius τὸ δέ τι essentialiter facit differre ab accidente, accidens autem ab ipso τῷ δέ τι realiter tantum: vt quod non possit esse sine ipso subiecto. Nos hic Scaligerum & Zabarellam sequimur. Huc *pertinent ipsæ diuersæ essentiæ seu formæ inter se: quæ per se, & a se, & in se ipsæ essentialiter differunt.* Scaliger. Exer.346.& 61. sect.1. *Quæcunq; enim essentialiter differunt, eorum quoq; formæ siue essentiæ.* Hæ enim caussæ sunt, cur illa ita differant? Quæ ipsa & Scholasticorum & Aristotelicorum sententia est. Sic anima Socratis & Platonis essentialiter discrepant, quia ipse Socrates & Plato, vt ait Mocen. quæ a posteriori demonstratio est. *Realis modalis est inter ea, quæ non essentiis, sed τρόπῳ seu modo aliquo realiter distant.* Modo differre hic omnino ab eo, quod est forma seu essentia differre, distinguimus, non nescii, ambiguum esse primum, namque idem, quod discrepare forma. Sic forma siue modus distinguit, ait Scaliger Exer. 307.s.23. Deinde idem, quod differre ratione. Sic, vnum ita entis est proprium, vt cum eo sit res eadem, non differens nisi modo, id est, ratione. Scaliger d.Exerc.307.sect.27. Tertio modo differre etiam dicuntur nonnulla, quæ ex sola rei

natura,

natura, de quo in ſequentibus dicetur. Nos autem hic nullam modalem, niſi quæ & ſit realis agnoſcimus: hoc eſt, inter ea, in quibus accurata elucet oppoſitio. Sic perſonas Trinitatis modali diſtinctione differre dicimus, ſecuti Damaſcenum aientem, illas τρόπῳ ὑπάρξεως differre. libr. 1. Orthodox. fid. c. 11. & Iuſtinum Martyrem ante illum τρόπους ὑπάρξεως appellantem. Quod diſtinctionis genus hic nobis longe commodius videtur, quam illa pura formalis, quam Fonſeca facit, differentia. Huc pertinet differentia ſecundum magis & minus eorum, quæ in diuerſis ſunt ſubiectis. Sic calor in igne, & calor in aere: humiditas in aqua, & humiditas in aere. Sic in diuerſis, eſſe neceſſarium, & eſſe contingens: eſſe completum, & eſſe incompletum: eſſe actu & potentia, & cetera id genus. Dico in diuerſis ſubiectis: nam eſſe potentia & eſſe actu eidem ſubiecto tributa etiam ex natura rei ſolum differre poſſunt. Sic aquam Lani & Fuldæ τρόπῳ diſtinguimus. Oceanum mare a mediterraneo, & ſuperius aeris hæmiſphærium ab inferiori hac ratione diſcrepant, adeoq; omnes partes integrantes totius homogenei inter ſe. *Sed*, inquis, *eiuſmodi partes non diſtinguuntur actu in ſuis totis niſi ratione, ſeu, vt vulgo loquuntur, deſignatione*, vt hæc pars menſæ ab illa non differt actu niſi ratione, ſeu deſignatione, ſeu, vt preſſius loquar, indigitatione: ſic particulæ minimæ in aqua aut lacte ſimilibuſue actu non diſtinguas, niſi ratione. Ergo realis hic diſtinctio eſſe nequit. Reſpondeo oppoſitorum fallacia eſt. Hæ enim partes cum

enim differentia est omnium maxima. V. *Quacunque realiter differunt, ea etiam ex natura rei, id est*, vt explicat Fonseca, *semota omni intellectus operatione.* Hoc autem axioma generalius est, quam vt huc collocari recte debeat: ideo supra statutum. VI. *Quaecunq; subiectis distinguuntur, realiter distinguuntur*, regula est perpetua, inquit Melanchthō: ex qua in Epitoma Philosophiæ moralis perspicue demonstrat, affectus non esse opiniones, quod Stoici volebant: opiniones enim sunt in parte animi cognoscente, affectus autem in corde. VII. *Omnia quæ separari possunt, intellige vel naturaliter, vel diuina virtute, realiter differunt.* Et hæc regula certa est, ait Melanchthon. *Naturaliter*, vt frigus ab aqua; eruditio ab homine. *Virtute diuina*, vt propria accidentia, quæ non sunt idem cum ipsa substantia, vt docet Tho. & Fonseca: quis enim perfracte neget potentia Dei absoluta fieri posse, vt homo omnibus accidentibus tam propriis, quam communibus exutus saluus subsistat? Longe enim efficacior Dei præsentissimi vis est hominem sic exutum fulciens, quam vllius accidentis. Sic Capreol. 1. dict. 3. q. 3. art. vlt. negat vllam esse repugnantiam, si anima eiusque potentiæ seiunctim exsistant diuinitus. Confer. Colleg. Conimb. lib. 2. de anima, c. 3. q. 4. art. 1. & 3. VIII. *Itaq; etiam ea, quæ separatim iam exsistunt, realiter different necessario.* IX. *Quacunq; in rebus creatis realiter differunt, eorum alterū in alterius essentia non includitur.* Nec est quod obiicias Patrem & Filium in creatis, quorum alter in definitione alterius necessario includitur.

etiam referuntur ad distinctionem ex natura rei: sed distinctio ex natura rei adhuc plurima exempla sibi peculiaria habet, quæ ad realem nunquã reuoces. Itaque ex sententia Fonsecæ distinctio ex natura rei partim realis est, & cum ea coit, partim cum ea dissidet, nec cum reali coire potest.

Estq; *distinctio ex natura rei* Scolastico triplex, aut enim est *formalis*, aut *modalis*, aut *potentialis*.

Formalis, vel est essentialiter formalis, vel *formalis tantum*, quam *formalem puram* vocat.

Essentialiter, *seu essentialis formalis distinctionis ex natura rei* genera sunt tria. I. *Eorum*, quæ habent diuersas essentias seu entitates; sic Socrates & Plato, homo & equus, &c. II. *Eorum*, quæ sunt ipsæ diuersæ essentiæ seu entitates; vt natura hominis & equi, natura Socratis & Platonis, hoc est, anima Socratis & anima Platonis distinguuntur hoc modo. III. *Eorum*, quæ ita sunt inter se affecta & comparata, vt aliquid essentiæ entitatisve includatur in vno, quod in altero non includitur: hoc pacto distinguuntur omnia superiora & inferiora, veluti genera & species, species & indiuiduum. Sic ergo homo & animal: sic Socrates & homo formali essentiali distinctione ex natura rei distinguuntur: itemque superiorum & inferiorum differentiæ: vt sensitiuum & rationale: includit enim quodque inferius horum aliquid essentiæ seu entitatis, quod in superiori nõ includitur. Sic in homine est aliquid, quod non est in animali; & in rationali aliquid, quod non est in sensitiuo.

Distinctio ex natura rei *formalis tantum*, *seu*

pura, & non essentialis est eorum, quæ ita inter se sunt affecta, vt nullam essentiam entitatemve includat vnum, quod non includat & alterum: hoc est, vbi ea, quæ formaliter ex natura rei distinguuntur, vnam essentiam obtinent. Huius duo genera constitui possunt. I. *In iis, quæ vnam numero essentiam entitatemve habent*, vt personæ in diuinis, ipsæque relationes diuinæ personales: cuius rei exempla similia non inuenias, in quibus sit eadem numero essentia, & tamen realis reperiatur distinctio. II. In iis, quæ vnam & eandem speciê essentiam, non numero comprehendunt. Sic eadem specie est essentia Lani & Fuldæ: caloris in igne & caloris in aere, iuxta Peripateticos. *Distinctio modalis est, qua vel entia per modos distinguuntur; vel, qua ipsi modi inter se; vel, qua modi ipsi ab entibus ipsis distinguuntur.*

Modus autem non formaliter ens, sed est aliquid entis. Itaque hic modus Fonsecæ essendi seu prædicandi (nam pro eodem accipit) appellatur. Videris eum d. 5. Metaph. c. 7. quæst. 3. sect. 2. & 4. Metaph. c. 2. q. 4. s. 4. *Nullus modus est formaliter ens, hoc est, neq; de eo substantia, neq; accidens prædicari potest:* sicut de homine prædicatur, quod sit substantia: & de albedine, quod sit accidens. Tria autem sunt genera modorum essendi. I. *Quidam modi sunt & formaliter entia, & distinguuntur ex natura rei, ac sæpe etiam realiter ab iis rebus, quarũ sunt modi essendi:* vt τὸ esse huius & illius figuræ: τὸ album, dulce & similia. II. *Quidam, licet sint formaliter entia, non tamen distinguuntur ex natura rei a reb. iis, quarum sunt modi: sed nostro duntaxat imperfecto*

perfecto intelligendi modo: cuiusmodi sunt modi essendi, per quos ens diuiditur in substantiam, qualitatem & cetera genera summa prædicamentorum; substantia enim quantitas, qualitas, actio & passio, &c. sunt formaliter entia, sed non distinguuntur ex natura rei ab entibus, quorum sunt modi essendi: quia ens non est natura aliqua, quæ per eos modos contrahatur ad summa genera, quæ sunt entitates simpliciter simplices, & irresolubiles in alias entitates. III. *Quidam modi essendi contra se habent. Nam etsi ex natura rei, h. c. cohibita omni operatione intellectus distinguũtur ab iis reb. quarum sunt modi essendi: non sunt tamen entia formaliter, nisi ente liberalissime accepto pro eo, quod non est nihil.* Huius generis sunt modi essendi in subiecto, &, vt ait Scholasticus, sine subiecto. Quo pacto quantitas nunc existens in subiecto, nunc extra subiectum, distinguitur a se ipsa per diuersos essendi modos: qui non sunt formaliter entia, & hi ipsi modi inter se, & a quantitate.

Sic *ex natura rei exsistentia rerum creatarum distinguitur ab essentia earundem, non realiter*, vt prolixe disputat Fons. 4. Metaph. c. 2. q 4. sect. 4.

Adde Piccolom. in Physic. & Perer. item Zabar. lib. de constitut. indiuid. &c. Ex natura, inquam, rei, non tamen formaliter. *Deitas autem nullo pacto distinguitur a sua exsistẽtia*, ex natura rei, multo minus realiter. Fonsec. d. 4. Met. q. 3. sect. 1. Eaque *exsistentia non tantũ est substantiarum, sed etiam accidentium: qualibet enim res propriam habet exsistentiam.* Fons. ib. sect. 2. Huc pertinent modi

essendi necessario & contingenter, complete & incomplete: aliiq; id generis quamplurimi: quia res ipsæ, cessante omni operatione intellectus, sunt necessariæ, aut contingentes; sunt completæ, aut incompletæ; sunt finitæ, aut infinitæ; sunt actu, aut potentia. Ex quibus modis alii necessario rebus conueniunt: alii contingenter: Necessario; vt esse necessarium, esse contingens: Et in nonnullis esse completum, esse incompletum. Sic, esse finitum, esse infinitum: contingenter, vt esse actu in rerum natura (si de creaturis agitur) & esse potentia: esse actu in subiecto, & esse sine subiecto. Et in aliquibus esse completum, & esse incompletum, vt in homogeneis: sic gutta aquæ est ens per se completum, cum vero fit pars maioris aquæ, euadit ens incompletum. Hæc ex Fonseca concisim sumta, & non parum illustrata proponimus. Ex quibus manifestum, neque primum, neque secundum essendi modum huc pertinere. Non primum; quia ibi modi sunt formaliter entia: Atqui modalis distinctio ex natura rei, vti ex definitione modalis distinctionis constat, formaliter ens respuit: neq; secundum, cum per eandem rationem, tum quia modi ibi non distinguuntur ex natura rei. Tertius igitur modus essendi hoc loci est proprius: qui iam accurate explicatus est: ceteri autem merito exauctorantur. Nunc potentialem modum inspiciamus. *Potentialis modus est, quo partes integrantes totius eiusdem homogenei, dum in eo sunt, distinguuntur & inter sese, & ab ipso toto:* vt aer superior ab inferiori, &c. qua de re paulo post latius. Hæc omnia

mnia, vtut vera ſint, tamen in methodum impinguntvehementer;nec ſine confuſione,quam ab omni ſcientiarum cultu longiſſime exulare volumus,traduntur. *Primo* namque, quod & ipſum ſupra tactum habui, diſtinctio ex natura rei Fonſecæ eſt generalior reali, vt ex illius conſtat definitione: & tamen mediam collocat inter realem & rationis: vnde & vſuuenire ait, vt propter affinitatem & coniunctionem cum extremis partim Philoſophorum,eam ad realem,partim etiam ad rationis tranſuexerint,d.5.Metaph. q.7.ſ.1.*Deinde* inſignis confuſio eſt,quod omnia, quæ reali diſtinctione quaſi veſtiuntur,nihilo tamen minus etiam ſub diſtinctionem ex natura rei,ablegari poſſunt:adeo vt huius tã ambitioſum & ſpatioſum velũ ſit, vt tã ea, q̃ proprie ex natura rei q̃ ea,quæ realiter diſtant,recipere &tegere habeat. Hoc enim vero nõ erat mediã diſtinctionẽ excogitare, ſed realem cum media conturbare & commiſcere. Itaque Logice & rationi conuenienter acturus ea tantum exempla in diſtinctione ex natura rei ſtatuet,quæ realem a ſe ſegregent & ſpernant. Adde quod formalis pura, quam dicit, omnino realis diſtinctionis ſit, & ſub eius claſſe quoque inſtituta.Potentialis quoq; diſtinctio partim realis eſt, partim pure ex natura rei, vti & ipſe Fonſeca fatetur. Quæ confuſiones vt tollantur,& tamen termini recepti,vna cum nucleo retineantur, alia via nobis ingrediundum erit.

XVI. QVÆSTIO.

Quo pacto distinctio ex natura rei rectius tradatur, quæ eius caussa constituens, & quibus axiomatibus ornetur?

CVm distinctio ex natura rei minor sit quam realis, Fons. lib. 4. Metaph. c.2.q. 4. s. 2. tali vtique definitione insignienda fuerit, quæ a reali ipsam præscribat. Quod vt fiat commode, prius caussam, quæ constituat ipsam, scrutabimur. In reali adæquatam esse diximus veram & exquisitã oppositionem: talis profecto hic nunquam conspicitur, neque conspici debet: imo interdũ nullam oppositionem hic est reperire, interdum vero aliquam, quæ exquisita non est. Itaq; si dixerimus ea distingui ex natura rei, inter quæ nulla intercedat oppositio, falsum dixerimus: Sin, inter q̃ minus exquisita, falsum nihilo secius. Quã ergo adęquatam rationem curabimus inuentam & adductam? Enimuero per species & exempla quæcunq; hac in classe disponũtur, eundo, semper alterum alterius veluti perfectionem esse cognosces. Animal est perfectio hominis: pars totius: exsistentia essentiæ: necessarium & contingens τὸ ὂν. Hæc igitur erit caussa adæquata. Itaque finiemus sic: *Distinctio ex natura rei, & quæ immediate in re fundamentũ habens inter ea est, quorũ alterum pertinet ad perfectionem alterius.* Duæ igitur conditiones postulantur ad cõstituendam distinctionẽ ex natura rei. *Prima* est cõmunis cũ reali: vt q̃ sic distinguuntur, distinguantur, præ-

cisa

cisa omni operatione intellectus. *Altera quæ est propria*, vt vnum sit de perfectione alterius. Cum autem ea perfectio duobus eueniat modis, formaliter scil. & modaliter (terminos Scholasticos & vsitatos retinere placet) diuisioni dabitur locus. Itaq; *distinctio ex natura rei vel est formalis, vel modalis:* nec quicquam in mora est, quod ea & supra inculcata: significatio.n.ibi & definitio fuit diuersa. Et Scholastici & Peripatetici, quos magnā partem sequimur, vtrobiq; eam diuisionem concedunt. Neque hic ea de re quicquam dubii est, illic autem fidem fecimus. In formali distinctione vnum addit aliquid realitatis siue entitatis alteri, in modali autem alterum alteri non addit quicquam realitatis, sed modum intrinsecum, qui sicut non est prorsus nihil, ita nec alia superaddita realitas, sed alius. vt Zabarella explicat, modus essendi. lib. de constit. indiuid. cap. 8. calculum nobis clarum apponit Fonseca dict. 4. Metaphys. cap. 2. quæst. 4. sect. 4. cuius verba probe notanda. *Quicquid*, inquit, *distinguitur ab aliquo ex natura rei, & non realiter, id aut distinguitur ab eo, ratione alicuius realitatis*, vt homo ab animali; *aut ratione modi intrinseci, quem diserte inibi aliam realitatem esse negat.*

Formalis itaq; est, quorum alterum addit realiter aliquid perfectioni alterius. Estque trium generum. I. *Est inter genus & speciem.* II. *Alterum inter generis & speciei differentias.* III. *Inter vnam partem & totum.* *Inter genus & speciem*: vt inter hominem & animal. Quanquam n. genus de specie, & species de indiuiduo prædicetur, inter-

que ea hactenus nulla sit pugna: tamen vere distinguuntur, plus enim concludit natura hominis quam natura animalis. Estque adeo verissimum; essentia seu forma animalis, qua animal, non essentia est hominis, qua homo est: illud enim, cum genus sit, postulat formam generalem: hic vero, cum sit species, exigit specificam. Formam autẽ aliam esse generalem, aliam specificam, vel ex Zabarella tritum est: in Phys. lib. 2. de 1. rer. mat. c. 14. lib. de constitutione indiuidui, c. 4. & ex professo lib. de facult. anim. cap. 8. & 9. *Potestq; animalitas exsistere, & exsistit quidem actu sine forma humana.* Zab. d. cap. 8. Sed *contra homo sine animalitate exsistere nequit.* Genus quippe in speciebus & singularibus exsistit, non vt tota eorum substantia, sed vt pars substantiæ. Zabarel. lib. 2. Poster. cap. 12. non tamen inest actu, sed potestate. id. lib. 1. Post. cap. 20. & lib. 2. cap. 15. Qua gratia Auerroi, *genus speciei necessarium, species autem generi contingens esse dicitur,* id quod acute interpretatur Zab. lib. 2. de propos. necess. cap. 10. Quin *Auerroi falsa est propositio ista: Homo, qua homo, est animal: vera autẽ hæc:* homo, qua homo, est animal quoddam. Zabarell. d. lib. 2. cap. 9. Ex quibus duo scitu necessaria colligimus. I. Cum animal exsistere integrum queat, homine in totum deleto, nempe in brutis, inter hominem & animal non esse nudam rationis differentiam: sed longe amplius differre: neq; tamen esse realem: cum animalis natura in homine necessario includatur, neutiquã fas dictu est, hominem ab animali re dissidere: sic enim idem quodammodo a se ipso realiter differret,

ferret, quod absurditate non caret: sed esse distinctionem ad realem proxime accedentem. II. Colligimus & hoc: distinctionem ex natura rei reali, quam rationis esse propiorem, & Scotum illam excogitando magnum præstitisse operæ pretium. III. Denique hoc: cur hæc differentia formalis, & quidem formalis essentialis nuncupetur, nempe quia a formis essentialibus, generalibus, & specialibus proficiscitur. Itaque vsitate cum Philosophis Genus & Speciem formaliter differre dicimus. Sic enim Schegkius, Fonseça, Zabarella, & alii loquuntur. *Inter generis & speciei differentias*; vt inter sensitiuum & rationale: sicut enim se habet genus ad speciem, sic differentia generis ad differentiam speciei. Quæ ob eandem rationẽ formaliter distingui dicentur.

Inter partem integrantem vel essentialem & totũ: sic aeris regio infima a toto aeris corpore: sic hæc pars mensæ, ab integra mensa. Sic anima rationalis ab homine. Sic formam a cõposito re ipsa distingui negat Zabar. lib. 1. de mot. leu. & grau. cap. 12. Forma autem & materia inter se reipsa. id. d. c. 2. & lib. de nat. cœli. c. 11. Huc spectat ex parte Scholasticorum illa distinctio potentialis, quatenus pars, quæ in toto homogeneo est, ab ipso discernitur: de qua supra egim⁹ vberius. Sed dicit Coll. Conimb. totum a qualibet sui parte re ipsa differre. 1. Phys. c. 2. q. 1 ar. 1. idque vel inde in aprico esse, quia alioquin vna pars efficeretur idem re cũ altera: siquidem, quæ vni & eidẽ sunt eadem, inter se quoque eadem sunt, vt argumentatur Arist. d. 1. Phys. c. 2. tex. 18. Resp. I. Collegiũ

nimis quam large capere ibi phrasin, re differre; eamq; opponere nudæ rationis distinctioni; vti ex inspectione loci palam est. II. Arist. d. 1. Physic. non ait partes inter se re ipsa differre, ergo & vnā quamlibet partem & totum: sed dicit vnam partem cum toto non esse idem: ceteroquin enim per consequens futurum, vt & partes inter se vnum forent: quod absurdum. Quare syllogismus Philosophi hic est. Partes non sunt vnum inter se: ergo nec pars vna erit vnum cum toto. Quod si quis inde cogere velit: partes re dissident inuicem: ergo & quælibet pars a toto, ille tum sensum Aristotelis perditum eat, tum Aristotelem deridendum cum argumentatione sua præbeat multis: non enim quæ est ratio partium inter se, ea quoque est ratio vnius alicuius partis ad totū. Partes inter se singulæ dissentiunt: vna autem quælibet, adeoque omnes cum toto consentiunt. Interim hoc ex Patribus illius Collegii colligere est, ipsos inter quamlibet partem & totum rationis differentiam non statuere, id vero est, quod valde quam approbamus.

Modalis est, vbi vnum non addit quicquam realitatis perfectioni alterius, sed alium tantum essendi modum intrinsecum. Vt hic solide constituantur duo animaduersione digna. I. *Vt subiectum sit vel ens*: hoc est, omne quod quidditatiue ita appellatur: *vel essentia seu entitas.* II. *Vt prædicatum non sit ens, vel essentia, seu entitas; sed vt sit modus intrinsecus. Modalis, vel absoluta est, vel comparata.*

Absoluta est, cum entia absolute & simpliciter a modis distinguuntur. Sic sunt modi, a quib. distinguuntur

guuntur genera summa; vt: esse necessarium; esse contingens; esse completum; esse incompletum; esse actu in rerum natura; & esse potentia; sic distinguitur exsistentia rerum infra Deum ab ipsa essentia, seu forma, seu entitate: quæ *exsistentia est vltima actualitas omnis formæ seu omnis entitatis.* Scot. 2. sent. d. 3. Thom. 1. p. quæst. 3. artic. 3. vide prolixius quæst. superiori.

Comparata est, qua qualitas vel quantitas ab intensione graduum distinguitur in se ipsa.

Sic pura, purior, & purissima albedo distinguitur ab albedine, cuius est ea intensio: vt clare explicat Fons. d. 4. Metap. cap. 2. q. 4. s. 4. sic per gradus quantitatis Socrates puer a se ipso sene aut viro distinguitur.

Subiectum igitur hic vel est qualitas, vel quantitas: prædicatum qualitatis, vel quantitatis gradus; qui gradus non est ens, sed est entis, hoc est, qualitatis vel quantitatis modus, seu perfectio accidentalis. *Subiectum autem debet esse vnum nostro: nam albedo purior & purissima in diuersis considerata non tam ex natura rei, quam realiter dissidet.* Fons. huic distinctionis speciei laxiores permittit habenas: hoc pacto entia per modos, vel modos ab entibus, vel deniq; modos inter se distinguēdo: sed enim quia illi ipsi modi inter se collati partim ad realem, partim etiam ad formalem ex natura rei remitti se patiuntur, ideo hic prætermissos voluimus. Axiomata hæc sunto. I. *Omnis distinctio ex natura rei minor est, quam realis.*

II. *In distinctione ex natura rei non est exquisita oppositio.* III. *In distinctione ex natura rei alterum*

tendit ad perfectionem alterius. IV. *Quæcunque ex natura rei formaliter differunt, eorum alterum ingreditur in definitionem alterius.* V. *Quæcunque modaliter differunt, eorum alterum non est de definitione alterius.* VI. *Differentia secundum magis & minus non variat speciem.* VII. *Omnis differentia per magis & minus habet aliquid contrarii admixtũ.* VIII. *Quæcunque definitione differunt, saltem distinguuntur ex natura rei.* Fonsec. IX. *Omnino saltem formaliter differunt, de quibus contradictoria vere prædicantur:* vt homo, qua homo, est capax disciplinę; animal, qua animal, non est capax: quare differunt formaliter homo & animal. Schegk. l. 7. Top. loc. 5.

XVII. QVÆSTIO.

Quænam sit distinctio virtualis, qui constituatur, & quibus axiomatibus illustretur?

HActenus fuit distinctio in re immediate fundamentum habens: sequitur, quæ habet mediate in re, hoc est, quæ per se, in se, & a se in re non est, sed in rei virtute & opere seu effectu: quæ distinctio a Scholasticis, vt dixi, virtualis, & eminens ex natura rei nuncupatur; intellige eminentem ex natura rei per virtutem & efficaciam. Vnde definitionem eius promtum est colligere. *Virtualis distinctio est, quæ non in re, sed in rei virtute fundamentum habet.* Vt hoc distinctionis genus recte intelligas, duo consideres oportet. I. *Vt sint duo saltem, quorum essentia est vna.* II. *Vt virtutes illorum, quorum vna essentia dicebatur,*

batur, re ipsa distinguantur: quibus positis caussam quoque distinctionis virtualis habebis vberem. Itaque etiam eorum est, quæ distinguuntur, licet nulla ratio distinctioni formandæ incumbat: sic intellectus & voluntas in anima, iuxta Scalig. & alios, in anima re non distinguuntur: vna enim res sunt: sed sola ratione, i. definitione; hoc est, vt applicemus huc, virtute & efficacia plurimum diffident: intellectu enim intelligimus; voluntate volumus; aspectu videmus: non autem volumus intellectu; neque intelligimus voluntate; neque aspectu audimus. Vide eleganter Collegium Conimb. lib. 2. de anima, cap. 3. q. 4. art. 2. licet hoc cum Scaligero, & aliis dissentiat. Sic in lumine est & vis calefaciendi & exsiccandi, quæ in lumine re ipsa nō distinguuntur: lumen enim cum sit qualitas, eademque vnica & simplex, aliarum qualitatum re ipsa, cum ab ipso, tum inter se differentium subiectum esse nequit: sed distinguuntur tamē virtute seu effectiue: a calefaciendi enim vi calefactio, ab exsiccandi exsiccatio promanat: horum effectuum beneficio vis calefaciendi & exsiccandi in lumine quoque distingui dicitur. Sic; vt ab humanis ad diuina me eleuem; iustitia, misericordia & omnipotentia in Deo nullo prorsus modo distinguuntur. Sunt enim idem cum essentia diuina, quæ simplicissima omnem a se distinctionem eludit: attamen distinguuntur effectiue seu virtute: aliud enim iustitiæ, aliud misericordiæ, aliud omnipotentiæ opus. *Omnes proprietates diuinæ sunt in Deo proprie-*

tas vna: & illa vna proprietas ab illa essentia diuina ne ratione quidem distincta est: de quibus latius disputare non est huius operæ. Sed aiunt ratione distingui & consideratione alia atq; alia: ergo ea distinctio non habet fundamentum in re. *Resp.* nego consequentiam: I. Ratione distingui est distingui consideratione & relatione alia atque alia. II. Ratione distingui est a sola ratione distinctionem nancisci: illa distinctio sæpe est fundata in re, hæc non item: imo accurate perpendendo, iustitia, misericordia, & omnipotentia diuina effectiue considerata re ipsa distinguuntur: quia opus misericordiæ ab opere iustitiæ re ipsa distinctum est: alterumque ab altero seiunctum est, & hac ratione distinctionem hanc & ad realem referas licebit. Axiomata hic sunt. I. *Quæcunq; sunt re idem, eorum effectus possunt esse diuersi & re distincti.* II. *Quæcunq; differunt virtualiter tantum, ea primo non differunt re ipsa.* III. Itaque *quæ virtualiter differunt, eandemq; essentiã habent, possunt de se mutuo affirmari*: sic Scaliger dicit voluntatem esse intellectum, &c. IV. *Nulla virtualis distinctio est in re, sed in rei virtute.* Hæc quoque de virtuali distinctione sufficiant.

XVIII. QVÆSTIO.

Quid sit distinctio rationis, quæ eius causa adæquata, quæq; axiomata?

HActenus fuit distinctio Rei, sequitur iam Rationis. *Distinctio Rationis est, quæ a pura puta ratione excogitatur, nullo distinctionis fundamento*

mento in re inuento. Confer Arist. 5. Metaph. c.9. tex.16. & Fonsecam. 5. Metaph. c.15. quæst.2.s. 2. & c.4. quæst. 2.sect.3. &c. 6.q.6.sect. 2. itemq; Collegium Conimb.1.Phys. c.2. quæst. 1. art. 3. Ratio seu λόγος hoc loci non significat essentiã, definitionem, & τὸ τί ἦν εἶναι, quod fieri apud Philosophum plerumque diximus supra: & Scaliger ei quoq; rei testis est luculentus. Ex.307. s.34. sed significat intellectus motionem ad conclusionem, aut electionem: id. dict. s.34.& 2. Iccirco & Scholastici, imprimis vero ex Thomæ officina prodeuntes, distinctionem hanc *Rationis ratiocinantis* belle nuncupauere, teste Fonsec. d. 5. Metaph.cap.6.quæst.7.sect.3. propterea quod ea talis distinctio sit nulla & nusquam, nisi mente ratiocinante & colligente. Fonseca & appellat *Rationis excogitatæ:* eiq; opponit distinctionem *rationis in re inuentæ.* d. 5.Met.c.4.quæst.2.sect.3. quam eandem, *distinctionem rationis cum natura rei conformatæ.* d. 5. Met. c.6.q. 7.s. 3. nec non distinctionem ex natura rei cum Scoto, quem plurimi alii sequuntur, nominat. Atque hæc quidem ratio in rẽ aliquã defertur, & in re aliqua recipitur; sed vero distinctionis illius, q̃ facit, in re vestigiũ apprehendit nullũ. Itaq; caussa adæquata distinctionis rationis est mentis, seu intellectus in vna eademq; re operatio, seu διάνοια, qua posita hæc distinctio ponitur, quaque sublata tollitur: ex qua caussa distinctionis Rei & Rationis discrimen elucet euidentissimum: illa siquidem in re vestigium, quod intellectus apprehendit, habet; hæc autem non habet: sed intellectus

hic discrimen fabricat melioris & facilioris cognitionis gratia. Quam ob ipsam caussam & hæc distinctio omnium tenuissima, leuissima & imbecillissima est, quia in re eius ostendi nequit fundamentum aut vestigium. Nec hilum proficias obiiciendo Schegkium, qui 7. Topic. loc. 14. *Differentiam formalem minimam esse diuersitatem* pronuntiat, & bene aliquanto post: *minimè*, inquit, *distinguuntur, quæ duntaxat formaliter discrepant.* Loquitur enim Schegkius de diuersitate rerum, quæ ei triplex. I. *Essentialis.* II. *Realis.* III. *Formalis:* ex quibus hæc, vt cum illo loquar, omnium minimissima. Hanc formalem supra in distinctione ex natura rei explicauimus. In rationis autem hac, non est diuersitas rerum. Sed grauiusculum sit, si ita contra dispútes; Si intellectus alicubi distinguit, vbi in re distinctio est nulla, intellectus aduersus & rem & homines mentietur. At hoc fit in rationis distinctione. Ergo inanis est & exterminanda. Resp. Sequeretur hoc, si intellectus rei distinctionem faceret, vbi rei distinctio non esset: at aliud est, quando nudum rationis discrimen inter aliqua statuit: quod adeo non repugnat rei, vt maxime etiam cum ipsa consentiat. Sic homo & animal rationale, quæ *μάλιστα ἢ κυριώτατα ἕν*, quia *τῷ ἀριθμῷ ἕν* Aristoteli 1. Top. c. 6. & 7. Topic. cap. 1. dicuntur, nullo modo, neque realiter, neque ex natura rei, neque virtualiter differunt: attamen intellectus rationis discrimen inter ea collocat hominem, vt definitum, & quiddam confusum; animal autem rationale, vt definitionem, & quiddam explicitum

plicitum considerando: quod, inquam, discrimen rei neutiquam aduersum est, & tamen in rē fundamento caret, retracta siquidem mentis operatiōne seu præcisa, vt loquuntur, nulla omnino inter hominem & animal rationale datur distinctio. Itaq; vt rationis distinctionem hic traditam ex pleno intelligas, duobus κριτηρίοις animaduersis opus est I. est, si in solidum pendeat a ratione cogitante. II. est, quod ex illo manat, si, mē-tis operatione seclusa, nulla omnino in re sit distinctio: his duobus adhibitis hanc a distinctione rei feliciter separabis. Distinctio rationis vel est eorũ, q̃ quali quali definitione, aut certe definitionis modo distinguuntur, vel eorum, quæ non.

Exempla hæc & similia: vt Socrates Grammaticus, & idem Socrates Musicus, definitione distinguuntur. Alia namque definitio Socratis Grammatici, & alia Socratis Musici: attamen Socrates Grammaticus, idemq; Musicus non differt a se ipso, aut sibi est dissimilis propter Grammaticam & Musicam relatione reali: quia extrema sunt idem re: differt autem relatione rationis. Quod si vero Socrates sumatur cum his geminationibus, quatenus est Grammaticus, & quatenus Musicus; tum differet a se Socrates relatione reali; quia Grammatica & Musica differunt re. Verum hoc non est absolute & simpliciter eundem hominem differre a se ipso relatione reali, sed Grammaticam & Musicam eiusdem hominis. Sic Carolus Imperator & Rex Hispaniæ sola a se ipso ratione dissidet.

Sic inter abstractum & concretum, licet defi-

nitionis modo differentia, est rationis, quæ in re fundamentum non habet, distinctio. Fonsec. 5. Metaphys. c. 6. q. 6. s. 3. id quod confirmat. lib. 3. Metaph. ad cap. 4. tex. 12. *Humanitas,* inquiens *cum homine communi non aliud est, sed idem prorsus ex natura rei,* tametsi solo significandi ac cōcipiendi modo differat: nam *humanitas* significatur vt forma absolute, *homo* autem, vt habens humanitatem, eodemque modo se res habet in ceteris, humanitas autem, non cum homine, sed cum Socrate collata, distinguitur ab eo ex natura rei. Socrates namque, ait, præter humanitatem, quæ communi definitione explicatur, aliud necessario includit, quo distinguitur a Platone ac ceteris hominibus. In summa, *Abstractum a concreto suo proximo nuda ratione differt.* Id quod voluit Peripatetici, apud quos trita propositio hæc: *Concretum & abstractum,* inquiunt, *re ipsa non differunt.* Scaliger certe: *Concretum,* inquit, *ab abstracto nihil differt, nisi modo significationis, non significatione.* lib. 4. de caus. lat ling. cap. 91. *Abstractū aūt a concreto suo remotiori differt ex natura rei,* vt animalitas ab homine, humanitas a Socrate: & ratio manifesta est; q̄a genera a suis quæq; speciebus differunt ex natura rei, seu, vti vulgo loquuntur, formaliter. Sed inquiat aliquis, alius est modus essendi abstractorum, alius concretorum, vt humanitatis & hominis, candoris & candidi. Fonsec. 5. Metaph. c. 7. q. 3. s. 3 Abstracta enim incompletius exsistūt suis concretis: id. d. l. 5. c. 8. q. 5. s. 10 Atqui τὸ completius & incompletius modalē efficit distinctionem. Hæc aūt iuxta Scholasticos ex natura rei est.

est Respondeo concretum duobus considerari modis: primo materiáliter, qua concretum significandi modum habet, deinde formaliter, quatenus in sua puritate & formalitate attenditur. Illo modo alius est essendi modus concreti ab abstracto: hoc autem non item, id quod in accidentib⁹ concretis liquido ostēdere fuerit. Iustus materialiter consideratus includit personam, aut substantiam aliquam humanam, iustus autem formaliter consideratus, h.e. qua iustus est, substantiam humanam non includit. Dico igitur abstractum, nempe iustitiam, a iusto materialiter accepto, non solū ex natura rei, sed etiam realiter differre, quatenus scilicet substantiam includit, quæ ab accidente vtique realiter distinguitur. At idem abstractum, nempe iustitia, a iusto, qua iustus est, neque realiter, neq; ex natura rei, neq; tali essendi modo, qui ex natura rei est, discrepat, sed sola intellectus operatione. Quæ distinctio vel inde constat, quia, vt in confesso apud omnes est, *abstracta formæ concretorum dicuntur*: vbi concreta materialiter accipi nequeunt; futurum enim esset, vt accidens etiam substantiæ forma essentialis diceretur. Hæc omnia eleganter intelliguntur ex Scal. Exer. 201. s. 2. vbi, *in lupo*, inquit, *& forma est, qua lupus est, & (* in eodem lupo *) est accidens feritas, qua (* idem ille lupus *) ferus est*, vbi feritas nō est forma lupi, qua est lupus, illa enim substātia necessario est, sed est lupi forma, qua est ferus. Quo etiam nomine intellectus cōcreta formaliter & pure apprehēsurus ea in abstracta trāsmutare solet. Hæc enim abstractorum natura

est, vt nihil alicui occultare possint. Concretorum autem contra talis, vt possint. Iccirco & concreta accidentium materialiter spectata, aggregata quædam sunt ex iis, quæ in diuersis statuuntur prædicamentis. Quo & Aristoteles album vocat ens, per accidens, & addit duo significare, & id cui accidit, & id quod accidit, 7. Metaphys.c.6.tex.21 & 3. Topic.cap.1.diserte ait: Iustum non esse in genere, sed iustitiam. Contra accidit in concretis substantiarum: quæ potiori ratione in prædicamento, quam abstracto collocantur: vt potius homo, quam humanitas: potius hic homo, quam hæc humanitas, Fonf. d. 5. Metaphys.c.7.q.6.f.5. Abstracta enim substantiarum non omnino per se, sed in concretis, quæ omnino & simpliciter per se, quæ Fonsecæ sententia ex, exsistunt: interim tamen & concreta substantiarum materialiter sumta accidentium & superiorum substantiarum agmen trahunt secum, nihil sane minus ac concreta accidentium subinferunt substantias. Formaliter autem ab eo agmine expedita intelliguntur: verbi gratia, homo laxe & sine vlla præscriptione positus accidētia & genera superiora secum conclusa gestat omnia: homo autem qua homo, quæ formalis cōsideratio, a tali & tanta sarcina exoneratus nihil continet, quod hominem non oleat. Itaque homo qua homo ab omni alieno, adeoq; ab ipsius animalis natura, vt ex Auer. cum Zab. docuimus antea, perpurgatus est. Huic puritati exprimendæ magno cum iudicio abstracta vocabula adinuenta fuere; vt humanitas significaret hominem,

tem, qua homo est:& homo, qua homo. humanitatem. Quæ significatio vtriusque eadem, modus autem significandi diuersus. Homo enim qua homo significat humanitatem concretiue: humanitas autem hominem abstractiue: vnde quomodo Scaligeri illud accipias: concretum & abstractũ nihil differre, nisi significationis modo, non significatione, sat habes. Hic in re nihil quicquam differentiæ: Quicquid enim homo continet, idem etiam humanitas. Et vice versa: Quo oppido quam ἀκύρως dicitur: humanitatem esse in homine, cum humanitas sit homo ipse, si quidem omnem mẽtis operationem semoueas, seu amputes.

Si namque esset modus essendi vtriusque diuersus ex natura rei, esset aliquid entitatis in cõcreto formaliter sumto, quod non esset in abstracto: & in hoc aliquid, quod non in illo: quod vero consentaneum non est. Adde quod homo formaliter sumtus non exsistit completius, sed materialiter, humanitate ipsa. Quin τὸ exsistere hominis, qua homo, pendet ab exsistentia humanitatis. Homo n. vt per humanitatem homo est, ita & per eandem exsistit: *Caussa n. essendi est etiam caussa exsistendi.* Zab. teste lib. de const. indiui. c. 5. Dicimus igitur, homo qua homo, exsistit complete, vt *Quod:* humanitas autem vt *Quo.* Neutrũ vero altero completius: nisi si manifestas inuehere velis absurditates, easq; plurimas. Quod aũt Fonseca abstracta & concreta singulariũ inter se ex natura rei differre facit, reliqua aũt communia non; docendo, omne concretum singula-

re addere aliquid abstracto singulari distinctum ab ipso ex natura rei, id vero est, quod auctori probandum, & dextro Marte propugandum libens reliquerim. Vide ipsum d.5. Metaph.c.8.q.5.s.9. Ego enim censeam omne abstractum cum concreto ex natura rei idem esse: aut omne ab eo ex natura rei differre. Sic vna eademq; res semel atq; iterum mente designata: vt Socrates, Socrates: quando scilicet intellectus vno vt duobus vtitur. Arist.5.Metaph.c.9.tex.16. *Identitas enim eiusdem ad seipsum est relatio rationis:* cum extrema non differăt hic re, neq; ex natura rei, sed sola ratione. Fons.d.loco, & in summa omnia, quæ Aristoteli μάλιστα ἕν dicuntur, hoc modo considerata ratione different. Confer 5. Metaph.c.6. tex.11. Dicuntur enim ibi ea vnum re, & τῷ λόγῳ, inter quę intellectus nullam inuenit distinctionem realē, neque rationis, quæ ex natura rei ducatur: talem enim rationis distinctionem, teste Fonseca, Aristoteles ibi intelligit. Sic idem homo quatenus sibi, vel amicus, vel aduersarius concipitur. Sic gladius & ensis: Socrates & hic homo: homo & animal rationale τῷ λόγῳ differunt, vt ait Goclē. part.2.Probl.Logic.q,33.seu, vt ait Schegk. modo intelligendi, 1.Top.c.6.

Axiomata iam, quibus hæc rationis distinctio maiorem atq; maiorē capiat lucē, hæc dabimus.

I. Quæcunq; sola ratione distinguuntur, leuissime distinguuntur. Maxima distinctio est essentialis, minor realis: adhuc minor est, quæ ex natura rei: omnium autem minima, quæ est solius in solidū rationis.

II. Quæ

II. Quæ pura puta ratione distinguuntur, ea reducta mentis operatione, maxime vnum sunt. Si enim non essent maxime vnum, tunc saltem ex natura rei distinguerentur.

III. Nihil est in rerum vniuersitate, quin, intellectu admoto, rationis pura distinctione distingui possit. Quando ergo dicũt Philosophi nonnulli, essentiam & exsistentiam in Deo ne ratione quidem distingui, & multa alia consimilia, vt iustitiam & misericordiam, bonitatem & æternitatẽ in Deo, de distinctione rationis, quæ ex natura rei promitur, intelligendi & interpretandi sunt.

IV. Non est absurdum, quæ pura ratione distinguuntur, ea nonnunquam re, vel ex natura rei differre diuersa consideratione. Exempla supra fuerunt allata.

V. Quæ pure ex ratione distinguuntur, ea nonnunquã quali quali definitione differre possũt. Sic Scheg-kius 7. Topic. in præfatione: homo & humanitas Christi definitione differunt. At enim homo qua homo ab humanitate nõ differt re, teste Fõseca. Sed hoc ad Theologorum Scholam.

VI. Itaq; etiam *quæ ratione distinguuntur, iis non eadem eodem modo conuenire, aut attribui necesse est.* Potest enim dici aliquid de homine, qua homo, quod de humanitate eodem modo nequit: & vicissim. Sic & de iustitia aliquid potest, quod de iusto, qua iustus est, nequit.

Atque hæc de distinctione reali, ex natura rei, & rationis fortassis debito verbosius a nobis dicta: quibus noñullas praxeos loco subiicere quæstiones, operæ pretium ducimus.

XIX. QVÆSTIO.

An inuentio & iudicium re ipsa sint vnum & idem.

EST, qui velut aratro, quod veteres dicebant Logicam Rami inducto, solo eam æquare tagit: partitioni (inquam) Logicæ Rameæ, St co, verbis ipsius vtor, mantello exutæ & ad si sellia fori logici attractæ grandem & grauem i pingit dicam, nihil quicquam cogitans se hor nem esse, nec decere, vt homo humanitatem uat omnem. Ait inter alia, in quorum refutati ne ille auctor plurimus, inuentionem & iudi um esse vnum & idem per omnia, eo, quod vna simplicemq; essentiam rei vnius significent; ta tum autem ratione nostra & concipiendi mo distingui. Vnde efficit: Logicam Rameam in i uentionẽ & iudiciũ diuidere par non esse: part enim non nostro intelligendi modo, sed re ip dissentire debere. Multa in tam paucis verb peccata. Primum vox alia est abstracta, alia co creta, quæ refutatori Rami alicubi diuisio e *At nullum abstractum a concreto re ipsa differt.* expresse habet Zab. lib. 1. de prop. neces. c. 13. h mo & humanitas, inquit, realiter non differun Et Scal. vt & supra dixi, lib. 4. de caus. lat. ling. ca 91. *Nihil*, inquit, *nomen concretum ab abstrac differt, nisi modo significationis, non significatio* Præclare igitur hic auctor se hac ratione frang ipse, non animaduertendo illud Scaligeri: quan do inquit, pudere vehementer debere illos, q cum alios veniunt oppugnatum, ipsi vitiosa ar

ma as

ma afferunt, quorum culpa conuincantur. lib. 1. de cau. lat. ling. c. 11. Negabit enim nobiscum vel inuitus, neceſſariũ, vt in omni diuiſione partes reipſa diſſentiant, Deinde, ſi iudicium & inuentio ſunt idem per omnia, quo, quæſo, pacto ratione differunt? Nunquid poteſt aliquid cum aliquo eſſe idem per omnia, & tñ ratione diſſidere? Denique falſum, ea eſſe vnum reipſa, quod vnam ſimplicemq; rei vnius eſſentiam ſignificent. Petit enim id concedi ſibi, ad quod probandum adſtringebatur. At, inquit, omnis inuentio requirit reflexionem intellectus ſuper id, quod excogitaſti, vt ſcias recte an ſecus excogitaris: id quod iudicium dicitur. Bene, at quid inde? Ergo iudicium & inuentio ſunt per omnia idem. Peſſima conſecutio: ecce enim contra quid afferam: diſpoſitio poſtulat etiam ipſam reflexionẽ mentis ſuper id quod diſpoſuiſti, vt de ſana vel vitioſa conſtet tibi diſpoſitione. Diſpoſitio igitur, quãtum mihi iudicii eſt, ex illius viri iudicio, idem erit cum iudicio. Quod ſi ergo inuentio eſt iudicium re ipſa: & ex eadem prorſus ratione diſpoſitio quoque iudicium re ipſa: inuentio certiſſima inferẽdi efficacia erit diſpoſitio: & inuenire erit diſponere, & diſponere inuenire. Feliciſſimum Rami refutatorem, qui eodem mentis actu & ictu inuenit, & diſponit, & iudicat, quod hactenus nulli ſapientũ, quantũ ego quidẽ longiſſime meminiſſe poſſum, contingere licuit. Quin, ſi inuentio, vt ait, requirit iudicium ſuper re inuenta & excogitata, qui vnum reipſa dicentur? *vt enim inuentio ſit recta, & diſpoſitio adiudi-*

cium vtraq; exigenda fuerint, velut ad amussim seu obrussam. Rectitudo enim illorum pendet a rectitudine iudicii. Non ergo idem reipsa. Ais porro, esse vires inseparabiliter coniunctas, nec inuentionem esse sine iudicio, nec hoc sine illo: idem ergo reipsa. Ægerrima, inquam, ea ratio, imo, vt ille ait, occisissima. Primum namque si vera, inseparabiliter ea duo esse coniuncta, tum disposita inuentione & iudicio simul iudicabis, quod absurdum. Deinde, si inseparabiliter coniuncta, non sunt idem: *Quod enim proprie coniunctum cũ aliquo, id idem re non est.* ex Scalig. 75. sect. 4. Per omnia quæ idem, ea non coniunguntur, inquam. Adiice, *Quæ inseparabiliter coniuncta, non sunt protinus idem re ipsa.* Proprietates enim cum suis subiectis nexum adamantinum habent, nec vnquã alterum ab altero auelli potest. Scal lib. 4. Poet. cap. 6. & Ex. 12. sect. 2. Quæ tamen in rebus creatis idem re non sunt cum suis subiectis. Zab. lib. de facult. anim. c. 2. & seqq. Quod de sensu affert idem, id ex sensum plane est. Falsissimum est nẽpe, sensum constare applicatione, & iudicio applicationis, nec alterum sine altero sensum dici. *Nullus enim sensus sensile iudicat, sed alia vis interna hoc præstat:* Sensus enim apprehensio simplex est. Scal. Ex. 307. s. 5. *Et nullus sane vnquam Philosophus, quod ratiocinationis est, sensui attribuit.* Idem Ex. 80. sect. 6. adde Exerc. 63. sect. 2. & 298. sect. 16. Quod autem a Philosopho τὸ κρίνειν sensibus assignatum legitur, vt lib. 3. de anima, c. 3. tex. 152. & alibi sæpe, ibi scias licet, iudicium ibi non iudicium, sed sentientis animæ cretionem, id est, certam

tam apprehensionem significare. A Græco nãq; κρίνω Latini suum cerno mutuati sunt. Scal. d. Exerc. 80. sect. 6. Et nihilo felicius & meli' est, quod de intellectione subiicit: quippe ibi inscitiam aperit suam, nec intellectionem suam, nec sui pro debito intelligendo. Ait, vt compendio dicam, intellectio est, quasi radii intellectus ad obiectũ intelligibile emissio, & istius radii super se reflexio: id est, apprehensio, & apprehensionis istius iudicatio. Solidam vero pro explicatione habemus gratiã: ænigmatis enim instar erant priora, & nimis quam, si ad iudicii tribunal reuocentur, lubrica & inconstantia. Habeam enim quærere, quid sit ille radius intellectus, qui inter ipsum, & intellectionem interponitur: & hoc, in quid opus sit illa radii ad obiectum intelligibile emissione, cum ipsum intellectui iam a sensibus intellectus, velut apparitoribus, sit præsentissimum: nec non hoc, quomodo radii intellectus ipsi super se reflectantur: & quis sit eius flexionis & reflexionis agitator: omnem enim omnia hæc superant subtilitatem.

Sed relinquo hæc auctori suo ad pastum & pabulum, & pergo. Intellectio, ait, est rei apprehensio, & rei apprehensæ iudicatio: assumit iam. Atqui inuentio est intellectio. Et conficit inuentionem vel maxime esse iudicationem, ideoque diuisionem logicæ in inuentionem & iudicium contra scita logicorum præceptornm institutã. Vtraque præmissa ponderis expers: quod vel vna ratione ostendere est. Intellectio ex consensu omnium Physicorum est simplex vel composita.

cium vtraq; exigenda fuerint, velut ad amussim seu obrussam. Rectitudo enim illorum pendet a rectitudine iudicii. Non ergo idem reipsa. Ais porro, esse vires inseparabiliter coniunctas, nec inuentionem esse sine iudicio, nec hoc sine illo: idem ergo reipsa. Ægerrima, inquam, ea ratio, imo, vt ille ait, occisissima. Primum namque si vera, inseparabiliter ea duo esse coniuncta, tum disposita inuentione & iudicio simul iudicabis, quod absurdum. Deinde, si inseparabiliter coniuncta, non sunt idem: *Quod enim proprie coniunctum cũ aliquo, id idem re non est.* ex Scalig. 75. sect. 4. Per omnia quæ idem, ea non coniunguntur, inquam. Adiice, *Quæ inseparabiliter coniuncta, non sunt protinus idem re ipsa.* Proprietates enim cum suis subiectis nexum adamantinum habent, nec vnquã alterum ab altero auelli potest. Scal lib. 4. Poet. cap. 6. & Ex. 12. sect. 2. Quæ tamen in rebus creatis idem re non sunt cum suis subiectis. Zab. lib. de facult. anim. c. 2. & seqq. Quod de sensu affert idem, id ex sensum plane est. Falsissimum est nẽpe, sensum constare applicatione, & iudicio applicationis, nec alterum sine altero sensum dici. *Nullus enim sensus sensile iudicat, sed alia vis interna hoc præstat:* Sensus enim apprehensio simplex est. Scal. Ex. 307. s. 5. *Et nullus sane vnquam Philosophus, quod ratiocinationis est, sensui attribuit.* Idem Ex. 80. sect. 6. adde Exerc. 63. sect. 2. & 298. sect. 16. Quod autem a Philosopho τὸ κρίνειν sensibus assignatum legitur, vt lib. 3. de anima, c. 3. tex. 152. & alibi sæpe, ibi scias licet, iudicium ibi non iudicium, sed sentientis animæ cretionem, id est, cer-

tam

tam apprehensionem significare. A Græco nãq; κρίνω Latini suum cerno mutuati sunt. Scal. d. Exerc. 80. sect. 6. Et nihilo felicius & meliꝰ est, quod de intellectione subiicit: quippe ibi inscitiam aperit suam, nec intellectionem suam, nec sui pro debito intelligendo. Ait, vt compendio dicam, intellectio est, quasi radii intellectus ad obiectũ intelligibile emissio, & istius radii super se reflexio: id est, apprehensio, & apprehensionis istius iudicatio. Solidam vero pro explicatione habemus gratiã: ænigmatis enim instar erant priora, & nimis quam, si ad iudicii tribunal reuocentur, lubrica & inconstantia. Habeam enim quærere, quid sit ille radius intellectus, qui inter ipsum, & intellectionem interponitur: & hoc, in quid opus sit illa radii ad obiectum intelligibile emissione, cum ipsum intellectui iam a sensibus intellectus, velut apparitoribus, sit præsentissimum: nec non hoc, quomodo radii intellectus ipsi super se reflectantur: & quis sit eius flexionis & reflexionis agitator: omnem enim omnia hæc superant subtilitatem.

Sed relinquo hæc auctori suo ad pastum & pabulum, & pergo. Intellectio, ait, est rei apprehensio, & rei apprehensæ iudicatio: assumit iam. Atqui inuentio est intellectio. Et conficit inuentionem vel maxime esse iudicationem, ideoque diuisionem logicæ in inuentionem & iudicium contra scita logicorum præceptorum institutã. Vtraque præmissa ponderis expers: quod vel vna ratione ostendere est. Intellectio ex consensu omnium Physicorum est simplex vel composita.

Vtraque illa intellectio, vel est recta, vel reflexa Scaliger Exercit. 307. sect. 2. Confer. 76. sect. 3.

Simplex intellectio est cognitio rerum simplicium vt leonis, tauri, &c. Simplex recta est, quæ fit in prima statim apprehensione: huius modus est duplex, d. Ex. 307. sect. 8. alter cum intelligit rem alter cum intelligit speciem, per quam intelligit rem. Est enim species, quasi pons & portitor, ibid sect. 21. Intellectio simplex, reflexa est, cum intellectus seipsum intelligit, hoc est, cum intellectus se reflectit ad se & intellectionem suam, seq suamque intellectionem intelligendo. Composita intellectio est, cum coniuncta cognoscit, ex quibus fiunt propositiones & syllogismi, vt homo est animal; item, homo est animal, Socrates est homo, ergo Socrates est animal. Vtraque hæc intellectio etiam reflexa esse quit. Iam per hæc venio responsum: Intellectio, quam ponis in propositione, aut de omni intellectione capitur, aut de simplici tantum, aut de composita & simplici simul. Non de omni: si enim ita esset res: tum in assumtione quoque de omni intelligeretur, & diceretur, inuentio est intellectio & simplex & complexa. At falsum, inuentionem esse complexam intellectionem: omnis enim intellectio cõplexa est *διάνοια*, vt erudite probat Gocl. part. 3. Problem. Log. q. 9. At *nulla inuentio, qua talis est διάνοια*: inuenire enim esset componere & diuidere, ac ratiocinari, adeoq; ordinare: absurdum. Concidit ergo propositio, cum non sit vniuersalis, nec de simplici intellectione: ea enim nihil aliud, quam apprehensio simplicium; sed tum i-

terum

terum assumtio erit falsa, ex Schola eiusdem viri alibi negantis aperte inuentionem esse apprehensionem simplicium, perstringendo virum quendam clarissimum, qui ipsum affirmauerat. Nō mala hic fide cum refutatore ago, sed bona, imo optima: si namque in propositione τό intellectio est simplicium apprehensio, etiam simplicium apprehensio sit oportet in assumtione. Cōcidit ergo hic assumtio. Sed nec simplicē & complexā simul intellexisse potest: id quod planū est. Talem ergo homo ille intellectionē punit, quæ sub nullā dum intellectionis speciē cadit, nec casura ērit vnquā. Eamus vlterius. In apprehensione; ait, simpliciū est sua inuentio & iudicium: in compositione & diuisione sua item inuentio & iudicium: & sic porro ἐν τῇ διανοίᾳ, seu discursu. Quin, inquit, mens nostra non informat axioma prius, quam iudicet, se formasse: nec discurrit, nisi se discurrere iudicet. Proh hominum fidem, quam curta probatio? Logicus ille probaturus erat in apprehensione simplicium esse, & inuentionem, & iudicium: probaturus erat in compositione & diuisione ac Diaonia esse inuentionem & iudicium: at probat tantum iudicium esse in compositione & diuisione, ac in discursu. Manifesta & concessa probat: hoc enim Ramei vtraque manu largiuntur, & largiuntur quidem prolixe benigneque: sed, ostende Logice, hoc enim ostendendum erat, apprehensioni simplicium, & inuentionem, & iudicium ill gari? Ostende, inquam, in compositione & diuisione, ac discursu reperiri inuentionem. Hoc enim

est,quod negant Ramei, ac tu affirmas, quo ar-
gumento? nullo. Non possum tamen, quæ me
liberalitas est,quin productæ rationi notam inu
ram.Negemus etiam atque etiam,in inuention
iudicium contineri,& ab hoc illam esse ἀχώριστο
Adest enim tantum illi,& dirigit:ne regiones of
ficii illa excedat, &, vt sit recta & directa, faci
Quin si in apprehensione simplicium iudic
quoque vis cernitur & elucet, apprehensio sim
plicium non erit prima mentis operatio, sed se
cunda: Nec inuentio in compositione, diuisio
ne,discursuque emicat vlla, tantum abest, vt i
illis resideat.

Effectum inuentionis,id est,materiam ibi ha
bes,inuentionem ipsam nequaquam. Argutai
pergit: Præcepta inueniendi, vt definitionis &
distributionis,seruiũt ad iudicandum, sit ne hæ
definitio,aut diuisio bona,an mala. Ergo iudici
um cum inuentione nihilo secius complicatur
quam cum dispositione. Estque hoc obiectum
& Flacii libr. 1.Logic. general.cap. 8. Ex facili re
spondeo:fucum esse in voce iudicii, quod gene
ratim sumtum ad omnes artes & scientias sese
porrigit. Nullum enim præceptum firmum,ex
quo non diiudicandi aliqua petatur ratio:Et hac
vi quodlibet præceptum præditum est, qua axi-
oma. Quod autem axioma seu propositio sit, id
ipsum beneficio Logicæ dispositionis, cui iudi-
cium in specie dictum alligatum,possidet. Hoc,
inquam,in specie dictum iudicium,quod dispo-
sitionis præcipue antistes quasi est, illius, quod
inuentionis,adeoq; omnium scientiarum præ-
ceptis

ceptis commune eſt, mater eſt. Remoto ergo fuco rem intimam tibi inſpiciendi copia eſt. Hæc palmaria ſane, quibus vtitur ille, ſed ſine palma: quem per hæc non abſtulit, ſed magis reliquit. Ad finem animi gratia apponam, quæ ſatagentis refutatoris animum, aut tranquillent, aut verius vrant, demonſtraturus reidem non eſſe. Quam operam antequam occupem, vox *(iudicium)* ambiguitate ſua exuenda eſt. Primo ſenſibus tributum legitur, vt ſupra laudaui, valde impropriee: ſenſus enim viſus non iudicat, album nō eſſe nigrum, ſed id munus exhaurit vis longe animæ nobilior. Scalig. Exercit. 307. ſect. 6. Senſus vis ſine omni compoſitione & diuiſione eſt.

Deinde pro quauis etiam apprehenſione apud Philoſophos inuenias, quæ nimis tamen laxa Scaligero lex ſignificationis. d. Exercit. ſect. 6. Tum tribuitur magis proprie rei alicui complexæ, vti vocant, ſine diſcurſu: de nullo enim ſimplici, qua ſimplex iudices, ſed de re affirmata & negata: illa enim affirmatio & negatio in compoſitione & diuiſione conſiſtit. Vide eleganter Goclen. part. 3. Problem. Logic. quæſtione octaua, aut certe de re affirmanda aut neganda. Verbi gratia? de hoc termino ſimplici: *Homo*, qua ſimplex eſt, nihil quicq̄ habeo iudicare, ſed tum demum, quando ei quicquam adiungitur, aut adiungi intelligitur, vt: an homo propriis virib⁹ ad gratiam diuinā aſpirare poſſit: omnimoq; concipi nequit, qui de re ſimplici, vt ſimplex eſt, iudicium formetur. Hinc excellenter ratiocinandi facultati tribuitur: vnde clare iudiciū ratiocina-

tionis esse dicitur Scal. Ex. 80. s. 6. Quæ potissima significatio. Deniq; ad Logicam translatum, vel vt primarium seu mater, vel vt secundarium seu filia attenditur, vt subantea dictum & explicatū. Hoc iam hic non disputatur, sed illud, cuius significatio in duobus priorib. modis ostensa est, quā iudicii propriā esse euicimus. Hoc cū Ramo adeoq; Peripateticis imus negatum esse re idem cum inuentione, his claris rationibus inducti.

Quæ per omnia sunt idem, de iis quoq; eadem prædicantur. Fortun. Crell. lib. 3. acroas. c. 3. ad contex. 21.

Atqui de inuentione & iudicio non eadem prædicantur. Inuentio enim inuestigat, profert, ex inuolucris quasi naturæ aliquid eruit: iudicium autē sic eruta & producta accurate lustrat, recognoscit & recenset: alia ex iis admittendo, aliis autē notam inurendo Scal. d. Ex. 307. sect. 6. Adde Schegk. lib. 7. Top. loc. 5.

Non sunt igitur per omnia idem. Impingo aliam rationem.

Inuentio est rei simplicis seu incomplexæ complexæ n. non inueniuntur, sed iam inuent adhibentur: iudicium aūt est rei cōplexæ: est iudicium affirmationū vel negationum appro batio. Scal. d. Ex. sect. 6. Obiectis ergo differen

Qua lege igitur erunt prorsus idem, & no potius re different? Adde. *Iudicium impositum quasi prætor aliquis ad inuentorum perpensionem: q est*, vt ita dicam, *mansorum velut quædam rumin tio ad coquenda consilia.* Et iudicium optima pa animi est, seu vis. Scal. Ex. 256.

Qui ergo cũ inuentione idem? Quanto quoque minus in apprehensione simplicium continetur? At tu ignobilissimæ mentis operationi optimam, eamq; præstantissimam ingeris. Et omnia, quæ in opere posita sunt, ab intellectione, aut inuentione, aut iudicio proficiscuntur. Scal. lib. 1. Poet. c. 2. vbi loci plura, ad hunc locum plurimum conferentia: vnde satis plane audis iudicium ab inuentione, & hanc ab intellectione disiungi ab homine tam acuto, vt & vna opera intelligas falsam fuisse tuam antea assumptionem: *Inuentionem esse intellectionem.* Si inuentio est iudicium, eademq; intellectio, quomodo ea in oratione hominis sapientissimi disiungentur? Reuera, si rem dicas, nulla inuentio est intellectio: vt cum ex Scaligeri loco patet, tum quia inuentio logica, de hac enim loquimur, ab intellectione oritur, & ad intellectionem tendit: adeoque sæpe ratio eruit & exsculpit quicquam ex inuolucris, quod nondum satis intelligit, siquidem intellectio ex refutatoris sententia cum iudicio coniuncta esse debeat. Enimuero inuenire est velut in rẽ, vel forte, vel de industria venire, teste Francisco Florido Sabino, lib. 1. lect. succisiu. c. 7. Quando igitur iam res sese obtulit inuenta, tum demum intelligitur. Premam largius: iudicium secundam & tertiam mentis operationem complectitur: cum enim intellectus aliquid affirmat aut negat, nihil aliud quam iudicium fert de cõnexione prædicati cum subiecto. Eodemque modo cum argumentatione vtitur, nihil aliud

iudicat, quam de connexione consequentis cui antecedente. Fons. lib. 1. Met. c. 2. q. 3. sect. .. *inuentio non complectitur secundam & tertiam mentis operationem.* Nullus enim vnquam Philosophorum dixit, inuenire esse componere & diuidere, &, quod amplius, esse argumentari.

Denique *quorum eadem natura & essentia, iis eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur.* Arist. 4. Metaph. cap. 2. tex. 3 & Topic. c. 1. Quod & ipsum de aliis mutationum generibus intelligas licet.

At homini, cui natura excellentem inueniendi vim concessit, non illico tale etiam iudicium impressit: sed plerunque, vbi inueniendi facul vegeta & acris, ibi iudicium languidum & tenu & contra, vbi hoc subactum, ibi illa rudis, & intra modum. Quod profecto non accideret vna eademque vtriusque esset essentia & natu Quæ cum ita sint, nemo non videt, quam in gnis modis partitionem Logicæ Rameæ in I uentionem & Iudicium, Stoico, vt Logicus ait, mantello exuerit. & ad tribunal veræ diuis nis nudam stiterit. Mantellum illi, Logice, su redde, & a tribunali si non optimis rationil velut iudicibus motus, saltem velut arbitris solue. Interim non est, quod silentio prema iudicium & inuentionem & dispositionem t quam indiuiduum comitem pulcre statui, q & alibi fecimus. Meliuscula n logicæ in inu tionem & dispositionem, quam in inuention & iudicium, & nobis videbatur diuisio; sed l ad Rami aduersarium nihil.

XX. QV

XX. QVÆSTIO.

An omnia, quæ in rebus creatis differunt realiter, etiam essentialiter?

VIdentur grauissimi auctores affirmare. Philippus Melanchthon d. lib. 4. c. de distinct. *Distinctio*, inquit, *essentialis in rebus creatis nihil differt a reali:* & subiicit: Plato & Arist. differunt realiter & essentialiter: sed personas diuinitatis realiter dicimus distingui, non essentialiter. Hæc ille. Et Scal. Exer. 346. animæ, inquit, potestates sunt *realiter* idem cum ipsa anima, neque differunt ab ea *essentialiter*, quod idem dicit sentire Scotum. Et Zab. lib. de fac. animæ, cap. 3. Realiter differre duplici intellectu dici ait. Primo, pro eo, quod est differre subiecto: deinde pro eo, quod est differre secundum essentiam: id quod nihil aliud Zabarellæ, quam essentialiter; quem locum in superioribus etiam productum latius explicauimus. Denique Collegium Conimbricense: *quæcunq;*, inquit, *in rebus creatis realiter differunt, ea & essentialiter:* addita ratione: quia *in omni re creata realitas defert secum essentiam; ut, vbicunq; fuerit alia realitas, ibi etiam aliam dari oporteat essentiam.* 1. Phyl. c. 2. quæst. 1. art. 2. At enim reale discrimen in creatis rebus sine essentiali hærere, instantiæ in numerato sunt solidissimæ.

I. Aqua Lani & Salæ fluuiorum realiter differunt: *quæcunq; enim separata sunt, vel separari possunt, reali differētia p̄dita esse necesse est.* Fons. 5. Me-

taph c.6. quæst.6. f.7. At essentialiter non dif
runt. Confer Zab. lib. 2. de qualit. elemẽtarib. c
& Aristot. 1. Topic. cap. 6. Et manifeste Fons
ad d lib. cap. 6. tex. 9. & 11. fluuios tales re & rat
ne differre asserit.

II. Qualitates symbolicæ elementorum, q
vocant. vt calor ignis, & calor aeris, humidita
quæ, & humiditas aeris, siccitas item terræ, & s
citas ignis, reali donantur distinctione: sed esse
tialiter specie seu essentia differre Peripate
præstantiores eunt inficias: essent enim o
qualitates primæ. Collegium Conimb. lib. 2.
generat. & corrupt. c. 3. q. 6. artic. 1. Aristote
imo ipse aperte dict. lib. 2. a contex. 24. ad 30. h
ostendit. Tantum illæ symbolicæ qualitates d
ferunt secundum magis & minus. At differe
tia secundum magis & minus de omnium P
losophorum cõsensu non variat speciem, inq
Zab. d. lib 2. de qualit. elem. cap. 6.

III. Sic animalis natura in homine & equo r
liter vtique differunt. Accedit auctoritas Sch
kii, cui totum σύνολον a partibus realiter diffe
cum iisdem autem essentialiter est idem. 7. T
pic. loc. 14. Ex quibus efficio, *non omnia quæ re*
ter in rebus creatis differunt, ea illico etiã essentiali
Hoc certũ: *Quæcunq; essentialiter distant, ea & r*
liter Zab. l. de facult. anim. c. 2. At non vice ve
At, inquis, Melanchthon diserte se obiicit: t
que adeo minus Patres Conimbricenses & a
Respond. realis differentia in rebus creatis P
lippo & aliis strictius capitur, vide supra. Nec i
pedit quicquam, quod in omni condito reali
su

suam secum essentiam defert: exinde enim non sequitur: ergo in creatis rebus essentialiter differunt, quæ realiter: aqua enim Fuldæ suam secum defert essentiam, & item suam aqua Lani: at essentialiter tamen non differunt.

XXI. QVÆSTIO.

An omnia, quæ definitione differunt, realiter differant?

CERTVM *est, quæ definitione differunt ea inter se differre.* Porphyr. cap. 15. Sed in quæstione iam versatur, an quæcunq; definitione differunt, etiam differant realiter seu reipsa? Affirmant hæc argumenta.

I. *Omnis definitio debet constare proxima differentia.* Top. lib. 6. c. 3. *Omnis autem proxima differentia a forma petitur.* Fons. 5 Metaph. c. 7, quæst. 4. sect. 3. *Omnis autem forma & omnis differentia res est.* Quare necessario videtur sequi, quæ definitione differunt, re differre; sicut enim sese habet definitio ad definitionem, sic differentia ad differentiam, & res ad rem. Confer huc Scalig. Ex. 307. s. 11.

II. Simplicius lib. 2. Phys. cont. 1. & 16. animã naturam esse negans arripit tale axioma: *Quorum diversæ sunt definitiones, illa inter se diversa sunt, & proinde reipsa distinguuntur.* Atqui alia est naturæ definitio, alia animæ. Ergo. Et Zab. lib. de nat. c. 9. opinionem Simplicii refutando axioma a Simplicio allatum quasi sicco pede præteriit asserendo nihil aliud per illud ostendi, quam non idem esse animam & naturam, quemadmo-

dum etiam dicemus non idem esse hominem & animal, neq; eandem esse vtriusq; definitionem

III. Adde Archangelum Mercenarium & Thomam Erastum integris libris de putredine contendentes; quorum hic generationem mis & mistionem prorsus idem esse, proinde & definitionem vtriusque esse eandem, ille vero penitus distingui, quia mistionis & generationis misti diuersæ sint apud Aristotelem definitiones asserebat, vide Zab. lib 1. de misti gen. & inter. 8.9.& 10. Itaque Erasto placuit hæc propositio *Quæ penitus sunt idem, eandem quoq; habent definitionem*. Mercenario autem est ista: *Quæcunq; definitione differunt, penitus differunt*. Quare apertum ex duob. tam excellentis doctrinæ viris. I. *Re esse eadem, quorum definitiones sunt eadem*. II. *Re & penitus distingui, quorum definitiones diuersæ sunt*.

IV. Tandem Fonsecam appono: cuius hæc propositio: *Quæcunq; definitione diuersa sunt, semper distinguuntur ex natura rei*. d. 5. Metaph. cap. 6 quæst. 7. s. 3. Distinctio autem ex natura rei est, v dictum aliquoties, qua aliquid ab aliquo distinguitur præcisa omni operatione intellectus. ibid sect. 2. quæst. 6. At *omnia, quæ ex natura rei distinguuntur, ad realem distinctionem referuntur*. Dur 1. sent. d. 2. q. 2. Okam in 1. dict. 2. quæst. 3. Heruet quodl. 3. quæst. 1. & Io. Gand. 6. Metaph. q. 10 Quare qui dicit: Quæcũq; definitione differunt re differunt, in grauissimis auctoribus nixus i dicit. Contra ex altera parte præstantiores sun rationes & auctoritates.

I. *Qu*

I. *Quæ realiter differunt, possunt a se inuicem separari.* Phil. Melanch. lib. 4. Dial. c. de distinctione. Regula, inquit, certa est, distingui realiter omnia, quæ separari possunt. At multa sunt definitione differentia, quæ separari non possunt, vt est liquidum de homine & animali.

II. Si vna eademq; res diuersa consideratione definiri potest, ἀδύνατον, vt omnia quæ definitione differunt, re differant. At prius est verum ex Zab. d. lib. 1. de misti gener. & inter. c. 10. Ergo & posterius. Assumtio declaratur, misti generatio & mistio reipsa vnum & idem sunt, & tamen diuersæ earundem sunt definitiones pro diuersis mistionis & generationis misti considerationibus. Sic idem nummus argenteus aliter definitur, quatenus est manu-pretium, quod aurifabro: & aliter, quatenus δίδακτρον, quod præceptori dissoluitur: at vna eademque res. Adde eundem in Physf. lib. 1. de rerum nat. c. 6. & pulcre lib. 2. de meth. c. 18. *vbi docet, rem vnam & eandem diuersis modis consideratam sub diuersis generibus etiam collocari.* Quod si ergo vna eademque res diuersis generibus subiici potest, etiam vna eademque res diuersa definitione definienda & insignienda venerit.

III. Sed & ad vocationem eidem rei euincendæ dabunt auctoritates, illæ quidem maximæ & grauissimæ. Arist. 3. Phys. acroas. c. 3. tex. 18. accliuis & decliuis (inquit) longitudo *reipsa* (intellige subiecto) *idem sunt, definitione autem differunt.* Sic actio & passio idem *realiter sunt, definitione aut seu ratione distinguuntur.* ib. tex. 22. Sic *ens*

& vnum idem sunt, καὶ μία φύσις & vna natura, sed non τῷ λόγῳ, i. definitione declarantur. 4. Metaph. c. 2. tex. 3. Scaligeri; *vnum, bonum, verum sunt affectus ipsius entis, vna sane res atq; eadem cum ipso ente, sed & ab eo, & inter se distinguuntur per definitionem.* Exerc. 307. sect. 15. Iacobi Schegkii: homo & animal sunt vnũ realiter, quamuis formaliter, id est, definitione differant 6. Topic. loc. 87. &c. Zabarellæ, cuius hæc enuntiata: *Quæ reipsa idem sunt, non sunt illico ratione, i. e. definitione idẽ;* Et, *quæ ratione distinguuntur, distinctas habent definitiones.* d. lib. de gener. mist. & inter. cap. 10. Crellii ad d. lib. 3. Phys. acroas. cap. 3. Goclenii: *grauiter (*inquientis*) errat, qui putat, quæ definitione differunt, ea illico seu necessario re differre.* lib. 1. Logic. instit. pag. 187. vbi de eadem materia plura. Denique aliorum cum veterum, tum recentiorum, quib. proferendis vel solidum exemerim diem. Lis sic componitur: Quæ definitione differunt, ea vel realiter differunt; vel ex natura rei saltem: quæ distinctio, quod fundamentum in re habet, a nonnullis etiam ad realem accensebatur.

XXII. QVÆSTIO.

An quæ specie differunt, essentia differant semper?

QVando supra mentio iniecta de specifica differentia, non absurdum fuerit expendere axioma illud, quod in Philosophicis ὑπέρκοινον est, & vel ipsa frequentia frequentius: *Quæcunque specie differunt, ea & essentia discrepant:* sicut specie vnum sunt, quorum vna est ratio. Aristot

5. Me-

5. Metaph. contex. 12. Ratio autem Aristoteli idem est, quod forma seu rei essentia. Zab. lib. de constit. indiuidui cap. 3. & 10. Quin & ipsa species Philosopho forma seu essentia est. lib. 3. Metaph. c. 2. Hæc veluti in meridiana luce constituta sunt omnia. At tenebras & noctes contra obducit, quod ait Philosophus 1. Meteor. c. 1. diuersas esse species terræ; cum tamen terra sit species vltima, quæ in alias diuidi respuit, nulla differentia interim nisi accidētali admissa. Hanc obiectiunculam sic exhaurimus, & quidē eodem illo Philosopho adiuti: scriptum quippe 10. Metaph. c. 8. tex. tex. 25. specie *distingui contingere dupliciter, vel p interna principia ad essentiā pertinentia*, vt leo ab equo: vel *per externa ac per accidentia ad materiam spectantia*, vt Æthiops a Scytha, mas a fœmina. Confer Piccol. grad. 6. Philosophiæ moralis, c. 5. idem assertum a Zab. Magnopere, inquit, notare debemus, quod *proprie sumendo specie differre significat natura & essentia, improprie autem ostendit solum differentiam accidentalem communi quadam loquendi consuetudine.* Dicere namque solemus, verias esse species aquæ, & varias terræ, cum tamē sola sit differentia accidentalis. lib. 2. de qualitatib. elemen. c. 6. Sic Medici ex varietate caloris varias febrium species efficiunt: non quod eæ veræ species sint, & essentiali discrimine inter se differant; sed quod accidentaria duntaxat. Sic Gal. 1. de differ. feb. febrim in diariam, putridam & hecticam tribuit: quæ diuisio ex calore petitur, qua diuersa calefacta afficit, nimirum spiritum, humorem, membrum. Diaria enim præcipue spiri-

tus inuolat, putrida humores carpit, hectica ipsam cordis substãtiam & membrorum depascit. Vide latius Coll. Conimbr. lib. 2. de gener. & corrupt. c. 3. q. 7. art. 3. Ex quibus tandem hanc conclusionem appositam volumus. Diuersum specie aut proprie & per se est, & ratione essentiæ: aut improprie, & per accidens, aut per accidentis vnius, aut plurium similitudinem. Quæ illa differunt, ea semper essentialiter differunt: quæ hac, non item. Sic idem specie, vel per se, & ratione essentiæ dicetur, vel per accidens, siue per accidentis vnius aut plurium similitudinem. Videris hic Philosophum Rostochiensem, Matth. Flac. Illyr. 2. Log. general. cap. 14.

XXIII. QVÆSTIO.

An quæ differunt definitione, semper differant ex natura rei?

AXIOMA doctissimi Fonsecæ est sæpe laudato. lib. 5. Metaph. *Ea*, inquit, *quæ definitione diuersa sunt, & semper distinguuntur ex natura & sæpe realiter.* Verbi gratia: Homo & animal definitione dissident: Ergo ex natura rei saltem different. Alia definitio intellectus, alia voluntatis. Distinctio igitur danda ex natura rei inter ista duo, & sic vel sexcenta congerere essent exempla: sed axiomatis discussio flagitatur: vt de veritate eius planum sit. Quod vt belle fiat, reuoces oportet in memoriam, quid sit ex natura rei differre: id autem Fonsecæ, vt diximus, idem, quod *distingui aliquid ab aliquo omni operatione intellectus præcisa.* Multa sunt contra, quæ vim vniuersalis enun-

enuntiati retundant & replicent. In diuinis, prouidentiæ, iustitiæ, & misericordiæ, & sic aliarum virtutum distinctæ traduntur definitiones: attamen ex natura rei in tam arduo religionis articulo distinguere eos religio sit: & ipse Fonsec. sect. 3. d. loco quasi apertis negat tibiis attributa diuinitatis inter se ex natura rei distinctionem recipere. Et ratio valida est, cur nec recipiant. Simplicissimum *quippe distinctionem quampiam admittit nunquam. Ex omni v. distinctione multitudo nascitur:* quæ a Deitatis essentia tam aliena est, quam quod maxime Scal. Exerc. 365. sect. 8. Sic alia videtur definitio hominis prudẽtis & scientis, alia illius ipsius prudentiæ & scientiæ. Hæ enim sunt, vt diximus, illorum formæ. *At concreta & abstracta non differunt, nisi ratione.* Zab. lib. 1. de prop. necess. cap. 4. Et quod eo amplius, *ratione tali, quæ in rebus ipsis fundamento distinguitur,* teste Fonseca d. 5 Metaph c. 6. quæst. 6. sect. 2. Quæ sicut & aliæ ἐνστάσεις faciũt, vt Fonsecæ axioma aut sic medicandum censeam: *Quæcunque definitione differunt, ea differunt aut ex natura rei, aut re ipsa, aut ratione.* Aut, si hoc duriusculum videatur, per distinctionem, quæ melior responsio, respondẽdum erit; vt scilicet *omnia, quæ definitione perfecta, aut descriptione ad definitionẽ, quantũ maxime fieri potest, accedente distinguuntur, ea saltem ex natura rei distingui dicantur.* non autẽ ea, quæ quali quali descriptione, aut descriptionis modo, quippe cum talis & in iis, quæ in natura rei conueniunt, locum reperiat. Ex his & aliis, quæ supra attigimus, ἐνστάσεις illæ facile dissoluuntur.

XXIV. QVÆSTIO.

An quæcunq; differunt essentia, differant realiter.

MVlti sunt, qui sine exceptione in affirmantem eunt sententiam, & quidem recte, hoc fundamento nixi: quia *vbi alia est essentia, ibi necessario videtur subesse & alia res: vbi autem res alia & alia, ibi realis distinctio.* Sic Paulus & Ioannes essentialiter differunt. Ergo etiam realiter. Sic homo & equus & cetera consimilia infinita: adeo vt ex omni essentiali distinctione inferant realem. Et adiuuet hos tales Schegkius, ea *essentialiter differre asserens, quæ habent essentias Realiter distinctas.* 7. Topic.loc.14. At contra: Genus & Species. verbi gratia, animal & homo, differunt essentialiter: alia namque est essentia animalis, qua animal est, & alia hominis, qua homo. Zabarell. lib.de facult. animæ, cap.9. Sed tamen ea realiter non differunt. Facilis solutio.

I. Essentialis differētia sumitur late pro quauis formali.

II. Pro specifica & generica, quæ proprie dicitur essentialis. In genere & specie talis essentialis fit, ex quibus altera alteram includit: hoc autem in specifica & generica non fit. Quare axioma, *Quæcunq; essentialiter differunt, ea & realiter,* in scholis retinendum censeo.

XXV. QVÆ-

XXV. QVÆSTIO.

Quot modis totum dicatur, & quomodo aliud ab alio distinguatur?

VArie cum apud Scholasticos, tum Peripateticos totum dicitur. I. *Totum est perfectionis*: cuius vnicum & singulare exemplum est, nempe *Deus*. Dicitur alias ὅλως ὅλον, seu prorsus ἀδιαίρετον: Deus enim neq; est compositus ex subiecto & accidente, neque ex materia & forma, neque ex actu & potentia. Vide Goclen part. 2. Problem. Log. quæst. 5. Itaque *totum perfectionis sine partibus totum est*. II Est. *totum metaphysicum seu formale*: vide Schegk. libr. 6. Topic. loc. 78. Fonsec. libr. 4. Dialect. cap. 5. Aristoteli ὅλον καθόλου dicitur. I. Phys. tex. 5. id est, *totum vniuersale*, vulgo *genus*, item *totum logicum* nuncupatur. Fonsec. I. Metaphys. cap. 2. quæst. 2. s. 1. Zabar. lib. 3. de Method. c. 19. alii vocant & *totum prædicabile*, item *totum rationis*. Fonsec. d. lib. 4. Dialect. c. 5. item *totum genericum*, nec non *totum subiectiuum*. Et finitur, *quod genere & differentia, partibus essentiæ, constituitur*. Schegk. dict. lib. 78. III. Est *totum physicum essentiale*, quod dicitur, *quod constat ex partibus essentialibus*, cuiusmodi sunt materia & forma: alias dicitur ὅλον σύνολον οὐσιῶδες, vide Fonsec. 5. Metaph. cap. 4. q. 2. sect. 3. & Goclen. lib. 1. Institut. Log. pag. 129. IV. *Est totum Physicum integrale, quod constat ex partibus integrantibus*. Schegk. d. loc. 78. Sic homo dicitur totũ integrale, si consideretur tanquam constitutum quid ex quatuor elementis. Generali voce etiam

σύνολον vocatur. V. *Est totum σύνολον organicum quod constat ex partibus organicis.* Sic homo, quando diuiditur in caput, thoracem, ventrem, & artus, totum σύνολον organicum dicetur. Confer Matthiam Flac. Illyric. lib. 2. Logic. general. c. 7. & Scheg. d. loc. Vtrumq; hoc totum, nempe organicum & integrum, vulgo *Totum quantitatis* nominatur. Confer Schegk. lib. 7. Topic. loc. 14. & Scalig. lib. 1 Poes. c. 9. VI. Dicitur *totum homogeneum, quod habet partes, quæ eiusdem sunt nominis & definitionis cum toto:* sic quælibet guttula aquæ dicitur aqua. & eandem cum ipsa sustinet definitionem, &c. VII. Est *totum heterogeneũ, cuius partes non habent idem nomen, neque eandem cum toto definitionem.* Sic venter, thorax, brachiũ, &c. humani etiam corporis partes sunt, nullum tamen ex iis est humanum corpus, nullum eiusdem cũ ipso definitionis particeps. De his totis videas licet Aristotelem 1. de partib. animal. cap. 3. & 1. de generat. animal. cap 5. VIII. *Est totum per aggregationem*, seu ex accidenti: sic aceruus lapidum, cumulus frumenti, eique directo opponitur totum essentiale, & per se. Vide Collegiũ Conimbr. 1. Physic. cap. 2 quæst. 1. artic. 1. & 2. IX. *Est totum potestatis.* Cuiusmodi est anima respectu suarũ facultatum, in quas diuiditur: Confer Fonsecam 7. institut. Dialect. c. 16. & 17. X. *Totum etiam vocari possit imperfectionis*, quale est omne ens infra Deum. Cum enim nullum creatum sit simplicissimum, necesse est, omne tale constare ex aliquo, quod actus rationem, & aliquo, quod potentiæ redoleat. Sic Angeli, sic anima, sic materia prima,

ſic forma, adeoq; ipſa accidentia ex aliquo actus & poteſtatis conſtant. Scalig. Exerc. 325. ſect 2. XI. Fonſeca addit. I. *Totum in loco*, vt *vbiq;* vt Deus eſt vbique. Ergo & hic, & Romæ, &c. II. *Totum in tempore*, vt *ſemper*; vt ſemper inuigilat muſis. Ergo & iam. III. *Totum in quantitate:* hoc eſt, quando ſubiecto propoſitionis præfigitur ſignũ vniuerſale, vt omne animal eſt corruptibile. Ergo & homo. IV. *Denique totum in modo*, ſic vocant rem abſolute & ſine vlla acceptam limitatione; vt paries abſolute & ſimpliciter, & non talis paries, id eſt, albus vel niger, &c. Qui quatuor modi poſteriores per quam impropriè tota dicuntur. Manifeſta illorum, quæ magis propriè ſic appellantur, inter ſe differentia. Totum perfectionis, cum ſit ſingulare & vnicum, & reliquorum nullum Deo conueniat, neceſſe eſt, illud a ceteris omnibus realiter differre. Totum metaphyſicum a phyſico eſſentiali vario item differt. I. Illud eſt generalius: nam hoc, hoc eſt phyſicũ, etiam metaphyſicum euadere poteſt, & metaphyſice definiri, &c. II. Totum vniuerſale prædicatur de ſuis partibus in quid: hoc non item. Illud enim genere & differentia conſtat, hoc aũt materia & forma. Totũ phyſicũ eſſentiale ab integrali diſſidet præcipue in his. I. Illud duabus tantum partibus, nempe materia & forma, conſtat, hoc autem innumeris. II. Totum eſſentiale phyſicum comprehendit in ſe integrale, & hoc præſtantius eſt. III. Eſſentialis vna parte ſublata totum interit: huius autem vna ſubtracta non neceſſario, licet

integrale debilitetur, aut mutiletur. IV. Totum essentiale est vnum per se: integrale autem vnum per accidens, teste Schegk. d. lib. 6. Top. loc. 78. Integrale porro ab organico differt. I. Illud ibi esse potest, vbi hoc non potest. Hoc autem illud necessario præsupponit: *nullum enim est organicum sine integrali*. II. Organici partes φύσει sunt toto posteriores: vt caput, pectus, brachium, sunt posteriores partes toto animali. Integralis autem partes nunc priores, nunc sunt posteriores toto. Homogeneum quoque ab organico, & porro heterogeneum ab homogeneo differre nemo non videt. Totum denique imperfectionis ab omnibus aliis, quia in solis & omnib. creaturis, adeoque accidentibus ipsis locum inuenit: quod de nullo aliorum asserere licet. His ita prælibatis, ad quæstiones grauiores descendendum est, ad quas quin hæc nonnihil sit lucis allatura, dubium non erit.

XXVI. QVÆSTIO.

Quid sit differentia inter partem & partem?

DE partibus integrantibus, & essentialibus, quarum illæ cum toto integrali, hæ vero cum toto essentiali physico commensum habent, hæc quæstio est, quam non excussis & subactis, sed rudioribus explicabo ingeniis. Non n. quiuis nostrum est Argus, qui Iunoni custos addebatur, & totus oculeus fuisse dicitur. De partibus essentialibus, nempe materia & forma, res sub omnium oculis esse videtur: cum formarum phy-

physica ūm perpetua velut inter se sit successio, ad materiam accessio, ab eademq; recessio Quod formæ non esset insitum, nisi & ipsi realis a materia esset insita differentia. Iccirco rectissime Patauinus Philosophus: *Omnis*, inquit, *forma a materia distinguitur realiter.* lib 1. de mot. leu. & grau. c. 12. & lib. de natur. cœli. c. 11. Ceterum de integrantium inter ipsas differentia, obscuriusculum est. Realem tamen & hanc esse asserendum omnino est.

I. Quia nulla pars quantitatis potest esse in alia quantitatis parte: pars quantitatis & integralis vnum sunt hic: quantitas enim hæc corporea est: iam si pars quantitatis corporeæ esset in alia sibi congenere parte, dimensionū poneretur penetratio, quam ἀδύνατον esse in physicis pronuntiat Philosophus. Conf r huc Zabar. lib de partit. anim. c. 13. Itaq; *omne totum quantitatis habet partes extra partes.* Fonseca 6. metaph. c. 13. quæst. 2. sect 2 *Vbicunq; autem est pars extra partem, ibi est distinctio realis.* id. d. 5. Metaph. c. 6. quæst. 6. sect. 1. 2 & 3. Quod si pars esset in parte, pars non esset pars, sed totum. Atqui nulla pars, qua pars, totum est. II. *Vbi est exquisita oppositio, ibi est realis distinctio:* quam propositionē in superioribus declarauimus. Atqui inter partem & partem est exquisita oppositio: nulla enim alteram includit, vti iam probatum est. Ergo inter partem & partem realem des distinctionem necesse est Quæ argumenta tam de partibus totius homogenei, quam totius heterogenei vera sunt. Quod autem ante dictum, totum quantitatis

habere partes extra partes, per illud earundem partium continuitatem haud tollimus: partes enim continuæ esse possunt, imo sunt, tametsi aliæ sint extra alias. Et quanquam singulæ partes inter se realiter dissident, tamen nonnullæ etiam amplius. Sic partes totius essentialis, vt materia & forma, differunt essentialiter, proinde & realiter. *Maior enim differentia includit minorem.* At partes totius homogenei, vt partes aquæ, realiter tantum, non essentialiter. Sunt enim eiusdem speciei. Partes vero totius heterogenei, nunc realiter tantum, nunc realiter & essentialiter simul differe videntur. Sic pars rami viridis & torrida essentiis & formis differunt, Fonsc. c.5. Metaph. c.6. ad tex. 11. Sic nasus habet formam peculiarem aliam ab oculo, sua specie. Sicut in Scaleno anguli differunt specifica differentia: sed sunt totius vnius formæ partiales, sub ea vnum, inter se multa. Ratio illius est: quia vnius animæ multi sunt fines medii ad vnum finẽ vltimum. Scaliger Ex. 346 Sed num oculus meus dexter a sinistro specifica differat forma, quæri possit curiosius? Non censeo: sat hic sit realis distinctio. Si namque mutua fieri posset sedis mutatio, dexter qui tunc erat, nunc esset sinister, & contra. At alia est mistionis forma seu species in carne; alia in osse; alia in neruo. Zabar. l. b. de generat. & inter. cap. 2. Sic diuersæ speciei esse ossa digitorum, & ipsos dentes vult Scaliger Exer. 291. sect. 2. Ex quibus vniuersis & singulis satis, opinor, constat de reali singulis partibus inter se differentia:

ferentia: quam penitus missam facerem iam, nisi paucula essent me missum non factura. Vnum est tale: materia prima est vnum indiuiduum, sicut, verbi gratia, ceræ massa, cuius pars alia candelæ formam gerit, pars simulacri, alia pilæ, alia tesseræ: nam & ipsa materia prima inter varia entia varie tributa est; pars.n. eius defert formā scarabei, pars alia cœli, pars cimicis: alia abiectissimi cerdonis, alia Principis magnifici vehiculum est. At hæ inter se partes homogeneæ non differre videntur Scaligero: Non enim intelligo, inquit, quomodo materia vna ab alia diuersa sit, nisi per aduenientem formam, quæ fit hoc aliq.d. Exercit. 61. sect. 1. igitur pars materiæ sub cerdone nullo modo per se differet àb ea, quæ est sub Principe. Soluo hoc obiectum ex eodem, Exercit. 307. sect. 35. vbi *nulla*, inquit, *pars eadem cum alia parte*: quo certe realem innuit differentiam partis & partis: hic autem intelligit essentialem & specificam: ait enim, pars a parte (puta materiæ primæ) non differt essentia: ergo neque affectibus, qui essentiam sequuntur. Hæc sane interna distinctio est, ideoque essentialis. At *realis differentia internam non necessario, sed precario tantum, si quem tenet, obtinet*. Separatio enim, imo separabilitas sat pollet reali discrimini inferēdo, vt & supra adduximus ex Fonſ. d. lib. 5. Metaph. c. 15. q. 1. sect. 8. Alterum est bellius & iucundius: si nasus cum oculo meo eandem numero possidet animam, id quod docet Zabarel. lib. de

partit.anim.c.12.& Goclenius ex isto in aduersar. quæst. 8. ecquo pacto nasus ab oculo specie dissideat, id quod Scaliger dicebat? potestne, vt quicquam eandem numero cum alio essentiam teneat, & tamen ab eodem specie differat? Non videtur. Adde, si nasus & oculus mutuam inter se essentiam, & quidem eandem numero, includunt, ne realis quidem inter illa statuetur differentia, nedum vt essentialis & specifica. Vna vtriusque solutio inter formam mistionis, & animam formæ mistionis superadditam distinguenti. Plura non addo de naso, ne emunctioris naris in me vtantur naso.

XXVII. QVÆSTIO.

Quid differat vna pars a toto essentiali, aut integrali?

GRAVIOR & grandior mihi hic aduersaria sit constituta; & fortassis etiam incredibilior exspectatio. Quæritur quid differat anima rationalis ab homine, quod totum essentiale? aut quid vnitas ternarius a ternario; quod totum est integrale seu quantitatis. Acutissimi Colleg. Conimbricensis Patres aiunt; *palam esse totum distinguire ipsa a qualibet sui parte.* in comment. lib.1. Physic.c.2.q.3.art.1. Addere videtur iis calculum alicubi Gocl.& alii non pauci. At Zab.l. de gen. & inter.c.2. differit ex Arist.in cont. 28. & 29. li. 8. Phys. sola animalia mouere se ipsa: quippe cū diuidantur in partem per se mouentem, & partem

rem per se motã: animã namq; esse mouẽs instar nautæ, & corpus esse motum instar nauis; & partem per se mouentem, nempe animam, & partẽ per se motam, nempe corpus, adeoque corporis formam re ipsa distingui, realemq; illam distinctionem inter hanc & illam omnino velle Aristotelem contendit. Quæ omnia citra omnem controuersiam a Zabarella dicuntur rectissime. Sed idem in lib. 1. de motu leu. & grauium ait, in motu elementi, quod & de omnibus aliis inanimatis vere docetur, non fieri diuisionem in partẽ per se mouentem, & partem per se motam, quia ibi per se mouens sit forma, per se motum totum compositũ, quod eandem formam in se comprehendit: idcirco inibi inter mouens & motum distinctioni reali locum non esse: posse tamen notari & illic aliquam realem. Compositum enim, quod constat ex materia & forma, distingui re a forma ratione materiæ quæ distincta re est a forma: sed compositum a forma ratione formæ, re non distingui, sed ratione, quatenus aliud est forma vt forma, aliud forma vt est in materia. Nos breuius sic: forma elementi non differt ab elemento re ipsa. Ratio: quia elementum est illud quod eandem formam complectitur: itaque ratione differet: hæc autem rationis differentia fundamentum capit in re, & tamen, vt cõstat, virtualis non est: relinquitur ergo formam ab elemento ex natura rei distingui: quæ Scoto, vt sæpe dictum, est media inter realem & rationis distinctio. Rursus inter formam elemẽti & ipsum elementum dari quoque potest reale

discrimen non per se, sed κατ' ἄλλο, quatenus in elemento materia attenditur, quæ materia a forma realiter discrepat. Hæc sententia Zabarellæ: cui ex parte accedere videtur doctissimus Fonseca: etsi, inquit, pleraque tota realiter differunt a qualibet eiusmodi parte, non tamen tanquam a re prorsus a se distincta; cum pars quælibet constituens sit aliquid totius, & in eius compositione includatur. 5. Metaph. cap. 15. q. 1. sect. 7. & clarius in sect. 8. *Totum*, inquit, *& partes non sunt omnino realiter diuersa, cum totum omnes includat.* Hæc Fonseca eodem, quo Zabarella, vtens argumento. Mihi Zabarellæ hæc & Fonsecæ, quod aliorum cum venia dictum sit, pulcrius arridet sententia: quam præterea non verbis, non verborũ lenociniis, sed rationibus aliquibus fultam curabimus. Primam repetam ex præcedenti quęstione: *Vbi scilicet non est exacta, accurata & exquisita oppositio: ibi nec esse quit exacta, accurata & exquisita realis differentia.* Hęc enim ad illam immediate sequitur. Atqui inter totum & quamlibet eius partem non est exacta, accurata & exquisita oppositio. Ergo. Minorem sic firmo. Ibi est accurata oppositio, vbi vnum oppositorum non includit alterum, sicut est, verbi gratia, inter Socratem & Platonem: inter substantiam & accidens: inter pedem meum dextrum & sinistrum, inter aquam malluuii & gutturnii. Atqui totum quamlibet sui partem necessario includit: veluti homo animam rationalem: ternarius vnitatem. Ergo inter totum & quamlibet ipsius partem accurata oppositio non

non est: & ἰσομένως, nec differentia realis. Altera sic erit: *Omnis realis differentia est inter rem aliam & aliam; aut inter partem realiter integrantem totum homogeneum, & aliam partem integrantem idē totum.* Fonsec. 5. Metaphysic. cap. 6. quæst. 6. sect. 1. Atqui totum non est penitus res alia a parte sui, tanquam re alia: totum quippe eandem partem, quæ ipsi opponi dicitur, intra se continet. Itaque qui dicit totum, ille & vna dicet totius partem: pars igitur & totum non sunt ἄλλο καὶ ἄλλο; seu inter partem & totum non est ἀλλότης: neque totum & pars sese habent vt partes integrantes totum homogeneum, quod omni luce clarius. Ergo inter totum & partem eius quamlibet realis differentia concedenda non est. Tertia sequitur ex ista, sicut ista ex illa deducebatur: *In quibus terminis est indentitas aliqua eiusdem ad idem, ibi non potest esse realis differentia. Omnis enim identitas eiusdem ad seipsum realem distinctionem a se amandat omnem.* Confer Fonsec. 5. Metaphysic. cap. 9. tex. 16. Atqui in toto, verbi gratia, in homine, & parte eius, vt in anima rationali, est aliqua identitas eiusdem ad se ipsum, vti constat. Ergo. Itaque si realiter homo ab anima rationali differret, anima quoque ipsa a se realiter differret, quod absurdum & manifesto falsum. Adde, quod frustra accersitur distinctio realis, vbi sufficit minor, nempe formalis, quæ inter realem & nudam rationis media est. Sic argumentatur Fonsec. 4. Metaph. c. 2. quæst. 4. sect. 2.

Atqui formalis hic sufficit. Sicut enim homo, qui animalis naturam includit, ab animalis

natura non differt re,sed formaliter; sic etiam hominem ab anima rationali, quam includit, non re,sed formaliter & ex natura rei differre satis fuerit: cum inter totum & quamlibet ei⁹ partem neq; virtualis, neque adeo nuda rationis,vti & ante diximus, a probanda sit distinctio.

Denique & sic argumenteris. Anima rationalis a corpore realiter differt: Ergo eadem illa ab homine nequit: partes enim inter se dissentiunt, cum toto autem consentiunt. Hæ rationes, quibus quod prægnanter obstet, video nihil nisi illud, quod Conimbricenses afferunt. At hoc supra cum diligentia discussum est.

XXVIII. QVÆSTIO.

An totum a partibus vniuersis, seu simul sumtis seu collectis differat realiter?

HÆc quæstio de toto essentiali & integrali, eorumq; partibus videtur ea,quæ iam tractata est, in infinitum grauior,cum propter rationes, tum auctoritates vtrinque grauissimas. Ego facio & statuo & dico ab iis, qui realem hic differentiam non agnoscunt, rationibus his persuasus præcipuis. I. *Partes singulæ a toto realiter non differunt* vt abunde iam probatum est. Ergo multo minus vniuersæ simul sumtæ & in vnum congressæ. Verbi caussa,si anima rationalis ab homine non dissidet re ipsa, longe minus corpus & anima rationalis simul sumta & collecta in vnū. Nimio siquidem arctior consensio inter partes

in vnum collectis, & totum, quam inter totum & partes singulas. II. Partes in vnum congressæ cum toto aut eandem numero tenent essentiam, aut numero diuersam. Si illud, realiter non differrent: partes enim ita, vt sic loquar, conferruminatæ & arctatæ ne diuina quidem virtute a toto separari possunt, Collegio Conimbricensi teste lib. I. Physic c. 2. quæst. 2. art. 5. Si hoc; hoc est, si essentia partium in vnum iunctarum alia & noua est ab essentia totius, oppido quæram & scire aueam, vndenam gentium proficiscatur illa noua & realiter differens essentia totius ab essentia partium in vnum conglutinatarum? Aut enim a se est, aut aliunde petita. A se non: nullum enim creatum a se. Aliunde ergo: a Deo igitur, aut ab ipsis partibus iam vnum constitutis. Non illud: omne enim totum crearetur; nullum generaretur. Ergo hoc: latebit igitur hercle illa suauis totius essentia intra gremium partium vnum factarum. Porro si latet, aut perpetuo latebit, aut aliquando emerget & egredietur in totũ ipsum se receptura. Si illud: partes ita iunctæ & in vnũ commissæ erunt totum, quia tenent essentiam totius: si hoc; non potest, quin etiam ex toto egrediatur, totũ enim per partes totum est: & partes illæ collectæ, quæ collectæ partes nõ sunt amplius, sed vnũ. Ex toto autẽ egressa, quo dabit se tũ, & vbi gentium erit totum, tum essentia sua iam egressa. Ridicula igitur illa noua totius essentia, & præter omnem necessitatem in naturæ campũ inuecta. At didiceramus nos, *non esse temere noua entia in natura censum inuehenda sine manifesta ne-*

cessitate. Vt Philosophus 1. Physic. docet & ex illo Okamus dist. 16.q. 24.&25.& d. 30.q.1. Sic Capreol. Aureol. Ægid.& alii,quos videris apud Fonsec.5.Metaphys.cap.13.quæst.2.sect.1 & cap. 15.q.2.s.2.& apud Coll. Conimb.lib.2. de anim. c.3.quæst.4.art 1.adde Scalig.Ex.61.sect 1. III. Tangam illam nouam essentiam penitius: Quæcunque realiter differunt,inter ea,vt & paulo ante disseruimus,ostendi debet accurata oppositio: sed ea inter totum& partes ipsius vnum factas ostendi nequit:Quicunque enim opponit totum, qua totum, partibus omnibus in vnum iam collectis, præstare nequit, quin idem sibi ipsi opponat: totum enim in se, intra se & in ambitu,vt ita loquar, parietum & habet partes, & a partibus habetur: totum enim ita continet partes, vt & partes contineant totum: sunt enim totum & partes æquales, vt voce mathematica vtar, circũferentiæ, seu,si hanc mauis,circuitus.Ergo realis hic differentia statui nequit. IV. Ex Fonseca dabimus aliud: *Realis relatio est fundamentum realis oppositionis*. d. 5. Metaph. c.15. q. 1.s.7.At relatio totius ad singulas partes, quicquid alii sentiant, nõ est realis, multo min' ad omnes partes simul: totum enim & partes non sunt omnino realiter diuersa, cum totum omnes includat, vt docet ad verbum idem,ib.sect.8. Concludo igitur ego inter totum & partes simul sumtas non esse realem oppositionem. Sublata autem reali oppositione, quomodo recipietur& fouebitur realis differentia? Addemus & hoc: totum ex aggregatione, vt aceruus lapidum,nõ differt reali discrimine a suis partibus vniuersis; cui oppositioni fidem adiũ-

gunt omnes, teste Coll. Conimb. d lib. 1. Phys. c. 2. quæst. 1. art. 1. & 5. Ergo multo minus totũ Physicum & integrale a suis partibus in vnum additis. Vis consecutionis aperta: quia partes totius Physici infinitis partibus arctius & solidius conspirãt ad constituendum totum, quam partes toti⁹ per aggregationem, vtpote neq; communi termino, neq; communi forma cohærentes. Autor. quoq; non negligendæ. Dicit namq; a nobis Aristoteles: quemadmodum, inquit, pupilla & aspectus est oculus, ita & anima & corpus est animal. lib. 2. de anim. c. 1 tex. 9. Dicit a nobis acutissimus Scal. Ex. 307. sect. 39 cuius verba magnum redolentia acumen non possum quin subscribam: Dicim⁹, inquit, partes esse in toto: eæ neq; intus, neq; foris sunt: neq; continent, neq; continentur, sed *sunt cum illo idem.* Forma est in materia & est in toto. Sic. n. loquimur, cũ tamen pars totius sit: quomodo est in toto, si toti⁹ pars est forma ipsa? est igitur ὡς στοιχεῖον ἐνυπάρχον πρὸς τὴν τελείωσιν. Sic igitur intus est, vt etiam in ambitu sit, hac ratione perficiens; nõ aũt extra vt lux quæ perficit alio modo visionem. Hæc ille: sane clare, acute, & sententiæ nostræ apposite. Et circa finem eiusdem sectionis: Spiritus Latinis & Græcis omnibus, Philosophis, Medicis, Oratoribus, corpus est, i. e. materia & forma. Dicunt item a nobis doctissimi Perip. Iac. Zab. & For. Crel. Illi⁹ hæc sunt pronũtiata. *Totũ nihil aliud est, nisi partiũ collectio.* l. 2. de met. c. 7. *totũ non differt a suis partib⁹ simul collectis.* l. 3. de met. c. 14. Hui⁹ h. e. *Singulæ partes a toto diuersæ sunt seorsum acceptæ, simul autem omnes sumtæ idem sunt cum toto.* 1. Physic. acroas. ad cont. 17. Atque adeo alii complures, quorum

vel integrum r:p ri s catalogum apud Coll g. Conimb. d. lib.1. Physic. c. 2. quæst. 1. art 2. Videamus nunc, quæ contra aduolent, quorum diuentilatio & infirmatio nobis pedem fortius figet Sunt autem non leuia, eaque non in vulgus, sed & in sapientes comm ndabilia. Omne cōstituens realiter distinctum est a constituto. Atqui partes, quomodocunque sumas, sunt constituentia: t tum autem constitutum. Sequi ergo videtur manifest, partes a toto re disside e. Dicam hic maiorem grauiter laborare, & vix posse, quin penitus affligatur. Ecce genus & differentiam specificam, quæ & ipsa definitionem ac defi itum constituunt. attamen puncto & suffragio omnium a definition & definito re nō disting ūtur. Schegk lib. 6. Top. loc. 78. Quod si l borantem propositionem medicina aliqua temperent, & di ant: omn realiter constituens re lit r distinctum esse a constituto. Et assumāt: partes vtlibet sumtæ realiter constituunt: tum negem assumtum: constituere namque cum sit effectus per emanationem, non necesse est, vt a suis caussis re liter d screpet. Sic intellectus & voluntas Scaligero ab anima r tiona i proficiscuntur, sed non extra ips m: & tamen illæ cum hac vna res. Exerc. 307. sect. 15. Quin partes a toto differre sic nequeunt, quia partes i vnum cō gressæ t m habent in se totum, quam totum in se istas: æqualis enim, vt ante dixi, ambitus sunt: itaque nec proprie & accurate loquendo alterū constituet alterum. Vt caussæ sane constituant, vt par-

vt partes vero nunquam. Et dicam audacius: si partes in vnum coactæ, quatenus sunt coactæ in vnum, constituunt totum, contra & totum constituat partes. Si hoc absurdum tibi, illud erit & absurdum mihi. Vtrumq; enim æque vnum est; Nihil autem est vnum nisi totũ. Vnũ quippe est affectio entis: totũ autẽ est ens. Partes autẽ singulæ non sunt entia. sed sunt entis. II. Valentiore facie ratio hæc: totũ qua totum per se vnũ est: partes autem, vel simul sumtæ, multa sunt, non vnum. Si ergo totum re ipsa idem cum partibus simul sumtis: vnum erit non vnum, quæ contradictio. Hæc Schegkii ex Platone probatio, d. 6. Topic. loc. 92. confirmatur ex Philosopho dicente; quæ per omnia idem sunt, ea habent eadem attributa. 7. Top. c. 1. Primum falsa hypothesis, ea scilicet re differre, quibus idem attribui nequit. Nam & ea, quæ formaliter distant, realiter idem esse possunt. Schegk. d. 6. Top. loc. 87. & 7. l. 14 Quibus eadem tamen non tribuuntur. Deinde imus inficias, partes simul collectas esse multa ὄντα. Omnia enim, quæ in vnum collecta sunt & constipata, quatenus talia, plura nõ sunt amplius, sed vnum iam euasere. Colligere enim, vt Scaliger, est ex multis vnum facere, lib. 4. de caus. lat. ling. c. 96. ergo, vt colligimus nos, collecta esse, erit ex multis vnum esse factum; & collectio ex multis vnum factio. Quam vocem vereor, vt factiosi sic accipiant. Partes, qua partes vnum non sunt, sed vnum sunt, qua collectæ. Nec totum emanat a partibus, vt partibus, sed a partibus ad vnum redactis, vel, vt accuratius di-

eam, ad vnum cum impetu quasi conspirantibus. Necesse n. vt sese inclinent ad subeundum totũ, quod fieri nequit, nisi ipsę mutuo acclinentur ad sese, vt pariant illud. Diligenter in hac difficultate distinguendæ partes vt diuisæ, partes vt ad vnum constituendum conspirantes, & partes vt ad vnum iam redactæ. Illæ totũ non constituunt, istæ constituunt, sed sufficit ipsis formaliter distingui a toto: hæ autem cum toto sunt prorsus vnum: itaq; nec constituent, neq; adeo realiter, aut formaliter ab ipso dissentient. III. Videamus iam formam tertii argumenti: aiunt. Si totum per se non distinguitur re ipsa a suis partibus, nihil erit discriminis inter totum per se, & totum ex aggregatione, id quod in omnium impingit placita Philosophorum. Vis argumenti aperitur sic pote. Omne totum, quod est plura, est totum ex aggregatione. Atqui totum per se, quod dicitur esse suæ partes, est plura: partes n. sunt plura. Ergo totum per se est totum ex aggregatione: quod falsum. Falsum & ergo totum per se esse suas partes.

Nego sequi; totum n. ex aggregatione, & totum per se licet vtrumq; re non differat a partib. quodq; suis, cũ maxime discernuntur: Hoc n. est vnũ absolute & simpliciter; illud vero non ita, sed vnũ secundum quid. Hoc habet partem, quæ apta est perfici & informari, & partem, quæ perficit & informat: illa materia est, hæc forma: itaq; ex duob. fit vnũ per se. Arist. 2. de ani. c. 1. tex. 7. & 8. Met. c. 6. tex. 15. At illud nõ habet partẽ pfectibilẽ, nec perfectiuã: partes n. illius & singulæ per

se per-

& perfectæ sunt: itaq; vna ex iis nō est instar potē-
natiæ. altera instar actus: Quo & vnum per se ex iis
coalescere nequit. Quare, vtriusq; reali differen-
tia de suis cuiusq; partib. negata, nihilo secius lō-
gissimū inter vtrūq; a se inuicem discrimen est.
Neq; vis argumēti aperta iuuat quicq̄. Ambiguū
namq; illud omne totum esse plura. Illa siquidē
plura totius Physici sunt inuicē subordinata: al-
terius aūt totius nō item. Itaq; propositionē ma-
iorem sic temperatā oportuisset: omne totū ꝙ
est plura, non subordinata inter se, est totū ex ag-
gregatione: sed, temperata sic maiore, laborabit
tum minor: imo luce priuabitur syllog. IV. At
Philos. aperte 8. Met c. 6. tex. 15. πάντων, inquit, ὅσα
πλείω μέρη ἔχει, καὶ μὴ ἔστιν, οἷον σωρὸς τὸ πᾶν, ἀλλ' ἔστι
τὸ ὅλον τι παρὰ τὰ μόρια: i. est, omniū, quæ partib⁹ cō-
stant, totū nō esse aceruo simile, sed aliq̄d præter
partes. Hinc sic: totū Physicū est aliq̄d præter par
tes: per aggregationē autem præter partes e. nihil
Itaq; hoc non differet a suis partib. realiter; illud
autem differet. Nihil enim potest esse aliq̄d præ-
ter aliud, nisi & ipsum sit aliud. Confirmatur idē
robore seu virtute accepta ex 2. de anim. tex. 2. &
7. Met. c. 3. tex. 7. & 12. c. 13. tex. 14. vbi locorum
Phylosoph⁹ οὐσίαν diuidit in materiā, formam &
compositū, & asserit hæc esse tres οὐσίας. Compo-
sita igitur οὐσία est tertia quædam οὐσία, quæ neq;
est materia, neq; forma; sed perfectum quiddam
τόδε τι, constitutum ex his partibus, quæ propter
principia sit composita οὐσία. Rationi sic est oc-
currere: partes considerantur, vt dixi, vel ad re-
dactionem vnius contendentes, vel iā vnum
& in vnum iam redactæ: ex illis coalescit
totum: atque adeo est aliquid præter illas, non

quidem, vt putant alii, realiter distans, sed formaliter & ex natura rei: ex his tantum abest vt coalescat, vt sit cum ipsis prorsus idem, nuda solum ratione distinctum. Negem ergo consequentiam: totum Physicum est aliquid præter partes: ergo realiter est distinctum, quod vel inde comperias, quia animalis natura aliquid est præter hominis, quam ab illa tamen reali ter non distinguas. Nec robur confirmationis quicquam habet roboris aduersus nos. Totum est tertia quædam ἐσία a materia & forma diuise acceptis: quod & nos, vel ipsa Lubentia, vt Comicus ait, libentiores damus: audias enim ἐσίαν a Philosopho diuidi in materiam, formam & compositum. At nos de materia & forma ita acceptis non loquimur, sed prout sunt in vnum veluti compactæ, & vnum constitutæ: quo modo non nisi vna vtriusque erit essentia: vnum enim, qua vnum, non nisi vnam possidet essentiam. Est enim omne vnum per formam vnam. Et ipsa principia multa, per essentias multas: quorum essentiæ cũ propter simplicitatem ipsorum ab ipsis non differant, nec principia alia ab aliis per essentiã propriè differre dicentur, confer Schegk. lib. 6. Top. loc. 86. sed differre alia ab aliis se ipsis: *Seipso enim differre est ἑτερότης, qua omnia prima differunt*, vt docte ait idem 1. Top. c. 14. tex. 5. Attamen, inquit, partes sunt in toto: non queunt ergo esse idem. At, inquam, partes omnes adeo non sunt in toto, vt ne vna quidem, siquidem accuratiuscule loqui velis, sit in toto. Si pars accurato sermone in toto

in toto est, idem aliqua ex parte erit in se ipso: totum quippe & per illam partem totum est: verbi gratia, si anima rationalis accurate in homine est, & homo ex illa constat, anima rationalis erit in se ipsa: quare cum nec pars sit in toto, quanto minus omnes partes simul? Vulgi quidem, concedo, hæc locutio est, sed ad sapientiæ diuinæ trutinam examinata risui erit sapientibus: a quibus solis bene & exacte loquendi amussis petatur. V. Prodire queat & hoc in scenam & sui inspiciundi facere copiam: Nullum totum Physicum est accidens: quippe ex materia & forma substantiis constat. Atqui collectio partium seu compositio in vnum est accidens: est enim relatio quædam inter partes: adde quod collectioni opponitur diuisio, & τῇ συνθέσει ἡ διάλυσι, Arist. 6. Topic. c. 14. tex. 40. Ergo collectio partium in vnum non est totum. Ad id dico, primum æque hoc aduersariis, quam nobis aduersari; si enim collectio illa aut compositio est accidens, & ex illa totum conficitur, sequitur ex accidente substantiam confieri: quod ἄλογον. Dicunt enim nō ex diuisis, sed ex collectis ipsum coalescere. Deinde compositio seu collectio cum terminis, in quibus fundatur, complicata merum accidens non est, sed quiddam ex substantia & accidente commixtum. Præterea nos non dicimus, partium collectionem esse totum, nec differre ab ipso: sed partes in vnum collectas, quatenus collectæ in vnum, aut naturali quodam impetu consociatæ sunt. Iacobus Schegkius circa propositam quæstionem præ aliis subtilior & exactior

esse videtur: cuius sententiam succincte proponam, quid de ea modeste, non tam iudicari, quam dici possit, postea appositurus. *Totum*, inquit, *a partibus suis realiter differt*. 6. Top. loc. 78. 79. 80. 81. 85. 92. 93. 96. & 7. l. 14. Hanc propositionem firmat. I. Quia separatim possunt esse partes. d. lib. 6. l. 79. Si enim totum σύνολον esset partes ipsæ, partes vtique exsistentes omnino totum ipsum essent formaliter: sed euidens est, partes tales separatim sua propria entitate seipsis esse, vt totum interim non sit caussa entitatis ipsarum, aut ipsa essentia partium. Quo recte essentialiter distinctæ a toto dicuntur. ibi. loc. 78.

II. *Si totum σύνολον* non est ipsa pars, sequitur vt nec ipsæ partes formaliter. ibidem l. 78.

III. *Quod ad omne totum* ad suas partes refertur, realiter differt a suis partibus ipsum totum constituentibus, siquidem fundamentum & terminus relatorum realiter differant in omnibus relationibus.

IV. *Essentia totius* essentialis differt realiter ab essentia partium, nempe materia & forma, cum alia sint propria πάθη naturalis totius, & alia materiæ, & alia formæ. ibid Porro: *totum*, ait, *a suis partibus essentialiter non differt, quamuis realiter, sed essentialiter idem est*. dict. l. 6. loc. 78.

I. *Quia effectus* talis essentialiter in se continet caussas, a quibus tamen relatus ad ipsas realiter differt, non essentialiter: quod caussæ scilicet se ipsis sint & intelligantur, compositi autem essentia non possit esse, nec intelligi sine componentium natura, ibid. Distinctio autem hæc realis fundatur

sūn datur in partibus & terminatur in toto, ad quas partes totum, vt mensura ac perfectū quiddam refertur tanquam ad mensuratū, nempe ad partes, cum totum tanquam finis determinet illa, quæ ad finem diriguntur, vt principium. Qua ratione mensura terminare, non fundare relationem dicitur respectu mensurati ib.l.93.11. *Quia totius essentia non potest* esse sine essentia partium constituentium d.lib. 7. l. 14. Sed ipsæ partes totius essentialis seu physici, nempe materia & forma, a toto suo essentialiter distinguuntur.lib.6.l. 78.itaque & realiter: nam *omnis essentialis differētia*, vt diximus supra *defert secum realem*. Et partes integrales seu quantitatis a toto differunt essentialiter, quia alia principiorum essentia est, & alia totius 7. Top. l. 1½. Itaque totum Schegkio differt a partibus realiter tantum; partes autem cōtra a toto & essentialiter & realiter; & concludit: *differens realiter non necesse esse, vt & illico differat essentialiter*. d.l 14. Sed tamen & hæ sunt propositiones Schegkii, quæ propositis quasi bellū denuntiare videantur. Vna hæc est: *Totum σύνολον ratione constitutionis est essentialiter omnes suæ partes:* tametsi totum ipsum non sit ipsa essentia partium; sicut est totum illud, quod καθόλου prædicabile dicitur: quam paulo post eodem loci fusius explicat: dicimus, inquit, totum σύνολον nihil aliud esse, quam omnes ipsi* constituti partes: q non sic accipiendum, quasi quidditatiue & formaliter idem sint partes, sed sunt idem vt constituentes & integrātes ipsū totū: q a nihil aliud est

quod constituit totum, quam partes ipsæ simul omnes: quæ non sunt quidditatis ipsius partes, cum de suo toto in quid nō prædicentur, vt prædicantur in quid de toto Metaphysico partes suæ, d. lib. 6. l. 78. Quod idem dicit breuius: Totum ratione suæ essentiæ nihil aliud est, quam suæ partes, ibid. Altera hæc est: *Totius Physici partes, materia scilicet & forma realiter tantum a toto discrepant*, vt paulo ante, inquit ostendimus, ibid. At quomodo hæc superiorib. conciliari se patientur? Priorem propositionem facile in gratiam reponimus: Vult enim, partes omnes esse totum, vt Scholastici loquuntur, caussaliter, hoc est, non proprie, sed ea ratione, quatenus constituunt totum: sic Pindarus χρήματα, canit, χρήματ' ἀνήρ, pecunia, pecunia vir, hoc est, pecunia virum reddit, id est, audacem & superbum. De posterioris salute desperem prorsus; dicit enim hic, materiam & formam realiter *tantum* a toto discrepare: cum ante expresse dictum aliquoties & *essentialiter* & *realiter*: nisi quis in gratiam rei ita male affectæ voculam *tantum* eiectam velit, quod & antecedentia & consequentia facilime tolerare ex ipsius inspectione loci permanifestum est. Hæc Schegkii sententia, hæ ipsius præter auctoritates, quas & supra allegatas habui, rationes: quibus non parum, cum ipse sæpe numero obscuriusculus sit, attulimus lucis. Ad λύσιν tenendæ sunt, διακρίσεις, seu distinctiones τῆς θέσεως διαφωνητικῆς: I. Identitas realis aut est quidditatiua, formalis seu metaphysica; aut est physica & ὑπαρκτική. Totum integrale cum suis partibus est idē identi-

identitate physica ὑπαρκτικῇ: ne enim cogitari quidem potest, quomodo anima rationalis & corpus καθ' ὕπαρξιν, & in actu exercito, vt aiunt Scholastici, ab homine distinguantur re ipsa, nõ identitate quidditatiua & metaphysica: anima namque rationalis & corpus, quantumuis arctè colligata, prædicari in quid de homine non possunt: essent enim genus & differentia specifica; hæc enim sola in quid enuntiantur. At non sunt. Sed quæratur hic, vtra identitas sit maior? Dico physicam. Quia totum physicum eiusque partes tam arcto coniugii vinculo constrictæ definiuntur, verbi gratia: Homo, & anima rationalis cõplexa materiam conuenientem & debitam, est animal rationale: at totum metaphysicum & ipsi⁹ partes vtcunq; sociatæ, verbi gratia, homo & animal rationale definiri ambo nequeunt: homo quidem est animal rationale, quæ definitio: sed ipsum τὸ animal rationale, vtcunque socies, eas partes definiri porro non licet: *nulla siquidem definitio definiri amplius potest.* Dicas enim, anima rationalis & materia ipsi debita vnum iam factæ, quatenus vnum factæ definiuntur: at non, opinor, dicas; animal & τὸ rationale vnum facta definiuntur: partes enim definitionis vnum factæ & inuicem applicatæ definiri tam non possunt, quam non potest ipsa definitio. Arctius igitur vnum esse necesse est, quæ vnam definitionem subeunt, quam quæ vnam subire non possunt. At partes integrales vnam factæ vnam subeunt cum toto suo. partes quidditatis, vt maxime colligatæ cum toto suo id recusant. II. Partes totius

Physici, vt materia & forma, sunt πῶς caussæ partium suæ quidditatis: genus.n. & differentia specifica sunt gradus metaphysici, qui in rebus physicis petuntur a materia & forma, ex quibus totum physicum coalescit; vt recte docet Coll. Cō. l.2. de anim. c. 3. q. 4. art. 3. quanquam neque genus a sola materia, neque differentia a sola forma ducuntur: cum genera & differentia compositorum naturalium composita quoq; realiter esse debeant, ne pars vlla eiusmodi de toto essentialiter dicatur. Fons. 5. Met. c. 8. q. 4. s. 3. & 4 Met. c. 2. q 2. s 2. Quin partes totius prædicabilis reuera partes non sunt, sed per accidens, Scheg. 6. Top. l. 87. Homo enim diuidi nequit in animal, & τὸ rationale. vel ob hoc, quia hic τὸ animal aliquid adscitum habet a τῷ rationali, & vicissim hoc aliquid ab illo. Schegkius ait ὅλως ὅλον omnem diuisionem realem partium excludere, quia tale sit Energeia exsistens. Ex quibus infertur arctiorem toti Physico cum suis partibus, quam Metaphysico cum suis, quæ ex materia & forma promuntur, intercedere necessitatem. Maxima quidem est animalis rationalis cum homine; sed maiorem animæ rationalis & debitæ ipsius materiæ, quatenus in vnū, vt & supra dicebam, quasi cōferruminata sunt, cum homine iungi, ratio ipsa euincit. II. Partes totius Physici considerare quatuor liceat modis. I. In mutua, quæ τῇ ἐπινοίᾳ fit, separatione. II. In mutua item, quæ fit loco. III. In conspiratione mutua ad mutuum complexū, vel extra, vel intra animam. IV. In ipso iam mutuo

mo complexu extra vel intra animam qui vtriusq; complexus ipsis non est ad extima, sed ad intima, per intima; quod quo fiat pacto, id vt captus noster non capit, ita nec efficere valet, vel ratione, vel verbis, vt capiant alii. Subtilis enim illa cognitio latet nos, scilicet quomodo ex materia & forma vnum fiat, & quomodo forma sit in toto, & quacunq; parte tota. Quælibet enim pars ignis, ignis est. Adeo diuina res forma est, vt cũ sit substantia aliam totam sua impleat substantiam ita, vt ex vtraq; fiat vnum: quare vlterior exquisitio morosi atq; satagentis animi est: humanæ enim sapientiæ pars est: quædam æquo animo nescire velle; vt ait Scal. Ex. 307. sect. 29. prioribus duobus nunquam partes constituunt totum: imo ne sic quidem partes sunt, cum officio partium sic nullæ fungantur. Tertio quidem modo totum constituunt, sed non sunt ipsum: vere enim dictum & decretum, nullum constituens, qua tale, est constitutum. Quarto autem in mutuo & admirabili illo complexu partes illæ sunt vnum, sunt totum re ipsa, & cum ipso re vnum, & quidem adeo, vt ne acerrima quidem cogitatio inter ea discrimen collocet. Sic materia formata est, & forma, vt sic dicam, materiata: anima corporata, & corp⁹ animatũ. Et quidem huc vsque prouexit nos toti⁹ & partiũ contemplatio, qua si quid veri inuenimus gaudeamus, si minus, nec dolebimus, existimantes plurimum ad inueniendum contulisse, qui sperauit saltem reperiri posse. Plura lecturum & intellecturum de his remittimus ad Fons. 5. Metaph. c.

4.q.1.f.3.& aliis, quæ laudauimus, locis, Scheg. in Topic. imprimis vero Colleg. Conimbr. d. li. 1. Phys.c. 2.quæst.1. art.1. 2.& seqq. quoda nobis diuersum abit, non sine magno Philosophorum, qui ab ipso afferuntur, comitatu. At iucundiora & minus morosa transeamus.

XXIX. QVÆSTIO.

An visiua facultas Aquilæ & Bouis differant specie?

IOANNES Scotus, cui, vt & supra dixi, inter Scholasticos palmã præbet Schegkius, ait: Anima aquilæ & anima bouis tametsi differũt specie, non tamen visiua facultas in hoc, & in illa, quatenus talis & talis perfectio specie differunt. 1. dist. 2. q vlt. At Iulius Cæsar Scaliger Philosophus non minus palmaris, coitionem facit cum illo, & quidem non lusoriis, sed decretoriis, vt aiunt, armis. Exercitatione enim. 346. negat hoc, quod ille aiebat, argumentis non ex triuio arreptis. I. Ab absurdo est: si inquit, visiua facultas in aquila, & in boue, quatenus talis & talis perfectio nõ differũt specie, nec specie differẽt anima aquilæ, & anima bouis, quaten⁹ talis & talis. At hoc absurdum. Ergo & illud. II. A pari. Anima aquilæ & anima bouis differunt inter se specie. Ergo & specie different facultas visiua aquilæ & bouis. Eadem namque est ratio animarum & potestatum. Quippe potestates animæ in illius viri schola sunt realiter idem cum ipsa anima, neque differunt ab illa essentialiter. lib. 2. sent. dist. 16.

Idar-

Id argumẽti confirmat Scal. auctoritate Philoſophi ex 10. Eth. Nicomach. c. 5. euocata: vbi ait, voluptatem equi, canis & hominis eſſe ſpecie diuerſam, eo quod equus, canis & homo ſpecie differãt. αἱ μὲν ἡδοναὶ τῶν ἑτέρων τῷ εἴδει διαφέρουσιν εἴδει, id eſt, voluptates ſpecie differentium ſpecie differunt. Et cõcludit porro; vnicã viſo ſuo vitulo, differentem ſpecie capere voluptatem, a voluptate aquilæ, quando hæc idem videat pullum ſuum, & Hominis greſsũ a greſſu bouis ſpecie diſſidere: & ſimiliter ſpirationem bouis aliam eſſe ſpecie a ſpiratione hominis, quia ſpiratio illa ſit actio animæ ſpecie differentis: quemadmodum & huius ab illius phantaſia differat. In ſumma. Quæcunque differunt ſpecie, eorum quoque poteſtates & actiones ſpecie differre contendit. At mihi præ Scaligeri, quod pace tanti viri dictũ velim, Scoti potior & ad veritatem melior videtur ſententia: quam his rationibus ſtabilitam dabimus. I. Ab abſurdo: ſi viſiua aquilæ facultas ſpecie differt a facultate viſiua bouis, tum anima ſentiens in boue & anima ſentiens in aquila, vnde facultas illa videndi immediate manat & per ſe, ſpecie quoque & per ſe different. At conſequens eſt abſurdum. Ergo & antecedens. Connexio maioris nititur fundamento Scaligeri: cũ ſit animarum & poteſtatum, quæ & ſecundum ipſum ſunt idem re, eadem ratio. Minorem ſic muniemus. Animalis natura, quæ eſt in aquila, ab ea animalis natura, quæ eſt in boue, ſpecie nõ differt. Ergo nec anima ſentiens huius ab anima ſentiente illius: & ex conſequenti, nec viſiua

facultas huius ab illius. Antecedens sic ostendimus; *Quæ specie differunt, illa in se, per se, intra se, & essentialiter differunt.* Hoc enim proprie est specie differre, vti supra ex Zab. lib. 2. de qualit. elem. c. 6. tradidimus. Atqui animalis natura, quæ in aquila est, ab ea, quæ est in boue, non differt in se, per se, intra se & essentialiter ab ea animalis natura, quæ est in Aquila, ex Zabarella, lib. 2. de propos. neces. c. 9. Ergo nec specie. Assumtio item patet hoc syllogismo: *In quo quid essentialiter & per se conuenit cum alio, per illud essentialiter ab alio differre nequit.* Esset enim ἀντιλογία. At bos & aquila in animalis natura essentialiter & per se conueniunt. Ergo. II. Si omnia specierũ specie discreparent, nihil esset specierum commune; nullum esset genus, nulla in natura ἁπλῶς substantia vniuersalis. At non hoc per Ex. 307. s. 22. Ergo nec illud. III. Deniq; sicut materia prima, quæ est in boue, ab illa, quæ est in aquila, non differt specie, Exer. 61. s. 1. sic nec videndi facultas huius, a videndi facultate illius: nam & hæ collatæ cum illorum specificis formis materiæ vicem sustinent. IV. Deniq; si debeat esse perpetua & fixa consequentia: illa specie differunt: ergo & potestates & actiones eo modo differre necesse est, perpetua & fixa quoq; erit hæc: Essentia differunt. Ergo & essentia different potestates & actiones: & tum verum erit: visionem Scoti & Scaligeri differre essentialiter, cum ipsi essentialiter differant. ex Exerc. 307. s. 17. At, hoc licet vero, nihilominus tamen fallum illud: vult enim visionem vtriusque differre secundum

dum gradus accidentales.d.Ex. 347.Neque Scal. aduersus Scotum argumenta concludunt. Non primum, quia ab anima aquilæ & anima bouis per se non pendet illa visiua facultas: quæ formæ sunt specificæ: sed ab vtriusque anima sentiente, quæ est generica; a specificis autem illis vtriusq; facultatis visiuæ dependet limitatio seu coarctatio, vt bouis visio sit bubula, & aquilæ aquilina. Confer Zab. lib. de facult. ani. c. 9. Hæc autem limitatio a specificis profecta visiuæ facultati est accidentalis, vt erudite docet Zab.d.lib.2.de propos. neces.c.9. iret argumentum: si visiua aquilæ facultas quatenus talis est, hoc est, quatenus est visiua facultas in se, & per se, immediate ab anima aquilæ proficisceretur. At hoc negant omnes. Non secundum: hoc enim eadem ratione dissoluitur, quia eadē omnino cum superiori vi præditum est, aliis duntaxat verbis ornatum. Quin & per instantiam diluatur: calor ignis & aeris licet differant elementa ista specie, tamen ille in illo, & hoc, specie non differunt, quæ Peripateticorum præcipuorum sententia est. Neque denique auctoritas Aristo. fideli hic veniat subsidio; differentiam enim specificam ibi nimis laxe capit, nempe talem, quæ ex accidenti fit, de qua re & supra: hoc est, voluptas canis limitata a forma canis, differt specie a voluptate hominis, quæ hominis forma præscribitur: hoc est, ratio est, subiectorum annexorum specie differentium voluptas quoq; vtriusque specie differre dicitur: quo pacto & Scotus concesserit. Neque Arist. dicit, quæ differunt, eorum

quoque sunt specie differentes affectus aut effectus: sed. τοῖς ἑτέροις τῷ εἴδει καὶ τὰ οἰκεῖα ἕτερα τῷ εἴδει, id est, *specie differentibus propria quæ sunt, ea specie quoque differunt*. Dicit οἰκεῖα, ne τὰ κοινὰ vna putasse videatur. Neque Scaligeri axioma, quæ specie differunt, eorum quoque potestates, &c. vniuersale est, nisi si differentiam specificam accidẽtalem quandoque intelligas. πολλαὶ γὰρ διαφοραὶ ὑπάρχουσι τοῖς αὐτοῖς τῷ εἴδει ἀλλ' οὐ κατ' οὐσίαν, οὐδὲ καθ' αὑτά, id est, *multæ namque differentiæ insunt in iis, quæ specie sunt eadem, quæ differentiæ tamen non sunt secundum essentiam, nec per se*. Arist. 2. Poster. context. 77. Itaque πᾶσα διαφορὰ οὐ ποιεῖ ἕτερον, *non omnis differentia facit aliud, sed alio modo se habens*, vt docet Aristot. ibidem. ἕτερον hic pro voce ἄλλο ponitur: *ἄλλο autem seu aliud est nota specificæ differentiæ*, Scalig. Ex. 6. sect. 14.

FINIS.

Disputationum Philosophicarum.

PARS II.

exhibens

QVAESTIONES CELEBRIORES EX IPSIS METAPHYSICIS,

Physicis, Ethicis & Logicis fontibus;

QVARVM PARTIM PVBLICE, partim domi, permissu amplissimæ facultatis Philosophicæ, *in incluta* IENENSI *Academia triennio abhinc discutiebantur.*

Auctore & Præside,

M. GVILIELMO VRSINO, Deisellano, Hesso,

Cum Indice Quæstionum.

EDITIO ALTERA.

M. D.  C X.

Francofurti, ex Officina Paltheniana.



NOBILISSIMIS, MAGNA ET PRÆCLARA INDOLE

adolescentibus, GEORGIO *&* IOANNI RIEDESELIIS *in* Eysenbach/*iunioribus*, *meis in incluta Cattorum Academia discipulis, debito amore & honore prosequendis*, S.

IN vobis, Nobilissimi adolescentes, disputatiunculas aliquot meas, in celebri illa Salana non ita pridem discussas; Sed & eas ipsas vobis, ne nesciatis, dico, addico, dedico. Ad solemnia ne hæc verba expauescitis? melius equidem mihi ominor: quin contra masculam frontem exporrigite, & hunc meum offerentis animum per primitiolas has aliquanto liberalius gustate. Vos namq; estis, qui non

extrema, quod dicitur, linea, soloue aspectu; sed penitissime, ipsoque adeo pectore literas amare, colere, & mirari videmini. Nobilis enimuero in nobilib. adolescentibus ista laus, & rara: quam tanto nobiliorem celebrioremque extulero, quanto vos in literis percipiēdis industriam exprompseritis alacriorem & vegetiorem. Vos estis, qui iam inde ab ineunte vsque disciplina mea magna me animi veneratione prosecuti estis, atque etiamnunc prosequimini maiori. Et vos estis, quorum commendatione in illa ipsa Salana eo emergere videbar fortunæ, vt, quæ consecrata manibus oculisque iam vsurpatis, in publicam proferre palæstram minime omnium dubitauerim. Absque enim RIEDESELICO (parentes dico vestros nobilissimos, dominos meos ipsa & cogitatione venerandos) auxilio fuisset, pene extrema, quacum fere ætatem vix sine interuallo conflictatus sum, stetissem fortuna. Quæ vestra in me, cum officia, tum beneficia, si in ventis

tis (cum Poeta loquor) scribam, aut e memoria deleam mea, dignissimus equidem sim, qui e viuorum memoria ἀμαχητί delear, aut ipse ipsis ventis inscribar. His ergo testandis ex inopi copia pauperibusque diuitiis meis promtum, nō aureum quidem illud, sed, vt videtis, chartaceum hoc in vos publice exstare volui ἀντίδωρον. seu, contra-munusculum, Non, quo tot meritorum in me pondera & momenta æquabili ex aduerso lance, quod nimis quam curti esset iudicii, remetirer; sed vt animum saltem remetiendi aliqua ostenderem: quippe, quando non licet vt volumus, velimus, vt quimus; vti vetus est verbum. Accipite igitur serena fronte a me, qui maiora, me viribusque meis nolle velle me, nec debere me, nec posse me ex abundanti iuxta mecum intelligitis. Accipite, legite, &, quod reliquum est, adolescentes nobilissimi, illo omni animi impetu contendite, vt Deum omnis recti ducem, veramque religionem, quam a materno vsque lacte imbibistis, cor-

di & curæ vobis summæ esse patiamini: tum illum virtutis & sapientiæ, in quem producti estis, campum vel ad inuidiam decurrite, censoriam inuenustissimi huius seculi virgulam nihil quicquam pensi ducentes. Fallsane quadam animi persuasione induti amplissimi generis vestri splendorem in solo niti sanguine opinamini: Apage istam persuasionem, qua vos nobilissimi adolescētes fallimini, & quidē fallimini lōge. Habetis maiorū vestrorū omni memoria commemorādorum, quos & armata & literata pariter, nimiū, quantū extulit virtus, exempla, in quib. veluti in speculo vitam mores q; vestros, qua ratione ea exprimenda sint, vos vtique contemplari oportebit. Habetis & vtinam quam diutissime habeatis, illos ipsos vestros parentes & agnatos, nō tam a genere, quam a virtutis præstantia nobiles & eximios, quorum laudabilia vestigia, improbo vobis labore premenda esse ducetis. Qua via itinere studiorum suscepto, ad solidam, credite mihi, virtutem

tem, ad veram expreſſamq; gloriam, tametſi inuidia crepet, inoffenſo pede graſſabimini. Vt maxima, ita difficilima, quod etiam atque etiam ingero vobis, crebrius ingeſturus, victoria & virtus eſt, inuidiam ipſam, adeoque ſummam ſuorum maiorum gloriam GLORIA SVA vincere poſſe. Valete, nobiliſſimi adoleſcentes, inq; recti & honeſti, quam omnibus preclaram oſtenditis, indole magis magisque adoleſcite, vt his fructibus, imo arbore ipſa, toga virili, quod faxit Deus, aſſumta, pleniſſimis faucibus tandem aliquando fruamini. Valete iterum.

M. Guilielmus Urſinus.



Disputatio I.

QVÆSTIONVM ILLVSTRIORVM PHILOSOPHICARVM.

Respondente Hippolyto Hubmeiero L. P.

Ζήτημα Metaphysicum.

1. An detur princeps aliqua Philosophia?

ΟΡθῶς ἀπορεῖν ὡς ἀρχὴ τῆς σοφίας, recte dubitare tanquam initium sapientiæ est. *Arist 3. Metaph. cap. 1. Quæstionis itaq; initialis est:* An sit prima aliqua Philosophia? *Esse adsero.* Ratio prima. *Subiectum primum & summum, summã quampiam philosophiã deposcit: τέμνεται γὰρ ἡ ἐπιστήμη ὡς τὰ πράγματα. Arist. 3. de anim. cõt. 38. Scal ex. 1. s. 3. Istud autem est. Ergo & hæc sit necesse est.* Ratio secũda. *Dantur* entis diuisiones altissimæ & maxime sublimes, *in reale & intẽtionale. Fonseca 5. Metaph. ad c. 7. quæst. 6. sect. 1. Infinitum & infinitum. Scalig. ex. 6. s. 3. In necessarium & contingens. Perer. l. 1. de Phil. c. 3. In substantiã & accidens. Arist. 4. Metaph. c. 2. cont. 2. &c. Detur igitur oportet scientia altissima, quæ diuisiones istas capiat.* Diss. *Nothold. in diatriba Phil. c. 14. sectt. 2. 4. 5. & seqq. & Ramus ipse schol. Met. l. 1. c. 3. & 5. c. 29. & 4. c. 3. Confer Fonsecam in proœm. Metaph. cap. 7.*

2. An

2. An prima Philosophia sit κυρία πάντων καὶ μήτηρ?

VNiuersæ Philosophiæ finis, Veri cognitio & boni fruitio. *Arist. 2 Met. c. 2. t. 3. Agite ergo exquiramus, nunquidnam Phil. prima sit domina omnium & mater, quod assertum a Philosopho 1. post. c. 9. t. 70. &* 1. *metaph. c.* 2. Κυρία *seu domina omnium est, quia cuilibet scientiæ particulari proprium subiectum, proprias affectiones & principia cōstituit, & in dubiū vocata stabilis, & veluti certat. Zab.* 1. *post. ad c. 9. Perer. l. 1.* ἀκροάσ. *Arist. c. 12. Quicquid igitur particulares illæ ambitu comprehendūt suo, id a prima ceu domina sua accepere: iccirco hæ illius sunt mancipia. Mater autē reliquarum scientiarum, quia ei omnium entium caussa prima, & ens in latitudine sumtum, quod ex se tanquam fœcundissima matrona ceteras scientias* ἐν τῷ μέρει *ceu pullos excludit. Ex. 4. Metaph. cap. 1. Zab. 1. de nat. log. cap. 12.* Diff. *Ramus lib. 9 scol. Dialect. c. 8. p. 383. & 391.*

3. Primane Philosophia, an Logica sit generalior?

L*ogica est disciplina vniuersalis*: indefiniti, n. generis. *Arist. 1. post. cōt. 85. Sed & prima philosophia est* τῶν καθόλου *1. Elech Soph. c. 11. 1. Phys. tex 83. Quid ergo? vtra generalitate eminētior? Debitam tibi quæstionem dissoluā. Prima Philosophia est generalior & prior, si materiam spectes: quippe ex hac originē duxit vniuersæ logicæ cāput. Entis*

enim realis occasione exstitit ens intentionale. Vide Zabarel. lib. 1. de nat. logic. c. 3. & 10. Logica contra generalior & prior, si formam & dispositionem. Si hac mensura est, illa mensuratum. Atqui omnis mensura natura prior est mensurato, & nulla mensura generatur ab eo, cuius est mensura. *Scal. ex. 352. s. 2.*

4. An ceteræ disciplinæ extra primam sint ἀκέφαλοι, ipsa autem sola ἐγκέφαλος.

M*Vlta humani captus & basin, & ambitũ, & fastigium excedere videntur. Scal ex. 365. s. 9 At non hoc, an prima philosophia sit scientia capite prædita, & reliqua quasi trunca seu capite carẽtes, id quod dictum est a Philosopho 5. Eth c. 6.* Scientia tantũ est conclusionũ, intelligentia principiorum. *Ibidem cap. 7. & 2. post. c. 18. Sapientia autem constituta est ex vtraq; . At prima Philosophia sapientia 1. meta. ca. 2. Ergo est scientia capite, hoc est, principiis prædita. Reliquæ vero disciplinæ in conlusionibus solis, & extra eas haud exeunt, iccirco ἀκέφαλοι, Illa est basis, sed fastigiata, hæ bases, sed sine fastigio: illa sola viua, hæ solæ mortuæ, viuæ autem per viuam; illa oculata, hæ cœcæ, oculatæ autem per illam.*

Ζήτημα Physicum.

1. Num sit materia prima?

H*Anc sicut & priuationem Aristot. obtrectatores*

tores ex principiorum numero eximere: Scal. ex. 345. s. 1. Digni, qui ipsi ex hominum censu & sensu eximantur: Priuatio *est, quia* generatio *est: Imo quia* creatio *est,* nulla enim *proprie dicta* generatio fieri potest, nisi si materia forma priuetur pristina. *Zabarell. lib. de prima rer. mater. c. 13. & 2. cap. 2. Adde Perer. libr. 5. Physic. c. 23. & 24. Adeoq; necessaria est, vt* etiam fuerit ante mũdi constitutionem. *Scalig. d. exer. 145. sect. 1.* Materia autem primà est, *quia* est vicissitudinaria elementorum transmutatio: Omnis aũt vicissitudinaria transmutatio statuit materiam subiectam, illam transmutationem deferentem. *Zabarel. 1. post ad cont. 76. & lib. 2. de 2. mat. cap. 11.*

2. An materia prima sit corpus?

M*Ateriam primam sine corpore qui faciunt, faciunt insomnium sine somno: vigilantq; ii simul & somniant. Scal. ex. 359. s. 11. Rationes tibi iniicient psuasionẽ: Elementa corpora esse indubiũ est. Indubium item, ea constare ex materia prima & forma prima. Atqui* omnis forma substantialis incorporea: est n. per se indiuisibilis. *Scal. ex. 268. & 299. s. 2. Necesse igitur materiã primam esse corpoream:* Ex componentibus enim incorporeis nõ potest fieri corpus. *Zab. lib. 2. de 1. ma. c. 17. Picc lib. 3. de 1. mat. c. 11. Adhac.* Principiorum est dare, principiatorum accipere. *Scaliger exercit. 12. sect. 3. At elementa etiam*

principiata corpora sunt. Necessario igitur natura corporea, aut in forma, aut materia. In illa non: in hac igitur. Nihil enim est in quapiam re, quod non sit actu in suis principiis. *Scal. ex. 307. s. 20.* Dissentientes *vide apud Zabar. lib. 2. de prim. rer. mat. c. 13. Picc. lib. 3. de 1. rer. mat. c. 7.*

3. An materia prima sit ens simplicissimum:

OMne simplicissimum est perfectissimum. *Scal. ex. 140. At materia prima omniũ rerũ substãtialiũ imperfectissima. Zab. l. 2. de prim. rer. mat. c. 2. Arist. 2. de anim. text, 2. & 7. & 7. Metaph. cont. 8.* Omne imperfectum finitum est, vnum solum infinitum. *Scal. ex. 359. s. 3.* Omne finitum constat ex actu & potentia. *ibid. sect. 2. & 12.* Quicquid ex his constat ex priori & posteriori. *id. ex. 6. sect. 2. Tandem*, quicquid ex priori & posteriori compositum est. *Ergo & materia prima erit πως composita. Moueri potest. Zabarell. d. lib. 2. de 1. rer. mat. cap. 2. & 19. &c.*

4. An materia suapte natura sit quanta?

A*Verroes in comment. 63. l. 1. Phys. asserit, primã materiam secundũ se, & ante formæ receptionẽ esse quantam, & trina quidem dimensione.* Assertio vera; *Ostendo*; Omne accidens est a certa quadam substantia. *Scalig, ex. 10. idq; vel mediate ab alio accidẽte, vel immediate & intime*

ab ipsa

ab ipsa substantia. Goclen.disput.Metaph. Atqui quantitas accidens est. *Aristot. 1. Physic.text.15. & 7. Metaph.text.8.* Dissentiētes *vide apud Peror.in Physic.l.10.c.2. At ab alio accidēte id esse nequit, esset enim id necessario quantū, sed hoc vnde? Ad substātiam tandem decurrendū est. Est igitur quantitas immediate a substantia: Non autem a forma:* Hæc enim indiuisibilis: quantitas autē omnis diuisibilis: *Aristot.8. Metaph cont.10.* At nullum diuisibile quit esse in aliquo indiuisibili. *Arist.3. de cœlo t.7.* Nec indiuisibile est caussa diuisibilitatis. *Zab.l.2 de 1. mat.c.8. Materia igitur erit caussa quantitatis per se, eritque quanta per se: cetera autem quāta quantitate materiæ. Vide* dissentientes *apud eundem cap.7. &c.*

Ζήτημα Ethicum.

1. An beatitudo sit pars Ethices?

IN *claro est, beatitudinem esse finem Ethices: quomodo ergo eiusce pars?* Nullus enim finis in essendi rationem ingreditur. *Scalig.ex.307.sect. 27. Rursus, si Ethices pars nō est, vt quid in Ethicis tanto nixu, tanto argumētorum fulcro stabilitur? Est n. doctrina Ethica adeo necessaria, vt ea sublata & totam disciplinam concidere sit necesse. Zabarella l.2.de meth.cap.5.ad fin. Quid ergo? Vadimus in vado. Ethica vel ambit & arcet virtutes & beatitudinē, vel [illegible] virtutes. Hoc pacto finis est, non illo: esset enim [illegible].* At nihil est in hac natura, quod sit finis suipsius. *Ex Aristot.*

6.Ethic.c.2.& 1.ἀνεροάσ.cap.9. Deinde absurdum esset, si finis perficeret seipsum. Est enim finis eius rei, cuius est finis, perfectio. *Scaliger. exerc. 354.*

2. An Ethices subiectum internum sit modus recte viuendi?

L*Ogicæ subiectum externum Rameis nonnullis* omne ens: *internũ* mod' differẽdi, *qui præceptis Logicis diducitur. Sic alicui Ethices subiectum externum* videatur homo: *internum* modus recte viuendi. *At mihi, quid haud mancipiũ alienæ libidinis. Scal.ex.6 ʃ 4. nec illud ad salinam, nec hoc. Quia Rameum non est. nec Socraticum, Non illud:* Omne enim subiectum *Ramo* est extra adiunctum. *libr.1. dialect. cap.11.* omne itaque subiectum *Ramo* est externum, *hoc est,* extra essentiam adiuncti. *At modus bene differendi extra essentiam* Dialecticæ *non est: esset enim reipsa ab illa distinctus; ex Zabar. libr. de facult. anim c.2. iccirco re ipsa mens concipere posset Dialecticã, modo differendi non concepto: ἀδύνατον.* Dialectica enim, modo differendi secluso, est quasi putamen absque nucleo. *Nec Socraticum*: Nullum subiectum dicitur de aliquo adiuncto *συνωνύμως in casu recto: ὁ δῆλον. At modus differendi dicitur ita. Dicimus enim Dialecticam esse modum seu rationem bene differendi. Hinc Peripateticis Logica λόγος ἐπιστήμης. At Dialectica explicat*

cat modum disserendi praeceptis suis. Assentior. Ergo alius est ab illa alia. Iam non. Definitio explicat per genus & differentiam definitum, non tamē aliud ab ipsa. Arist. 7. Top. c. 1. Quare sicut in logicis omne ens *aptum natum disseri subiectum est, & non aliud: sic in Ethicis* homo *aptus natus beari, non alind.* Subiecta enim artium fine distinguuntur. *Zab. libr. 2. de nat. log. c. 11 & lib. 1. de nat. log. cap. 10.* Dissentit *Piccolom. in introduct. ciuil. Phil. cap. 2. 3. 4. 5. & alii.*

3. An in Ethicis a beatitudine, vt fine sit auspicandum?

E*Quidē vegeta ac torosa finis vis est: hac siquidē sublata, nihil esset in natura, nihil efficeretur a natura. Scal. exerc. 177. s. 3.* Quicquid *enim* est, propter finem est, & quicquid efficitur, propter finem efficitur. *Aristot. 1. de generat. anim. cap. 1. & 1. de coelo cap. 4. text. 32. 8. de Repub. c. 7. De hoc obstrepit dubitatio, an sit ab ipso incipiendū in disciplina? Aio cum Philosopho*: Quod creat cognitionem sequentium distinctam, ab eo incipiendum est. *Zabar. lib. 2. Apolog. cap. 2.* At finis ponit distinctam cognitionem mediorum, *qua media sunt: est enim horum caussa. Zabarella libr. 2 de spec. demonst. cap. vlt.* At omnis caussa in suo genere parit distinctam cognitionem effectus. *ex Zabar. libr. 4. de meth. c. 10. Moueri potest. Arist. 1. Eth. c. 7. 2. Phys. cont. 23. Pic. in Comite Politico pag. 1027.*

4. An summa hominis beatitudo ἐν τῇ πράξει, an contemplatione potius consistat?

Virtutis actiones non esse qualitates, neq; beatitudinẽ ne dubitemus. Aristot. 1. Ethic. c. 7. & 10. c. 3. Et hanc πάντων τῶν ἀνθρωπίνων εἶναι τέλος, ex dicto l. 10. cap. 6. nec id dubitemus: *sed hoc,* numquid summa hominis beatitudo in operatione, an contemplatione potius consistat? *Operatio illa ex virtute morali operatio est. Contemplatio illa non inanis contemplatio est, sed est dulcissima in Deo quasi recũbens actio, eiusq; perennis fruitio & participatio. Plato 6. de Repub. Iccirco Plotinus lib. de felicitate, beatitudinem Dei contemplationem definiuit. Haecque est idea illa summi boni Platonica, quã Aristoteles multis in locis, praesertim 1. Ethic. cap. 6. aquo vehementius exagitauit. Confer huc eleganter disquirentem Scalig. exerc. 307. sect. 19. & 26. & Goclẽ. disputat. 31. Eth. t. 8. Hinc ex facili deciditur dubitatio.* Is est vltimus & extremus hominis finis, in quo plane acquiescimus, *vt colligere habem' ex Aristot. 2. Phys. cont. 23. Atqui contemplatio illa, perfruitio illa, & participatio illa est talis, in qua plane acquiescimus, nec porro tendimus. Ergo erit extremus & summus hominis finis. Adde Arist. d. 10. Ethic. cap. 7. & Martinum Azpilcueta D. in commentario de finibus humanorum actuum pagin 31. & seqq.*

Ζήτημα

Ζήτημα Logicum.

1. An Logica P. Rami tota sit de notionibus secundis?

DEcantatũ apud Peripateticos ac Rameos: *Logicã totã de notionibus secundis. Zabarella l.1. de nat.logic.cap.13.& Gocl.parte prima probl.log. quæst. 9.* Notiones enim primæ propter repræsentationem rerum immediatam realia dicuntur. *Goclen.in Metaph.pag.13.* At Logicus nullum reale considerat, sed intentionale καῖ' ἐξοχὴν. *Confer Goclen.ibid.pag. 14. Iam quæstio:* An eiusmodi intentionale per vniuersam P. R. Logicam sit sparsum? *Eo inficias. Ratio,* Quod repręsentat rem extra intellectum ἀμέσως, non est notio secunda, sed prima. *Goclen.in instit.log.pag.24.& Zabarella d.l.1.de natur.log.c.7. Atqui caussa, effecta, subiecta, adiuncta, dissentanea, paria, imparia, &c. repræsentant res immediatas extra intellectũ:* sunt enim caussę & effecta, &c. extra mentẽ. *At* Notio secũda nusquam est nisi in mente & a mente. *Zabarella d.l.1.de nat.log.c.3. Dissen. Notholdius in diatriba Philos.c.9.& 11.adde Ram.4. scholar. dialect.cap.5.*

2. An Logica sua sibi instrumenta fabricet, & iis vtatur?

Logica vere est disciplina instrumentalis, sed duo hic dubia. I. An Logica sua sibi fingat instru-

menta, *ait Zab.l.2.de n.l.c.7.& Scal.ex.2.f.3.* II. An Logicus suis instrumētis vtat? *negant iidē. Hoc nego vna, illud non affirmo vna. Ratio hac:* Nihil est caussa efficiens suiipsius, *ex Arist.lib. de mot.an.c.5.&* Nihil vtitur seipso. *quod manifestū. Iā instrumenta logica coniuncta idem, quod ipsa logica. E. hac ab illa non sunt parabilia, nec vsurpabilia. Sicut faber facit malleum, vt deinceps eo in cudendo ferro vtatur, sic Philosophus peperit logicam, vt ipsa postea vtatur, sed non solus, nam & Medicus, Iurisconsultus & Theologus. Dissentiētes vide apud Gocl.lib.1.instit.log.p.1.& seqq.*

5. Quænam diuisio Logicæ maxime conueniat?

M*Yriades hic opinionum, quas excutere singulas hic prolixe & accurate nō licet. Organum Arist. si pensites potissima est illa Zab.* in cōmunem & propriā, *lib.2.de nat.log.c.1. Sin Rami libellum paruum, non ita prauum placet, in* Inuētionem & dispositionē, *si quidem Rami fundamenta, de quibus subtiliter disputari possit, sarta tecta retineantur: aut certe in* Simplicē & Complexam. *Vide dissent. ap. Crel. in Isag. pag.13. & Flacium libr. 1. logic. general. cap.8.*

DISPV-

DISPVTATIO II.

Respondente Paulo Piggelio Noribergense.

Ζήτημα Metaphysicum.

I. Ad quamnam disciplinam contemplatio de Nominibus pertineat?

M*Agna equidē nominum vtilitas & necessitas: est enim nomen describente Platone ὄργανον διδασκαλικὸν καὶ διακριτικὸν τῆς οὐσίας ὥσπερ κερκὶς ὑφάσματος in Cratylo*, eo quod *nominibus tanquam radio textorio rationes & orationes pertexat anima nostra, vt ait Jacobus Schegk. lib. περὶ ἑρμην. pag. 92. cumq; de rebus disputaturi nominibus vtamur:* Nullæ enim res, sed tantum nomina rerum in disputationes afferuntur. *Arist. lib. 1. Elench. soph. c. 1. Scalig. lib. 1. Poet c. 1. Quem in sensum Philosophus pronuntiauit:* De optimo Reipublicæ statu disserere, nihil esse aliud, quam de his nominibus disputare. *lib. 4. polit. cap. 2. De his iam quæstio, penes quam scientiam sit eorum consideratio. Concludemus sic posite:* Qui considerat exacte ens vniuersum, is quoque considerabit ipsius affectiones, siue proprias, siue communes. *Aristot. 1. post. cont. 76. Confer. Zabarell. libr. de tribus præcognitis cap. 2. Atqui nomen est communis affectio cuiusq; entis; ipsius enim nota est. Scaliger. lib. 3. de caussis latin. ling. cap. 69. Et primus Philosophus*

sibi subdit ens vniuersum, qua essentiã habet, eiusq́; inquirit cognitionem exactã, Arist.6.Eth c.7.& 1. met.c.2.Piccol.grad.5.Philosoph.moral.c.28.Confer.Scalig.exerc.297.sect.1.

2. Vtrum nomina naturalia sint, an voluntaria?

QVæritur hic, *nomina sint ne a natura, an ab arbitrio inuentoris? Amentia, inquit Scaliger, illorũ, qui a natura vocabula exoriri atq́; sese in ora hominũ insinuare ꝓdiderunt. Exer.394. Longe enim secus res & ipsa se habet veritas. Discurremus in hunc modũ: Si nomina seu appellationes rerum a natura sunt, aut a natura sunt ipsarum rerum, quæ appellantur, aut a natura nostra ipsas res appellantium: hoc est, vel fluxere ex naturis rerũ, quæ a nobis appellantur, vel fluxere ex natura nostra, qui res sic appellamus.* Non illud, *res enim sic suũ quæq́; nomen horsum simul atq́; nata est, secum afferret.* Natura siquidem id, quod sibi naturale est, destituit nunquã. *Arist. lib.1. περὶ ἑρμηνείας. cap 2. & c. At res non afferunt secum sua nomina: dantur enim & imponuntur ipsis a nobis: Si namq́; afferrent; res apud omnes essent nominis eiusdem.* Nec a natura nostra appellantium res: *essent enim in mẽte quasi picta & scripta, quod reluctatur Philosopho 3. de anima c.4. Relinquitur ergo quod sint a consilio & inuentoris arbitrio. Cõfer eleganter Scal.l.3. de caussis latin. ling. cap.67. & 68. & lib.13. cap.168. & seqq. & in exercit. 293. & 266.*

& 266. Adde Vallesium lib. de sacra philosophia c. 3. Goclen. lib. 3. problem. logic. quæst. 6. & Casmanum in ψυχολογ. cap. 7. quæst. 3.

Ζήτημα Physicum.

I. An natura sit vis per vniuersa fusa, & accidens?

NEmini eqdē ab ea veritatis vindicatione sustinendū est, propter quā in periculo sumus, ne in offensionem cadamus infimæ fecis eruditorū, vt Scaligeri mihi verba vsurpem. ex. 175. sect. 7. Sunt qui naturam dicunt accidens, seu qualitatem, seu vim per vniuersas mundi partes commeantem, a qua res quæq; habeat, vt naturaliter moueatur & quiescat, vt: partim ex. 10. Plat. de Rep. & 2. de nat. Deor. Cic: partim ex Auicen. 1. suffic. c. 7. & Alb. Magn. lib. 2. Phys. tract. 1. c. 5. liquidissimum est. Alii contra substantiam.* Inter enim substantiā & accidens non datur mediū, *Zab. lib. de mist. cap. 13. Neutrū difficultatis expers:* Si substātia, aut naturalis erit, aut non naturalis: Non, naturalis, *haberet namq; & ipsa vim suam, vnde ad motum & quietem excitaretur, & sic porro infinities,* ἀλλ' ἡ φύσις φεύγει τὸ ἄπειρον, τὸ μὲν γὰρ ἄπειρον ἀτελὲς, ἡ μὲν φύσις ἀεὶ ζήτει τὸ τέλος. *Aristoteles. 1. de gener. animal. cap. 1.* Omne siquidem naturale in seipso initiū motus & quietis continet. *ex Phil. 2. Phys. cont. 3. Quod videtur absurdum.* Nec non naturalis: *Esset n. hæc necessario per vniuersum expansa quasi & extensa,*

quod non naturali & diuina seu cœlesti alicui naturæ repugnat. Omne ens diuinũ (*extra mysteriũ Trinitatis loquimur*) cuilibet enti naturali secundũ essentiã p̃sentissimum, per diffusionem & quantitatis dilatationem præsentissimum esse necesse est. (*Confer. Scal. ex. 359. sect. 6.* Et naturalia nõ ab interno, sed externo mouerẽtur principio. *At hac per absurda. Nunquid igitur est vis illa, in immensum ita diffusa, accidẽs? Nec hoc, nisi tu velis esse accidens, qui es a natura: Simpliciter siquidem & per naturam fieri nequit:* vt ex accidentis quasi officio prodeat substãtia: Esset enim in primordiis accidentis sita. *Scal. ex. 307. sect. 27. Confer. philos. 2. de cœl. cap. 3. text. 17. & 2. de ort. & inter. c. 9. text. 53.* At a natura & substantia oritur: veluti simile a simili. *ex Arist. 2. Phys. c. 72. text. 26.* licet nulla substantia naturalis sit immediatum principium suæ operationis. *Auerr. 12. metaph. com. 18. Naturam tamen substantiam esse probabilius est.*

2. Cum natura sit substantia, quæritur num compositum sit materia, an forma?

1. NAtura inest *ex 2. Phys. contex. 3. Atqui cõpositum non inest*, sed est id, cui inest quidquam. ἔνδηλον. 2. *Natura principium est, ex dict. contex. 3.* Atqui compositum principium non est, sed ex principio. *Arist. 2. de anima c. 1. Natura*

tura igitur aut materia erit, aut forma. Nō materia: hæc enim principium παθητικὸν ex. 5. Phys. cōt. 8. At principiū motus est, cuius non est aliud principiū. At principii passiui, quatenus tale, principiū est. *Scal. exer. 28. sect. 2.* Principium igitur actiuum est principium verum & immediatum, τὸ ὅθεν: passiuum autem ἐν ᾧ: *ibid. Hoc autem nisi forma est.* Forma enim est agere, materiæ pati. *Zab. lib. 1. de nat. c. 5. Confirmatur a Philos. dict. 2. Phys. cont. 11. & 12. Quādo ait:* Tum demum vnumquodque naturam suam habere, quando actu est, non quādo potestate. *Sic forma in terra est principiū essentiale, vt terra sit terra & principium efficiens, vt deorsum moneatur. Non est igitur principium passiuū natura: Tūc enim materia esset natura, & alia natura esset motor:* Sane illa natura (*nempe materia*) non moueretur, nisi moueret hęc, nēpe forma. *Ergo hæc est principiū, nō illa, quia illa hoc habet principiū. vide Scal. dict. ex. 28. sect. 2. Dissentit Ioan. Duns dist. 2. q. 10. Scot. dist. 18. q. vn. & alii. quos vide apud Zab. lib. de nat. c. 3. & ipse Zab. dict. lib. c. 6. & Colleg. Conimbric. lib. 2. Phys. ca. 1. quæst. 2. Adde Piccol. 2. Phys. pag. 226. & seqq.*

3. Vtrum anima in definitione naturæ Aristotelica contineatur?

AN non anima est forma informans materiam? *Zab. lib. de nat. cap. 9.* An non anima est principium motus & quietis eius, in quo

inest, primo per se, & non per accidens? *ex. 2. de anima, text. 6.* An non, cui definitio competit, eidem & nomen definitum? *Zab. d. lib. c. 4.* An non de anima sentiente & vegetante absolute disceptare officiũ est Physici, quia sunt naturæ? *ex Phil. 1. de part. anim. c. 1. An non animalia habent in se principium motus & quietis, quod principium in ipsis nõ nisi anima est? Arist. 8. Phy. cont. 27. Dissentit ille minime simplex Simplicius 2. Phy. cont. 1. & 16. & Auic. 1. suffic. c. 2. Quorum argumenta vide apud Zab. dict. lib. c. 3.*

4. An arti præstet natura?

P*Raeclare & diuine admodũ diuinus ille: Naturã, inquit, alicuius rei consideraturi, eã nudam & seorsim a ceteris considerabimus, & , comparatione inter duo instituta, id considerandũ est, quod est propriũ vtriusq;. Plato in Philebo. Quaeritur ergo eleganter*, an ars suapte natura, & vi propria p̃stet naturæ? *Imus negatum.* Natura substãtia est, *ex Philos. 2. Phy. text. 10. c. 1. tex. 21. c. 2. tex. 81. c. 8.* Ars a. accidens, *ex 6. Eth. c. 4.* At substantia quouis modo prior & potior accidentibus, *ex. 7. metaph. cont. 4. Deinde:* Natura est caussa principalis, ars instrumentalis. *Piccol. grad. 5. Philos. moral. c. 59.* At principalis caussa præfertur instrumentali. *Zab. lib. de par. anima c. 8. Tertio.* Ars sine natura, nec est, nec agit: *Est in natura, vt mente nostra, & fertur in naturã, quã perficit.* At natura est & agit sine arte.

arte: *Ergo illa hæc præstantior. Ex Phil.1.post.c.23. vide pulcre hoc probl. in vtramq́, partem differẽtẽ Piccol.dict.grad.5.cap.58.& seqq. Adde Colleg. Conimbricense lib.2.Phys.c.1.quæst.5. art.1. & 2.*

Ζήτημα Ethicum.

1. In quonam consistat summi boni essentia?

CViusq; rei, quæ integritatem & maturitatẽ consecuta est suam, dantur principia, essentia & affectiones. *Piccol.grad.9.Phil.moral.c.21.* Principia: quia, nihil hic a se ipso. *ex.1. Phys.cap.9.* Essentia; quia quicquid essentiam non habet, id ne est quidem. *Zabar.2. post. ad cont.3. Etenim omne ens nostrate propter humilitatẽ naturæ suæ plures habet caussas, a quibus suam quicque essentiã, per quam est, consequitur, & diuersitatẽ, per quam non est id, quod aliud est, neque aliud est hoc, quod ipsum est. Scal.ex.307.s.27.* Et affectiones, omne quippe productum producentis secum affert proprietatem. *Patricius l.14.panarch. Proxima igitur summi boni principia sunt virtutes, Arist.1.Ethic.c.7. forma & essentia est actio animi ex virtute prodiens. d.1.Eth.c.7. & 10.c.6. & lib.2.polit.cap.5. & lib.2. magnorum moral.c.10. Id enim, cuius est actio, est gratia actionis. 2.de cœlo c.3.text.17. quam actionem hominis propriam esse oportet. 1.Ethic.dict.c.7. propria autem est, cum rectæ rationi & virtuti est consentanea. Conf. Scalig. dict. exer.307.sect.27. Affectiones*

eius sunt iucunditas, interna animi tranquillitas, voluptas syncera, & gaudium perpetuum, constãs quadã securitas, & similia. Conf. Arist. 1. Eth. c. 8. & 10. Eth. c. 5. Nõ igitur in virtute, nec voluptate, quacunq; tandẽ sit illa: Vide eleganter contra differentes Stoicos apud Piccol. d. grad. 9. c. 11. & 13. & Epicurum & Eudoxum, aliosq; ibid. c. 10. & 17.

2. Vtrum ad felicitatem bona externa requirantur?

BEatus (*canit Pindarus*) *qui simul opes & mẽtẽ possidet. Et eleganter quidã Pythagoreus, referente Stobæo, hominis vitã lyræ perfectæ, omnibusq; numeris absolutæ, similem esse pronuntiabat. Lyra a. tribus eget, constructione, concinnitate, & contrectatione; quib. respõdent in viro felici facultas, habitus & actio, quorũ absolutio sine internis externisq; instrumentis haberi nequit.* ἀδύνατον γὰρ καὶ οὐ ῥᾴδιον, τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα· πολλὰ μὲν γὰρ πράττεται καθάπερ δι᾽ ὀργάνων, καὶ διὰ φίλων, καὶ πλούτου, καὶ πολιτικῆς δυνάμεως. *Arist. 1. Eth. c. 8. Videtur ergo vita beata sine instrumentis, sine amicis, sine diuitiis & potentia politica cõsistere parũ, imo ne vix quidẽ posse. Requiruntur ergo necessario. Decisio sic est:* Externũ nullũ est de essẽtia alicui⁹ rei. *Scal. ex. 75. sect. 4.* At q̃ esse necessariũ. *Idẽ exer. 5. sect. 6. Deinde amici, diuitiæ, aliaque bona, tũ interna, tum externa, ad felicitatẽ requiruntur, nõ qualẽcunq;, sed hominis politici, & q in Republicæ luce versatur, tanq̃ instrumẽta ad defenden-*

fendendam Rempublicã, ad beneficentiam exercendã, ad propulsandum iniurias, & alia eiusmodi munera. Confer Collegium Conimbricense disput. 3. Ethic. q. 4. artic. 1. & 2. & Petrum Martyrem ad dict. loc. Aristotelis.

Ζήτημα Logicum.

I. An logica possit diuidi ratione instrumentorum?

SCientia quies τῆς διανοίας est, *Sciente n. stare facit, id est, ἀμετάπτωτον efficit. Arist. 1. post. con. 17 & 7. acroas. cont. 20. Themist. l. 6. Phys. cõt. 67.* Ergo acquisitio scientiæ mentis ad istã quietẽ profectio est. *Arist. dict. 7. acroas. cõt. 70. & Fort. Crell. in eiusdem comment. pag. 308. Cupiẽter ergo desidero, & desideranter cupio*, nũ logicã ex instrumentis suis diuidere æquũ? *Aio: En tibi rationem:* Disciplinam omnẽ, quę aliquid docet, rem aliquã tractare necesse est. *Zab. l. 1. de nat. log. c. 2. Et:* Omnis disciplina secatur sicut res, quam explicat & tractat. *Piccol. in comite polit. part. 3. pag. 976. Ex Arist. 3. de anim. tex. 38. Cum itaq; logica tractet ratiocinandi instrumenta, seu notiones secundas ad ratiocinium conferẽtes. Zab. dict. l. 1. de nat. log. c. 3. & 10. Ergo, non dicã æquum, sed æquissimum fuerit, eam ita secari, sicut res subiecta, quæ sunt ratiocinandi instrumenta.* Atqui omne ratiocinãdi instrumentum, vel simplex est, vel complexum, *quorũ illud ad inueniendũ, hoc ad disponendum ἀμέσως mentẽ nostrã dirigit & sublevat. Vtrumq; Goclenii est part. 1. prob. log.*

quæst.7. Ergo logicā commodiſſime vel in ſimplicem & complexam *diuiſeris, vel quod commodius, cum logica definita* ſit ars ratiocinandi inſtrumenta prębens, *non logicam diuidas, ſed ſubiecta inſtrumenta, quorū fit in definitione mentio: qui ordo eſt accuratiſſimus, aut certe accuratiſſimo proximus. Quod ſi diuiſionis in* Inuentionem *&* diſpoſitionem *retinentiſſimus ſis, Rami fundamentis abiectis, inuentionem fac partem primam, diſpoſitionem alteram, & dicito vtramq; ſic a fine nominari, quod abſurdum non eſt,* cū & Phyſica, Arithmetica & Geometria, &c. ſcientiæ a fine nominentur. *Confer. Zab. lib. 1. de nat. log. c. 2.*

2. Nunquid thema & argumentum ſint inſtrumenta Logica?

QVid thema *& argumentum nobis ſint, dictū eſt in diſput. 3.* ἀφοριςμῶν *logicorū theſi 45. & 59. De his ita acceptis dubitatio incidit, an ſint inſtrumenta logica?* Inſtrumentum logicum cum iſcurſu eſt. *Zab. lib. 3. de method. cap. 13. lib. 4. de method. c. 12. lib. 2. de nat. log. c. 7.* Et ſyllogiſmus eſt commune genus, communisque forma omnium inſtrumentorum logicorum. *lib. 2. de nat. log. c. 19.* Atqui vero nullum thema, nullum argumentum cum diſcurſu. Nullum thema, nullum argumentum ſyllogiſmus. *Ram. libr. 1. Dial. c. 2. Reſponſionē vel tribus bolis expedias. Zab. accipit logica inſtrumenta excellēter & eminenter: nam & ordo inſtrumentum logicum*

gicum est. Piccol. comite polit. pag. 977. Idē tamen, qua talis, cum discursu non est. Zabar. lib. 3. de method. cap. 1. & 3. & lib. 2. de method. c. 15.

3. An thema natura prius argumento?

THema quasi subiectum est, argumentum quasi prædicatū, *vt colligere habeo ex Flac. l. 2. log. gener. c. 5.* Atqui omne subiectum non natura, sed & tempore prius est prædicato. *Scal. ex, 307. sect. 22. cui venit subsidio illud Zabarellæ:* Subiectum (*inquit*) instar materiæ est, p̄dicatum instar formæ. *lib. 1. post. anal. ad context. 200. & 2. post. ad cont. 45. Quid? omne argumentū statuit, seu, vt barbari loquuntur, præsupponit thema, & hoc tanquā patiens est, illud quasi agens.* Omne autem quod præsupponitur, prius est p̄supponente, sicut constituens prius est constituto. *in Com. Boet. lib. 5. de consol. Phil. pros. 10.* Quæcunq; autem natura sunt prima, etiam viro sapienti prima, *vt elicitur ex 6. Top. c. 3. Confer. Piccol. com. polit. pag. 1003.*

4. An argumentum destituatur genere?

GEneralissimum genus generis non est particeps: *Illud, ait Zab. cum sit summū, nec genus habet, nec differentiam constituentem, sed naturam habet simplicem, sine vlla partium essentialium distinctione. 1. post. c. 13. ad 9. text. 104.* At ar-

gumentum in Logica inuentione generalissimum est. *Ram. lib. 1. cap. 23. Propositio fixissima, vacillantissima assumtio. Penitus autē deiicitur* & *affligitur sic.* Argumentū in logicis est notio secunda, *ex vnanimi Rameorum & Peripateticorum testimonio. At hac est quiddam generalius argumento, & in quid de eo praedicatur*: omne n. argumentum est notio secunda, at nō omnis notio secunda argumentū. *Ergo datur eius genus. Conf. Corn. Martini disp. 2. aduers. Rameos.*

DISPVTATIO III.

Respondente VVolffgango Bawr / *Ratisbonensi.*

ζήτημα Metaphysicum,

1. Num in Philosophia Principe, subiectum ens, qua ens, excludat particularia?

M*Anifesta & indubia Philosophia est*, primū Philosophum contemplari ens, qua ens. *Arist. 4. metaph. cap. 1. & 6. metaph. cap. 1. Vnde ipsam finit scientiam seu ἐπιστήμην ἣ θεωρεῖ τὸ ὂν ᾗ ὂν καὶ τὰ τούτῳ ὑπάρχοντα καθ᾽ αὑτό. d 4. metaph. c. 1. At controuersa explicationis. Nos ens, qua ens, sic expli amus, vt primo quoq; Philosopho ad entis species, adeoq; ipsa particularia permittatur descēsus. Vin' explicationis istiusce nostra rationes? Dabuntur*, vnq̃. Metaphysicus tradit cognitionem distinctā, & versatur in eo, quod est ab vno. *Ex 1. metaph.*

metaph.c.2. At enim nihil distinctè cognoscitur, nisi cognitis iis, quæ sub eo continentur, *Ex philos.2.post.c.12.cont.72. Falsum ergo sit necessum est, metaphysicũ in ente tantum cõmuniter accepto, & prout ipsum trãscendens est, occupari & exerceri. Cui fauet nõ exigui nominis Philosophus Franc. Pic.l.de introd.sciẽtia naturalis.c.29.* Metaphysicus, *inquiens,* valet etiam cõsiderare essentias rerum in specie. *Confer eundem grad. 5. philosoph. moral. c. 22. & 28. vbi idem exserte & diserte expressum. Deinde:* Dialectica & philosophia *(intelligitur autẽ prima)* in eodem genere versantur. *differunt solum* τρόπῳ τῆς δυνάμεως. *Arist.4.met.c.2.text.5. At* Dialectica non est definiti generis, sed de omnibus disserit. *Arist. ib. & 1.soph.elench.cap.11. Tertio.* Quicunq; ponit discrimen inter duo singularia, non in solo ente communiter sumto se occupat, sed ipse etiam demittit se ad particularia vsque. *Quod vel sole clarius.* At metaphysic', *metaphys. inquam,* inter duo singularia discrimen ponit. *Zab.lib.de constitut.indiuid.cap.1. Scaliger. exer. 307.sect.17. Iam ita: Cui potestas descendendi ad infima & singularia, eidẽ multo magis potestas descẽdendi ad species. Quo facit Matthias Flaccius Illyricus l.1.apodict.c.10.* Metaphysicus, *inquiens,* cõsiderat substantiam, quatenus substantia, corpus quatenus corpus est, accidẽs quatenus accidẽs est, quãtitatẽ quatenus quãtitas est, *&c. Non igitur substantiam quatenus ens est, non*

corpus quatenus ens est, nõ quantitatem quatenus ens est pensitat. Et ex consequenti: Non ens tãtum transcendens, sed & entis species. Quando ergo dictum, pictum & scriptum a Philosopho: primam philosophiam contemplari ens, qua ens, intelligimus ens omne, quatenus essentiam habet, & reuera est. *Piccol. dict. cap. 14. introd. scient. nat. Dissentiunt a nobis Paul. Soncinas lib. 4. metaph. q. 11. Nicolaus Taurellus in casis alpibus pag. 242. & seq. Iauellus 1. metaph. quæst. 1. & 9. & 6. metaph. quæst. 2. Goclen. disput. 3. metaph. & alij.*

2. An primus Philosophus in ente duntaxat reali versetur?

V*El crebro crebrior sententia Philosophorũ, q̃uis non omnium:* primũ Philosophũ *entis realis metas haud exire, sed in ipso solo solide cõsistere. Iauell. 1. metaph. quæst. 1. Scal. ex. 1. sect. 3. Auicen. l. 1. suæ metaph. Auerroes 6. metaphys. ad conc. 8.* Iccirco metaphysicam scientiam realissimam nuncupant. *Confer Gocle. in metaphysic. pag. 19. Sed enim ea ipsa sententia vero non admodum cõsentanea:* Omne ens, quatenus essentiam reuera habet, operæ primi Philosophi subiicitur. *ex quæst. 1. disp. h.* omne enim ens per suam essentiam habet, vt sit ens. *Gocl. in metaph. pag. 21.* At omne intentionale κατ' ἐξοχὴν sic appellatum, essentiam propriam & reuera habet, per quam est intentionale, & non reale. *Vt colligo ex Scalig. ex. 17. & 251.* Quicquid enim alicui oppo-

oppositum est, per essentiam oppositum est. *idem ex.12.sect.4. Ideoq;* quod prorsus non est, id ne opponi quidem alicui vere potest. *Cum igitur intentionale propriam essentiam habeat (cur enim non, cum rem repræsentet? Zab.lib.1.de visu cap.7.) vtiq; ab alio considerabitur & definietur. At intentionale a nullo definitur, nisi a primo philosopho. Confer Fonsecam lib.5. met. cap.7. quæst. 6.sect.5. Et Francisc. Piccol.l.de introduct.scient. natur.cap.9.vbi:* ens rationis, *inquit,* quod aliquo modo est per comparationem cum eo, quod principaliter & vere est, a metaphysico consideratur.

3. An subiecti primæ philosophiæ dentur principia.

OMnis scientia principia habet, *Aristot.1. post c.10, t.76. & 23.c.text. 42. Confer Zabarel.l.de tribus præcognitis cap. 1. Atqui* prima philosophia scientia est, & quidem capite prędita. *Arist.6.Eth. c.7. Ergo si inferiores scientiæ principia habẽt, multomagis ipsa. At vero prægnãter dubitatur: Cum subiectum huius disciplinæ sit ens, qua ens, quod omnia particularia trãsuolat, vt alicubi Scaliger ait, quomodo tũ principia & caussa eius dentur, aut quærere iubeamur? ex Philos. 7.meta c.1.tex.1.* Entis, in quantum ens, principia & caussæ quæruntur, *inquit,* At ente hoc nihil prius. *Scalig.exerc.307.sect.27.* At ens hoc definiri nequit. *Zab.1.post.c.13.ad text.104.præ-*

gnans ista dubitatio sic depellitur: principia & caussæ vel essendi sunt, vel cognoscendi. *Zab. lib. de trib. præcog. c* 4. Cognoscendi principia etiam a posteriori petuntur. *Iauell. 5. Metaph. q. 1.* omnisq; effectus, quaten⁹ ab inscitia euehit in cognitionem caussæ principiũ cognitionis est. *Iauell. 1. metaph. q. 1. Confer Zab. d. loco. Entis, qua ens, quæruntur principia & caussæ, sed principia & caussæ cognitionis.*

4. Vnum, verum & bonum non esse entis accidentia.

S*Implicia πάθη entis sunt*, Vnum, verum & bonum, *quæ singula, id est, sine disiunctione cũ ente recurrunt seu reciprocantur sic:* Omne ens est vnum, & omne vnũ ens: *Omne* ens necessario est vnum: *Gocl. in metaph. c. 2. Ratio:* Quia omne ens necessario est simplex, *aut* compositum. *Scalig. exer. 307. sect. 27.* Vtrumq; tamen est vnum per se: illud quidem, quia statim est id, quod est: hoc autem quia altera eius pars est vt potentia, altera vt actus. *Scaliger. ibid.* Ex potentia autem & actu fit vnum per se. *Arist. 7. metaph. cap. 13.* Et verum adeo connexum est cum ente, vt de eo negari non possit, sine eius euersione. *Gocl. in metaph. c. 5.* Et bonum transcendens, *quod dicitur*, adeo intime iunctum cum ente, vt sit *ipsum* ens sola definitione & ratione ab ipso distinctum. *Vnum, verum, bonum, inquit subtilitatum Magister,*

ster sunt affectus ipsius entis: vna sane res atq; eadẽ cum ipso ente: sed ab eo & inter se distinguuntur p definitionem. Ad hunc sane modũ. Quia in prima natura statuitur ipsum ens: q̃ natura quodãmodo seipsam profert, atq; efficit, vt sit vnũ, verũ, bonũ. Quæ est alia formalitas ab illa prima formalitate: Quia alia est apprehensio entis, vt ens est: alia vt est vnum. Hoc n. ex illo sequitur atq; ex eo nascitur, sed non extra ipsum. Vna n. res est, d. exerc. 307. sect. 15. idem iudicium de Vero & Bono. Bonum itaq; cum sit idem, quod ens, certe ab ente idipsum appetetur. Quicquid *n.* habetur & præsentissimum est, id non appetitur. Appetitio *enim* est a priuatione. *Scaliger d. exerc. sect. 27. ideoq;.* Quicquid appetit, aliud appetit, nihil autem seipsum. *Bonum autem, quod ens omne appetit, est ipsius finis extremus & summus.* Sine quo nihil inter entia naturæ vsquequaq; perfectum esse potest. *Boetius lib. 3. de consolat. philosoph. Cumque vnum verum bonum sint vna res inter se, & vna res cum ente, nec alterum alterius erit accidens, nec vniuersa aut singula accidentia ipsius entis*: essent quippe necessario extra entis essentiam *ex Philosoph. 7. metaph. cont. 32. Confer Scalig. d. exerc. 307. sect. 27.*

Ζήτημα Physicum.

I. An cœlum sit materiæ expers?

M*Ateriã sunt qui cœlo denegãt, sed toto ii errãt cœlo. Rationes* I. Vbi quãtitas est & figura,

ibi necesse est materiam subiectam esse. *Scal. exer. 61. s. 5. At in corpore cœlesti reperitur quantitas & figura, aliaq; accidentia naturalia. Colleg. Conimbric. lib. 1. de cœlo cap. 2. quæst. 4. artic. 2.* II. Quicquid sub sensum cadit, materia constat. *vt Auerroes ipse fatetur. 1. de cœlo. com. 91.* Atqui cœlum cadit sub sensum, ὁρατὸν enim. *Arist 1. de cœl. c. 9. tex. 92. Simpl. 2. de cœlo tex. 35.* III. Si cœlum esset forma sine materia, conueniret ei immaterialis & nobilissima operatio. *Colleg. Conimbric. d. l.* Omnis enim operatio sequitur esse & formam. *Fonsec. lib. 5. metaph. c. 1. q. 1. sect. 4. At immaterialis & nobilissima operatio, quæ est intelligendi actus, non conuenit. Dissentit Auerroes lib. de substantia orbis c. 2. & 8. Metaph. cap. 4. & lib. 1. de cœl. text. 7. & 10. Confer Zabarell. lib. de nat. cœl. cap. 1. 6. & 8.*

2. An cœli materia sit eadem cum hac nostrati?

S*Vbtiles non decere aiunt in bene instituta ciuitate, vt idē sit Principis vehiculū & Cerdonis. Qui fieri possit, inquiunt, vt eadē sit materia, quæ cœli gerat formā, & q̄ gerat formam Scarabei, vel pulicis? Vide Scal. exerc. 61. sect. 1. Pulcra hæc: at non capimur iis. Dicemus cum Scalig ex. 9.* In rebus naturalibus, hoc est, cœlesti corpore & inferioribus eandem specie esse materiam, *I. Commune pronuntiatū est.* Non sunt temere noua entia, in naturæ censum sine manifesta

necef-

necessitate inuehenda. (*Colleg. Conimb. lib. 1. de cœl. c. 2. q. 4. art. 1. & 2. de cœl. c. 5. q. 7. art. 1. Scal. dict. exerc. 61. sect. 1. At si materia cœli a sublunaribus diuersa specie & essentia sua statuitur, inuehitur nouũ ens in natura censum sine manifesta necessitate. Neq; verũ est, materiã primam (de hac enim loquimur) datã ob transmutationem ad generationem primo & per se*: vt vbicunq; sit, ibi et sit generatio; sed data est ad subsistendum formę corporeitatis in substantia, & recipiendum quantitatem & figuram. *Scal. dict. exerc. 61. sect. 1. & 5.* II. Sacræ literæ testatum faciunt, Deum ex vna eademque materia (*quod chaos illud*) omnia aspectabilia fabricasse. *Confer Goclen. lib. 2. disput. physic. 11. th. 13. Ergo materia cœli a sublunarium essentia diuersa non est: sed diuersa est ab ea ob diuersitatem formæ.* Quicquid enim diuersum, per formam diuersum, ipsa autem forma per seipsam. *Scalig. exercit. 346. & 6. s. 12. & dict. 61. sect. 1. Hanc tamen sententiam Aristotelicam non esse, vel ex vno loco, qui est 12. metaph. cont. 26. in conspicuo est.* Mortalia & æterna genere differunt, *inquit.* Quæcunque autem genere differunt, differunt etiam materia. *Piccol. lib. de cœlo c. 9. At cœlum Aristot. æternum est. 1. de cœlo tex. 103. inferiora hæc caduca.*

3. An cœlestis machinæ motus sit voluntarius, & ab intelligentiis assistentibus?

Sententia Aristotelica est, singulis orbibus cœlestibus singulas intelligentias appositas, quæ ipsos circumuehant & circumuoluant. Arist. 8. Phys. cap. 6. text. 52. & 12. metaphys. c. 8. text. 43. Hanc excutiens Scaliger cœli motum non naturalem, sed voluntarium, additis speciosis argumentis, sed non sine periculo & vapulatione suarum exercitationum, defendit. Vide exer. 61. sect. 1. Confer Colleg. Conimbric. lib. 2. de cœlo. cap. 5. quæst. 5. artic. 3. & Zabar. lib. de natur. cœli. cap. vltimo. Non assentior hic: Cœli eadem est cum nostratibus hisce materia *ex quæst. praeced.* At hæc materia sine forma informante non potest, vt subsistat. *Ex Scaliger. exerc. 5. sect. 1. exerc. 6. & 11.* Atqui nulla forma informans est otiosa. *Zabar. lib. de natur. cœli cap. 3.* Omne enim naturale corpus propter quandam operationem est. *Ex Arist. 2. de cœlo cap. 17. context. 3. Ergo cœlum mouebitur non ab applicatis intelligentiis; sed ab indita forma, cui hoc inditum, vt moueat. Ergo motus cœli est naturalis, non voluntarius.*

Ζήτημα

Ζήτημα Ethicum.

Quænam sint humanarum actionum ex quibus virtus creatur, principia?

Vix audiendi, qui intellectum & voluntatem virtutis principia proxima faciunt; virtutem in genere capimus moralem quippe & intellectus virtutem amplectentem Homo actionum suarum principium est. *Arist. 3. Eth. Nicom. c. 3. & 5. Picco. grad. 3. philos. moral. c. 18. At non proximum:* inter essentiam n. naturalem quamq; & eius actionem intercedit vis, *ut alicubi eleganter Patricius. Confer. Colleg. Conim. 2. de cœl. c. 5. q. 7. artic. 1.* Vis aũt illa inter hominem, & hominis, qua homo est, actiones interposita vel intellectus est, vel voluntas. Intellectus igitur & voluntas erunt principia proxima humanarum actionum, vnde virtus exsistit. *At non simpliciter proxima: sed intellectus recte intelligens, & voluntas recte intellecta volens, & ad ipsa sese extendens.* Est enim voluntas intellectus extensus. *Scal. exer. 307. s. 3. Confer Piccol. grad. 9. Philos. moral. cap. 27. & Danai lib. 1. Ethices Christianæ cap. 8.*

Ζήτημα Logicum.

Nunquid caussarum, qua caussæ, tractatio in logicis essentialis?

Logicam qui affirmant, male equidẽ vereor, ut

sint logici ἄλογοι. Vere logicum non nisi in mente, sicut & a mente. *Zabar. lib. 1. de natur. log. c. 3. Transfer hoc, mi logice, ad caussas, & concludes. siquidem es logicus, caussas non esse logicas. Si namq; caussa non nisi in mente, væ entibus vniuersis.* Quicquid enim est extra Deum per caussas est, ex caussis, & in caussis. *Ex Scalig. exer. 307. sect. 27. Omne sic ens in mente nostra locabitur. At τόπος iste ἄτοπος. Distinguent forte, an inter doctrinam de caussis & exempla earundẽ. Dicent, illam extra mentẽ haud diuersari: hæc autem etiam extra.* Distinctio scutica digna qua dubium haud soluitur. *Gocl. in criticis. Omniũ inquam, tibi, disciplinarum præceptiones, non nisi in mente. Gocl. disp. 7. metaph. thes. 8. Mentis quippe sententiæ. At nulla sententia extra mentẽ. Scal. lib. 4. poet. c. 1. Quid ergo? Nunquid igitur omnium disciplinarum præceptiones logicæ? Beati scilicet iam philosophi, qui nihil præterquã logici. Quo gentium ergo caussarum doctrinam remittis, si in logicam, non immittis, inquis? Adquam, inquam, disciplinam ens pertinet, ad eandẽ & entis primæ differentiæ. Zabar. lib. 2. post. ad cont. 48. Atqui ad primam philosophiã pertinet ens. Arist. 4. metaph. cap. 1. Ergo & entis differentiæ, per quas ipsum primo diuiditur. Diuiditur autem omne ens per caussam & effectum. Dicimus: omne ens aut caussa est, aut effectum. Goclen. in metaph. cap. 9.*

DISPV-

DISPVTATIO IV.

Respondente Ioanne Keil *Bustadiensi Tyrigeta.*

QVÆSTIO METAPHYSICA.

I. Num Peripateticorum nonnullorũ rationes, inficiantes entis species primo Philosopho subiici, concludant?

IN præmissa nostra, de prima philosophiæ subiecto, sententiolam nostram pro-palam collocatam & auctoritatibus & rationibus munieramus. Verũ enim cum ea verba, vt videntur, insolentia nonnullorum animis fuerint, vt cum Scaligero loquar, equulei, exer. 104. sect. 20. Id operæ existimaui, vt dissentientium nobiscum præcipua rationum momẽta in apricum proferrem, & ad veritatis trutinam modeste examinarem. Sunt autem hæc potissimum. I. Ex Philosopho II. Meta. c. 3. vbi inquit: Philosophi primi scientiam esse entis, qua ens est, vniuersaliter non secundum partem, *qua ratione differt a Mathematicis & a naturali, qui secundum partem considerant, accipientes genus proprium vniuscuiusq; de quo quærunt principia & accidentia, vt talia, non vt entia. Hæc Philosophus de primo Philosopho. Hinc cõclusio: Philosophũ primum nullum ens particulare pensitare. At n. audaciæ plena conclusio: Si nãq; ens, qua ens, particularia exterit vniuersa & singula, quo, quæso,*

pacto entis diuisio in substantiã & accidens Metaphysica fuerit? At diuisio entis in substantiam & accidens Metaphysica est. *exer. 4. Meta. c. 2. tex. 2. Argumentum suggerit Zabarella:* Qui ens vniuerse considerat, ille & primas entis differentias, per quas ens primo diuiditur. *in com. 2. post. anal. c. 7. ad cont. 48.* Primæ aũt entis differentiæ sunt, quæ ipsum diuisum genus totũ adimplẽt, ita vt in illas incidere necesse sit: q cquid sub illo diuiso genere cõtinetur. *Zab. ibi. ad con. 75. c. 12. Quando igitur Philosophus (Cõcilié oportet Philosophum Philosopho,) negat, primi Philosophi sciẽtiã esse entis secũdũ partẽ, nõ equidẽ negat, eum nullam omnino entis partem animo librare suo, id quod falsum esse perenidenter euincitur ex d. 4. Meta. tex. 2. Sed negatione illa sua innuit, primũ Philosophũ non considerare ens, in particulari tantũ: ita vt sensus sit; Primus Philosophus cõtẽplatur ens, qua ens, vniuersaliter, non secundũ aliquã partẽ, reliq vero entis partes sibi explicandas sumunt. Particula igitur* (vniuersaliter) *nõ excludit particularia. Confer disp. pce. probl. 2. II. ducitur ex 4. Meta. tex. 6. vbi scriptum:* Eiusdẽ esse scientiæ de subiecto, & eius affectionibus speculari. *Hinc concluse infertur: Si primus Philosophus speculatur substantias naturales & Mathematica, etiã earundem affectiones. Si hoc, reliquæ scientiæ particulares erunt superflua. Responsio in facili est. Primus Philosophus vniuersaliter & particulariter simul particularia cõtẽplatur, reliqui*

autem

aũt artifices particulariter tantum. Ille ἀκριβῶς, vt nihil dubii resideat; hi vero in genere quidẽ suo ἀκριβῶς, sed ita, vt omnia penitus dubia nõ exhauriantur: quo pertinet illud Taurel. Philosophi elegantis: Physicis, *inquit*, inquirẽda sunt rerum naturaliũ principia: sed Metaphysico post sunt dimittẽda, vt an vera sint ea, possit examinare. *tract. 2. triumph. Phil. q. 1. licet ipse hac in parte a nobis dissẽtiat. Atq; hæc respõsio simili per-apposito illustrior efficitur, vt vel hinc obiectiũcula istius, q crepãt fere omnes, leuitas animaduertatur. Zab. l. de or. intel. c. Inter alia ẽt hoc adducit argumentũ, ab iis & pro iis, qui singularia ab intellectu percipi posse ibãt inficias:* Si intellectus, aiũt, singularia intelligeret, nõ distingueretur a sensu, q solũ singulare cõprehendit. *Quoniam igitur oportet intellectum a sensu distingui, & id q ab vno cognoscitur, ab altero non cognoscitur, dicendũ est; proprium intellectus esse cognoscere vniuersale, sensus autẽ singulare. Hic respondet Zab. d. l. c. 4. Per hoc, inquiens, non distinguitur intellectus a sensu, quod non possit intelligere singulare, sed per cognitionem vniuersalis:* Non *enim* est necessarium, vt ea, quæ inter se differunt, in omnibus differant. *Conueniunt sensus & intellectus in cognitione singularis, sed distinguuntur p cognitionẽ vniuersalis. Hæc Zabarellæ pro Aristot. responsio verissima, & ad nostrã sententiam appositissima. Si igitur dixeris: Metaphysicus vniuersale spectat. E. nullũ singulare, dixero vicissim, nõ sequi: Intellectus n. vni-*

uersale apprehēdit & nihilominus singulare. Si dixeris: Igitur non distingui uniuersalem scientiā & particulares; negauero & hanc consecutionem, per hoc enim non distinguuntur uniuersalis scientia & particulares, quod illa circa altissima quaeq; & generalissima: hae circa specialia tantum satagant: sed quod illa & circa uniuersalia & particularia: hae vero circa particularia tantum. Non n. necesse est, *sicut pulcre Zabarel.* vt ea, quae inter se differunt, in omnib. differant. *Sedquemadmodum intellectus & sensus conueniunt in eo, quod uterq; singulare cognoscit, differunt aūt in hoc, quod ille vniuersale & singulare, hic aūt singulare tantum, sic Metaphysica & vniuersalia, & singularia, sciētiae aūt particulares particularia tantū. Metaphysicus igitur descendere potest ab vniuersalib. ad singulare, sed particulares illae ad vniuersalia, q̄ Metaphysica sunt, assurgere nequeūt. Illud maiestas & imperium primi Philosophi permitttit, imo exposcit: hoc angustia & infirmitas inferiorū scientiarū non patitur. Deniq; si dixeris particulares esse superfluas, si vniuersalis illa in particularib. ēt sit districta: & hac tibi consecutiuncula negabitur. Sensus n. superuacaneus non est, tametsi intellectus ēt singularia cognoscat. III. Sic est:* Si vniuersalis particularia item cognoscit, primus Philosophus euadet particularis. At primus Philosophus vniuersalis est. *Arist. in Sophist. Elenc. c. 10. Et illa consecutio est, vel plume i, vel plumbea:* particularis *enim* illa est, quae ens particulare tan-

tum,

tum; vniuerſalis, quæ & vniuerſale & particulare perpendit. Diſtinctio eſt in vniuerſali, conuenientia in particulari: ideo illa fert nomen vniuerſalis. *Ratio contra noſtra hæc*: Quæcunque ſcientia præſcribit & deſignat materiam alicui, illa & eandem exquiſite cognoſcat neceſſe habet, *alias enim recte præſcribere non poſſet.* At Metaphyſica ſingulis ſcientiis ſingulas materias præſcribit & conſtituit. *ex Pererio lib. 1. in Acroa. Ariſt. 12. E. Hæ ſunt præcipuæ rationes, quæ aduerſus ſententiam noſtram adferri poſſunt, quibus iam diſſolutis facile in portu, quod dicitur, nauigauerimus.*

2. An nihil ſit in re quapiam, quin ante fuerit in principiis actu?

A*Ffirmatum id eſt, a Scal. exer. 307. ſ. 20. vbi quæſtio, an anima ſit ex quatuor elementis cōſtituta, q aſſerebat Alexander. Negat Scal. Herculeo, vt ipſe ait, fretus argumento. Eſt, inquit, in anima poteſtatib. q nunquam fuerit in poteſtatibus elementi cuiuſquam.* At nihil eſt in quapiam re, quod non fuerit actu in ſuis principiis. *Sequitur confirmatio:* Principia namq; ait, ſunt actus eorum, quorum ſunt principia. *At in anima eſt facultas ad mouendum antrorſum, retrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, q in elemēto nullo. Hinc cōcluditur anima ex quatuor elementis non cōſtituta.* At multa dicūtur de cōpoſito, vt interire, vt reſolui poſſe, & cetera, q̄ tamen de prin-

cipiis non dicuntur. (*Confer Gocl. lib. instit. log. cap. de toto & partib. Nec confirmatio proba videtur moneta. Materia n. principium est, sed actus non est, sed potentia. Arist. 2 de ani. c. 1. Vtraq; ergo Scalig. assertio in periculo versabitur: & maxime prior: formarum n. praexsistentia & in materia delitescentia statuetur.* At nulla formarum in materia & efficiente praexsistentia. *Franc. Vicomercatus l. 2. de princ. rer. nat. c. 9. & Pic. l. 1. de creat. c. 3. & 7. Mocenic. contem. Phys. 3. par. 2. c. 10. de quare in 7. disput. agetur amplius.* Vnitas n. efficientis & materiæ tolleretur. *Quare prius axioma Scalig. ita temperamus.* Nihil est in quapiam re, quin fuerit, vel actu, vel potentia in suis principiis *Posterius autem sic:* Omne internum principium est actus, vel imperfectus vel perfectus. *Statuimus n.* omnem materiam suo modo actum esse, nihilq; præter formas, vel esse, vel componi posse, *quod ipsum & sentit Nicol. Taurel tract. 2. triumph. Philos. p. 126. imo solæ formæ coniungunt, totumq; componunt, materiamque nisi pro ignobiliori forma sumatur, nihil omnino componere. ibid.*

Quæstio Physica.

1. An elementorum numerus quaternario vel sit superior, vel inferior?

PLin. *ait de Elementis, nullũ se videre dubitare: ea esse*

ta esse quatuor: ignis summum, ꝓximum spiritus, quem sui Graeciq́; eodē vocabulo aerē vocent: vitalē hunc & ꝑ cuncta meabilē, totoq́; consertū, cuius vi suspensam cum quarto aquarū elemento librari medio spatio tellurē. l.2. hist. nat. c.2. Attamen nos non paucos dubitare non tantū videmus, sed & elementa negare ꝓrsus. Hi nō digni qui recenseantur, sed penitus e sapientum senatu excenseantur. Nullum n. naturale natura ipsa constituit aut admisit vnquā, sine elementorū in ipsum ingressione, *Confer Scal. ex. 307. sect. 22. Ad ceteros autem quod attinet, sunt, qui recensitis cœlum ceu quintum elementū addunt, nam id apud Arist. τὸ πρῶτον τῶν στοιχείων appellatur. 3. de cœl. c.1. tex. 10. Sunt deniq́; q nescio, qua sibi fidētia exaggerati aerem, & aquā ex tam nobili elementorū suppellectili inuolant & euolāt. Pro Philosopho & Musis nos:* I. Omne elementū, ꝙ de quaternario Aristoteli est, mistū, ingreditur. *ex. 3. de cœl. c. 3. tex. 31.* Atqui cœlum mistum nullum ingreditur. *ex. 9. Meta. c. 7. & 12. Meta. con. 10. Dicitur aūt Philosopho elementū nō misti quidem, sed mundi, ꝙ ei tanquam parti principi mundi referatur accepta constitutio. Piccol. lib. 1. de elem. c. 1. Deinde ignem elementum esse, sic peculiariter ostendimus. I. Dandū est hoc, quia experientia dat, ignē apud nos impurū & in materia hærentē reperiri. Hinc indubitata exædificatur consecutio, ignem esse elementū.* Quicquid n. reperitur cōmixtum cū alio, id & reperiri debet seorsim, vel cōsiderari

modum & siccum terreum magis fungitur officio sicci, quam siccum igneum. Zab. lib. 2 de qual. ele. c. 3. Elementa aerem & ignem, quibus rationibus a familia elementorum abdicet Danaus, videris ipsum. 2. Phys. c. 6. 8. & 9. Quo libro plus aquea habet de aquis cœlestibus, & de expansione commentitia multa. Confer. Piccol. d. lib. 1. c. 6.

2. Quodnam elementorum præstantissimum?

QVatuor iam constitutis elementis, alia eaq; fere Nectare plena exsilit dubitatio, quodnã scilicet eorũ sit præstantissimũ? Alii terram, alii aquã, alii aerẽ, alii ignẽ volunt; speciosis quisq; argumentationibus, adeo vt vel ipsa incertitudine sis incertior, cui te aggregare velis. Pro igne nos stamus: hinc ta- tũ abest, vt Elementum inficiemur, vt ipsum vel maxime aliis antestare arbitremur. *Ratio I.* Cuiusq; rei dignitas & præcellentia ex ꝓpria ei' actione ꝓditur. *Præstantissimam autẽ actionem edit ignis, eius enim præstantissima qualitas prima, nẽpe calor summus. Quo nomine Zeno Cicerone teste. 2. de nat. Deor. naturã nihil aliud, quam ignem artificiosum esse credidit. Princeps ergo locus debetur igni.* II. Quo quodq; elementũ superius est, eo dignius & pstantius. *Coll. Conimb. lib. 3. de Cœl. c. 5. q. 2. art. 3. & Arist. 4. Phys. cont. 14. 15. & 49. & 1. de cœl. te. 16. & 45.*

At ignis supremum. E.

Quæstio Ethica.

1. Vndenam intellectus rectitudo deprehendatur?

IN *superiori disputatione sermonem serebamus de caussis efficientibus proximis honestarũ actionum, unde virtutẽ ipsam emergere constat inter omnes: & dictum eas esse intellectum rectè intelligentem, & voluntatem rectè volentem.* Voluntas enim nunquam recta vult, nisi intellectus rectè intellexerit. *ex quæst. 3. disput. 6. Dico nisi rectè intellexerit, nõ recta: nã intellectus noster etiam praua quæ sunt, rectè intelligere nouit, si enim intelligit praua esse praua, rectè intelligit praua.* Nõ fit, *inquit Scaliger*, calidus a caloris cognitione, neque prauus a prauitatis intellectione. *exerc. 307. sect. 16. Quæritur igitur iam, vnde illa intellectus rectitudo nobis dignosci queat? Difficilis illa nobis tanta vitiorum mole coopertis futura fuisset cognitio, nisi DEVS legem diuinam promulgasset, ad quam omnes nostras componeremus actiones. Hæc enim nostra Cynosura quasi est & norma, quam perpetim intueri iubemur, nec minimum digitulum ab ipsa abripiendi transuersi. Rectus igitur intellectus erit, quando cum lege diuina congruit. Rectitudinem intellectus postea sequitur rectitudo voluntatis: & postea rectitudo omnium actionum humanarum.* Intellectus igitur noster conformis esse debet legi diuinæ, voluntas intellectui, actiones nostræ in-

tellectui & voluntati: siquidem honestæ futuræ sint, & virtutem sobolem tam diuinam procreaturæ. *Hinc colligitur: Legem diuinam nō esse vel intellectus, vel actionis honesta, vel virtutis formam constituentem, sed formam exemplarem.*

2. Quænam sit virtutis efficiens proxima, materia ex qua, & forma per quam?

MUlta nobis hic, qui breuitatis studiosi esse cogimur, iam subselliis otiosiorum relinquenda sunt, perputanda & deducenda. Nos sic, quia ratio sic: Efficiens proxima virtutis sunt honestæ actiones, quas subantea a voluntatis & intellectus rectitudine proficisci dicebamus. Intelligimus autē honestas actiones repetitas, nō necessario multas quidē eas, sed necessario paucas, easq; bene validas: Ex actionum enim crebritate aut ex paucis bene validis habitus creatur. *Scal. dicta exer. 307. ſ. 4. Materia virtutis ex qua, vel est mens nostra vel est actio honesta, ex mente prodiens, vel est aliquid ex mente nostra, vel aliquid ex actione honesta.* At mens non est: nec aliquid mentis. *Virtus enim est quiddam acquisitum. 2. Eth. c. 1.* At nec mens nostra, nec quicquam mentis est acquisitum: *Naturale enim id omne.* Nec ipsa actio honesta: *Ea enim est efficiens; ideoque quid externum.* Omnis enim efficiens est externa. *exer. 6. sect. 1. E. aliquid actionis honesta. Cū enim virtus ex ho-*

nesti actione creetur, aliquid ei insit necesse est, vnde creetur. Aliquid enim fit ex aliquo, sicut nihil ex nihilo. *Arist. 1. Phys. In honesti igitur actione, nõ vt efficiente, sed vt in subiecto, latet virtutis materia, nõ secus ac ignis in silice: hac materia a mẽte nostra vt agente excutitur, & in habitũ paulatim conuertitur. Confer: Piccol. grad. Phil. mor. 2. c. 11. &c. Forma virtutis est mediocritas, hoc est, quiddã inter defectũ & excessum mediũ, sed mediũ tale, quod crebris actionibus sit cõparatum. Recte ergo Horat. lib. 1. epist. 19.*

Virtus est medium vitiorum vtrinq; reductum.

Quaestio Logica.

An caussarum & effecti locus subiecti & adiuncti praecedat?

QVi negant *& sibilis & ferulis digni. Argumẽtabimur ita.* I. Omne subiectũ & omne adiunctũ per caussas est, *ideo caussa est natura prior.* II. Quicquid subiicitur & adiungitur, id prius effectum esse necesse est. *Quicquid enim est, vno Deo excepto, effectum est. E.* III. Omnis absoluta consensio *ἁπλῶς*, praecedit consensionem *πῶς*. *Sed illa est in caussis & effectis, hac in subiectis & adiunctis.* Omnis enim effectus qua effectus accipit essentiã suam a caussis. *At nullum adiunctum accipit essentiam suam a suo subiecto. Sat est.*

DISPV-

DISPVTATIO V.

Ad quam publice respondebat 28. Iulii Anno 99. Antonius Buscherus Hannouer. Sax.

Ζήτημα METAPHYSICVM

I. Vtrum omne simplex sit perfectius & præstantius composito?

A*D simplex & compositum in metaphysicis iã progreditur disputatio. Simplex in vniuerso triplex: Summũ simplex, quod nullius indigens est: Imum simplex, quod omnium indigens, & mediũ simplex, quod mediæ quoq; est naturæ. (Confer. Scalig. ex. 140. illud Deus est: Hoc formæ immateriales & materiales. Istud materia prima. Hinc ordinẽ entium simpliciũ colligimus eorundemq; perfectionẽ: prima materia simplex est: at hac simplicior omnis forma materialis: at hac simplicior immaterialis, at hac longe simplicior adhuc Deus. Quo cũ simplicius non detur, erit necessario* DEVS Ens simplicissimum. *Scaliger ex. 359. sect. 12.* At omne simplicissimum perfectissimum: *efficiens enim omnium, & finis omnium: est enim primũ in vnoquoq; genere caussarum. Arist. 10. metaph. cõt.* 7. Omne autem primum summum. At omne summum perfectissimum. *Ergo:* compositissimum erit imperfectissimum. *ex Arist. 2. Top. c. 2. Ergo:* quo quid simplicius, eo perfectius. *Ergo:* quo quid compositius, eo imperfectius.

Ergo quo quid compositius, eo imperfectius. *Ergo formæ immateriales erunt perfectiores materialibus, quia simplicissimo viciniores. Ergo materiales forma prima materia Ex.9.metaph. c.10. text.19. Ergo materia prima ceteris entibus vniuersis. Ergo*: Omne simplex præstantius composito. *Confer. Scalig.ex.307.s.27.*

2. Vtrum omne, quod est sub Deo, sit compositum ex actu & potentia?

ASsertum hoc a Scaligero dict.ex.359.sect.12. Goclenius suauius hoc accipiendum esse monet, comparatione scil. facta entium cum Deo, qui purissimus & simplicissimus actus, disp.6.met.thes.20.& 21. Recte: nec Scaliger insuanius hoc in scenã produxit Philosophicam. Dicemus*: Vnum simplicissimum. *Ergo*: Omnia præter vnum istud suo modo composita. *Ergo & formæ omnes. Ergo & materia prima. d.ex.359.s.2. Ergo & accidentia. Idem exer.325.sect.2.& Goclen.in aduersar.q.64.* Omne enim compositum finitum est: *nullum enim excedit essentiam suam.* At omne finitum habet aliquid, quod est in actu, & aliquid quod est in potentia. *Exerc.6.sect.2. Ergo & aliquid prius & posterius. Ergo omne præter Deum compositum est ex actu & potentia. Ergo ex priori & posteriori.*

2. An

3. An partes compositi simul iunctæ reipsa a composito, seu toto differant?

DE *toto integro, ne nescias, quæstio hæc: Affirmantem sustinemus: & quidem hoc sustentaculo:* vbi eædem numero sunt partes, ibi eadē numero est essentia. *Confer Goclen. 2. part. problem logic. quæst. 50.* At in toto & partium iunctura eædē numero partes sunt, *vt perspicuum est. Ergo & eadem numero essentia. Ergo maxime vnum sunt:* Vnitas enim numeralis omnium maxima est. *Arist. 1. Top. c. 6. Negantem sustinent Auicenna 3. metaph. c. 4. & Scotus 8. metaphysic. q. 4. aliiq; innumeri, quos ne tibi numerem, videris apud Colleg. Conimbricense 1. physic. c. 2. q. 1. artic. 1. quod & ipsum dissentit.*

Ζήτημα PHYSICVM.

1. An primæ qualitates elementorum sint formæ essentiales & constitutrices?

AD *physica iam digressiuncula, vbi ex præscripto occurrunt qualitates: de quibus nō exigua cōgressiuncula. Occasionē dedere verba philosophi 2. de generat. & interit. c. 2. text. 7. & c. 3 text. 16. & 17. vbi ipsas indistincte, & elementa, & formas elementorū constitutrices appellare videtur, teste Zabar. lib. de qualitat. elem. 1. c. 2. & lib. de natur.*

scient.cōst.c.22.Quod ipsum probat D.Magirus, lib.3.physic.Peripatet.c.1.thes.17.& seqq. At enim isti interpretes hæc simpliciter intelligunt, aut cōparate, hoc est, vel de elementis, prout sunt corpora naturalia, vel prout sunt elementa, & mistorum principia. At neutro modo id quod res est, obtinetur. Nō illo: Omne quippe accidēs est posteri⁹ corpore naturali. *Ex phil.4. metaphys. cont.7.* At nullum posterius cōstituit prius. *Zab. libr. de constitut.indiu.c.2.Nec hoc*: Omnis qualitas accidens est. *Arist.in categor.ca.5.& 8.Si igitur elementa formentur & constituantur a qualitatibus suis, elementa, qua elementa, essent accidentia: proinde & ea, quæ sunt ex elementis.* Constituens enim & constitutum eiusdem census esse cēsentur. *Arist.4.metaph.c.3.& 7. met.c.4. Philosophum autem dictis locis qualitates primas pro formis elementorū nobis ignotissimis accepisse contendimus. Confer Flac.l.2.logic.general.c.9. Fonsecam 1.Metaph.c.2.q.3.sect.6.*

2. An symbolæ elementorum qualitates sint eiusdem speciei?

QVæstio non indigna discussu: sed animo præcipienda seu ante intelligenda, quā discutiatur. Quæritur, exempli gratia, an calor, qui est in aere, sit eiusdem speciei cum illo, qui est in igne? item, an humidum, quod est in aqua, sit eiusdem speciei cū eo, quod est in aere? Alii negāt: & id belle: affirmāt alii, sed hoc bellius, quibus cum nos. Ex philosophis hanc

hanc aciem instruemus I. Omne accidens, quod alicui competit secundum magis & minus, idem specie est. *Confer. Arist. 8. Ethic. c. 1. Zabar. lib. de facultat. anim. c. 3. lib. 1. de 1. rerum materia. c. 9. & Gocl. part. 2. problem. logic. quæst. 13. At caliditas magis competit igni, quam aeri: & humiditas magis aeri, quam aquæ. Arist. 2. de gener. tex. 23 Scaliger. ex. 10. & Philipp. Mocenicus contẽplatione 4. part. 1. c. 4.* II Quæcunq; definitione sunt idem, specie haud differunt. *Zabarell. lib. 2. de qualit. element. c. 5.* Definitiones enim proprie specierum vltimarum sunt. *Arist. 7. lib. met. c. 11. text. 37. 2. poster. c. 5. Scaliger. ex. 307. sect. 22. Zab. 2. post. anal. ad cont. 72. At calidi in aere, & calidi in igne eadem est definitio. Ex d. 2. de generat. & interit c. 2. text. 8. & c. Dissentientiũ plena sunt omnia. Vide Zab. d. lib. 2. c. 4. & alios.*

3. An qualitates binæ in singulis elementis sint summæ?

Q*Væstio & summa hæc est, & difficultate vix vlla inferior: opiniosissimi. n. hic physici. Intelligẽda est a. de qualitatibus primis mente conceptis: nõ prout sunt extra mentem.* Rerum enim *(τὸ τί) nude considerandum est, etiãsi nude non ita exsistat. Piccol. grad. 5. Philos. mora. c. 44.* Et possunt multa abesse a re definita in definitione, quæ ab eadem extra definitionem abesse nequeunt. *Scaliger. ex. 5. sect. 6. Dicemus cum Zabarella actiuas qualitates pro differentia distã-*

tia a cœlo esse differentes secundum magis & minus, cum a cœlo dependeant? Ex lib. 1. de qualit. elementorum c. 9. Passiuas aūt esse summas, cū ex differentia distātia a cœlo non proueniant? Ex l. 2. c. 3. At Philosophia inauditū: propria non ab illa substantia, cuius sunt propria, sed ab aliena pendere. *Ex Scaligeri lib. 4. poet. c. 16. Et idem ex sapientum Præceptore didicit* : nihil accidentaliter inesse cuipiam, quod secundum essentiam non insit alicui primo, & per se, quod Græci ἴδιον vocant. *Exer. 10. aduersus Cardan. Dicemus, quæ sententia vulgatior, ex passiuis vnam remissam esse, alteram summam, & sic item in actiuis? At aphorismus sapientum est*: Omnem remissionē fieri per admistionem contrarii. *Zabar. d. lib. 2. c. 2.* Quicquid aūt ita remissum est, non simplex, non syncerum, sed quodammodo compositum. *At item aphorismus sapientum*: simplicium & purorum elementorum non nisi simplices & puras qualitates concipiendas & considerandas esse. *Piccol lib. 1. de qualitat. element. c. 12. & 13. An ergo dicemus in singulis elementis singulas qualitates esse summas cum Piccol. dict. lib. 1. cap. 13.* At elementa alia aliis quo ad substantiam videntur esse perfectiora. *Ex 4. physic. cont. 49. & 1. de cœl. context. 16. & 44. Ergo & alia aliis quo ad qualitates. Ex Fonseca 5. metaph. cap. 2. quæstion. 6. sect. 1. Et Scaliger versatissimus Peripateticus aerem a Peripateticis calidissimum existimari, nul-*

li

si unquam deambulatorum, quantum ultima recordatione repetere potest, excidisse meminit. Exerc. 10. Quid ergo concludes tandem inquies? in tã ampla inquam, controuersia, nihil quicquam φιλοσοφικῶς temere pronuntiandum: sed tamen ut aliquid pronuntiem, pronuntiem amplius, *quod est aliquid.*

Ζήτημα Ethicum.

1. An Philosophi moralis officium sit disserere de actionibus humanis?

SPeciatim hic sumimus actiones humanas, quæ ab intellectu & voluntate solis proficiscuntur: eaq; sunt hominis propriæ: A principiis enim ꝓpriis nõ nisi propria. *Confer Danaeum lib. 1. Eth. Christian. cap. 4. & Boet. lib. 4. de consolat. philosophia prosa secunda. De his dicimus, q, earum tractandi ius etiam philosopho morali concessum sit. Vide Fonsecam 2. metaph. cap. 3. quæst. 1. sect. 7. & Piccol. grad. 2. philosophiæ moral. c. 9. Vin' rationem? non te absq; ea dimittemus. Ex actionibus hominis quatenus in iis quid honesti temperati elucet, virtus procreatur, conseruatur & augetur. Arist. 2. Ethic. c. 2. Cum itaq; Ethici sit disserere de virtute, etiam eiusdem erit disserere de actionibus, ut virtutis caussis. Arist. ib.* Omnis enim scientia caussis innititur. *Ex 2. post. context. 5.*

2. An actiones prægredientes virtutē, & consequentes sint eiusdem speciei?

A*Liæ actiones virtutē anteuertūt, eiusq; principia sunt: ideoq; moderatas & tēperatas eas esse necesse est. Arist. dict. 2. Eth c. 2.* Nihil enim est in re quapiam, quod non fuerit actu in suis principiis. *Scaliger ex. 307. sect. 20. Alia autē actionum virtutem consequuntur, & ex ipsa quasi emergunt: illæ & hæ valde sunt similes: ideo occœperunt dubitare Ethici, an sint idem specie? Genere idem esse nullus ierit inficias: vtraq; enim moralis est, licet illa minus, hæc magis. Piccol. grad. 2. phil. moral. c. 10. Et idem esse numero nullus iuerit affirmatum: res in aprico:* Nullū enim idem numero diuersis fit temporibus. *Goclen. quæst. Ethic. 28. sed an specie idem, id sub lite & contradictione, nos aimus cum Petro Martyre in comment. 2. Ethic c. 2. & Gocl. d. q. 28. I. Quia ambæ continentur inter eadem extrema, defectum & excessum, & consentiunt cū recta ratione. II. Quia differunt secundum magis & minus, perfectū & imperfectū.* At magis & minus, perfectum & imperfectū in accidentibus non mutat formam: *vt dictum supra.*

3. Vtrum bonum & malum sint differentiæ actionum moralium?

IN vnaquaque hominis actione est rectum.

eum. *Confer. Scaliger. ex. 249. sect. 3.* idq; rectũ a summo Recto, Deo ipso constitutum. *Ex. exerc. 307. sect. 27.* Omne autem rectum & a Deo ipso constitutum est quiddam positiuũ. *Colleg. Conimb. disput. 5. Eth. quæst. 1. artic. 2. idq; non tantum de hominis naturali, sed & morali actione intelligunt viri docti & intelligentes. Confer Goclen. disput. 10. metaph. Fœcunda itaq;, imo iucunda dubitatio: vtrum bonum & malũ sint differentiæ actionum moralium essentiales? Dubitationẽ superat ratio hæc:* Qualis est differẽtia habituum, talis est differentia actionum, ex habitibus prooeuntium, *2. Ethic. c. 1. Atqui bonũ & malum sunt differentiæ essentiales habituum. Et hæc: Actiones bonæ & malæ sunt contrariæ. Ex Arist. Categ. c. 11.* Quæcunq; autẽ contraria sunt, specie differunt. *Thom. 1. pag. 2. q. 81. art. 3.* Quæcunq; specie, essentiis etiam. *Zabarell. lib. de constit. indiu. c. 3.*

Ζήτημα LOGICVM.

I. Quomodo dissentanea diuersa a cõsentaneis, oppositis & dissimilibus distinguantur?

M*Agna diuersorũ vtilitas, sed per interpretes eorum solida cognitio nõ ita liquida: tentabimus aliquid, saluis aliorũ iudiciis. Cognitionẽ diuersorum in tribus constituo cõditionibus. I. est, vt sit inter diuersa dissensio, &, vt ita loquar, perlenis oppositio:* Nulla enim dissentanea de se inuicẽ affir-

affirmantur, qua dissentanea: *sed vt primum consentire incipiunt, consentaneorum habitum sortiuntur, itaq; in consentaneis perennis affirmatio, in dissentaneis perennis negatio. II. Dissensio ita comparata esse debet, vt terminis notionum iisdē manentibus mutari possit in consensionem. III. vt idē sit diuersorum suppositum, vel expressum, vel intellectum. Prima conditio separat ea a consentaneis, altera ab oppositis, tertia a similibus.*

2. An diuersa transire queant in opposita?

A*Firmatiua legitur apud Libauium in logicis: cui assentimur: imo expresse statuimus:* Omnia diuersa fieri posse opposita. *Ratio.* I. Quia proprietates oppositorū recipiunt. Ergo & ipsam oppositorū notionē. *Ex Scaligeri exer. 12. sect. 2.* II. Facilius fit transitio alicuius in similius, quam dissimilius. *Arist. 2. de generat. At in consentanea abeunt. Ergo multo magis in opposita. Formosus non est facundus: diuersa sunt: quia etiam esse facundus poterat. At formosus, qua formosus, non est facundus. Opposita sunt, non diuersa.* Diuersa ergo, qua sunt opposita, limitantur, qua autem sunt diuersa, non item. *Sed num & omnia opposita suscipiunt formam diuersorum? Non reciproca, inquam, est ista transitio. Opposita in cellulis suis ferre possunt omnia diuersa. At diuersa non omnia opposita: quaedam enim, imo multa, foris restitare coguntur.*

3. An ex diuersis confiat syllogismus?

RAmi Interpretes hoc fere negant vniuersi, Bisterfeldium enim, qui affirmat, excipio & accipio: ille quidem hoc facit suasu exemplorum: nos suasu rationis & exemplorũ. I. Ratio reddi neqt, cur ex ceteris locis syllogismi exstrui queant, ex hoc vno non queant, II. Quia certa & determinata ex diuersis exsistit propositio. *Ergo & conclusio. Illa est Beurhusii. Ergo & haec sit necesse est. Exemplum dabo vnum: Vlysses non est formosus. At facundus est. Ergo conclude in figura tertia. Vel: Qui facundus, non illico formosus. At Vlysses facundus. Ergo. Non do plura: quia eorum plura, quam muscarum iã, cum caletur maxime, vt cũ Comico Concludã. De oppositis in sequenti.*

DISPVTATIO VI.

Quam Gabriel Mylius Augustanus ad 6 Augusti Anno 1599. publice defendebat.

Ζήτημα METAPHYSICVM

1. Vtrum abstractum sit natura prius concreto?

D*E concretis & abstractis doctrinam iucunditatis & vtilitatis pariter plenam esse, si in Philosophia non didicisti, certe in sacris literis, quando eas animo iam defæcatiore tractaris, ex pleno, opinor, edocebere. Finitur au-*

tem concretum, *vt pralibem aliquid,* ens, quod ab abstracto sic dominatur. *Vide Schegkium. 2. Top. loc. 27. Sic iustus est, qui a iustitia idnominis accipit, & sic in aliis:* itaq; omne concretum est denominatiuum. *Fons. lib. 1. Instit. Dialect. c. 25.* Abstractum est entitas, a qua concretum denominatur. Itaque omne abstractum est denominans. *Suntq; abstracta non tantum accidentium, sed & substantiarum, concreta equidem sunt, & substantiarum & accidentium. Gocl. part. 2. probl. log. q. 2. Ergo & abstracta.* Concreta enim & abstracta sunt eiusdem prædicamenti. *Flac. li. 3. log. general. c. 11. De his iam quæstio: an concretum abstracto, an contra abstractum cõcreto sit natura prius? Posterius annuo: Rationes duæ.* 1. Id quod est, posterius est eo, quo est. *Scal. l. 3. de caussis lat. lingua. c. 91.* Nam abstractum est concreti forma. *Ex. 12. metaph. c. 3.* Atqui concretum est id, quod est, abstractum id, quo est. *Scaliger. ibidem. Ergo* 2. Omne simplex est natura prius cõposito. *2. de cœlo. c. 4. tex. 22.* Atqui abstractum est quasi simplex, & concretum quasi compositum. *Ergo. Atq; hæc de concreto & abstracto, non prout nomina, sed prout res sunt, intelliguntur.* Quantum a qualitate est, si rem spectes: contra quantitas a quanto, si vocem: *inquit Scal. lib. 1. de caussis lat. ling. c. 65. Hinc perquam venusta consectaria.* I. Abstractum & concretum non esse entia logica. *Vide Iauell. 4. metaph. quæst.* 1. *& 6. quæst. 13.* II. Coniugatorũ & nota-

notation s genus non esse τὸ Nomina'e. *Dissen-nt Snell. & Ta'aus.* III. Alterum a terius prædicationem de se haud admittere. *Confer. Zab. l. 1. de medio demonst. c. 9. sed vtrumque prædicari de alio siue συνωνύμως, siue παρωνύμως: quæ tamen prædicatio non abit in infinitum. Abstractorum enim, vt & concretorum sunt termini.* IV. Itaque alterum alterius genus non esse. *Fons. metaphys. c. 28. q. s.* 1. V. Omnem abstractionem esse vltimam, & in vlteriorem resolui non posse. *Exempli gratia*: *albedo abstractum est, cuius non datur abstractum aliud, cuiusmodi putat Scotus esse albedineitatem. 1. sent. dist. 2. q. 7. & dist. 5. q. 1.* Omne enim abstractum concreti abstractum est: *Et absurdum est:* vllum ens in naturæ nsu inuehere sine manifesta necessitate. *Scaliger. ex. 61. s. 1.*

2. An abstracta substantiarum queant esse genera abstractorum inferiorum?

QVæritur hic, vt συντόμως agamus, exempli gratia: an animalitas sit genus, respectu humanitatis & brutalitatis? ignoscite manes Ciceroniani: non n. in foro aut comitio Romano versamur, sed in communi theatro sapientum, sub oculis veritatis, cuius supellectilem non tam nitidum & splendidum, quam opulentum esse decet. Scaliger. Ex. 1. s. 1. Affirmatiuâ calculum adponimus. 1. quia abstracta accidentium nihil impedit, quo minus genera constituantur abstractorum inferiorum: vt color & albedo ambo abstracta sunt: color quidem τοῦ colorati, albedo autem τοῦ

tur. *Scalig. Ex. 201. f. 1. & Zab. l. 1. de prima rerũ materia. c. 13. At dictum in problemate præcedente etiam abstracta prædicari de abstractis; & Scal. dicit Ex. 365. f. 6. de Deo rectius enuntiari abstracta, quam concreta: Si enim denominatiue de eo quippiam prædicaretur: abstractum esset, tum aliud ab ipso Deo, tum ipso prius. Ex probl. primo huius disput.* At Deo nihil prius; Et nihil in Deo, quod non sit ipse Deus, *vt habetur in d. Exerc. f. 8. Nos dicemus: omne quod prædicatur, aut concretum est, aut abstractum. Axioma ita accipimus:* quicquid prædicatur, de ente, cõcreto scilicet, in cõcreto prædicatur, nõ in abstracto, *vbi tantũ diuina idiomata excipim⁹ cum Sc. Quid multis?* cõcreta de cõcretis prædicantur: vel vt genera de specieb⁹: vel vt accidentia de subiectis. Abstracta autẽ de abstractis, vt genera tantũ. *Ex. pro. 2: Communissima autẽ entis conceptio indifferens est, hoc est, vt explicat sese Mocenicus, neq; simpliciter concreta est, neq; simpliciter abstracta d. part. 1. contemplat. 2. c. 9. Ens enim non tantum prædicatur de concretis, verum etiam de abstractis, & recte dicitur vtrumque: Deus est ens, & Deitas est ens. In accidentibus abstractis hoc manifestissimum est.*

Ζήτημα PHYSICVM.

1 Leuia & grauia a quo principali motore proximo, & per se iam genita moueantur in suum quæque locum?

Nomine leuium & grauium non solum simplicia

temperata ex iis. Qui tamen in misto motus iuxta prædominans in eo elementum fieri dicitur. Arist. 1. de cœlo. c. 2. text. 7. Ideoque recte acutissimus Zabar. Nullam aliam, inquit, in misto esse caussam effectricem motus, qui ex lege prævalentis elementi fit, nisi ipsam misti formam, quæ est eius natura, & solum statuitur principium motus in eo naturalis. lib. 2. de motu leuium & grauium c. 4. Oportet enim vnum ex elementis in mistione aliis præponderare: & formæ quasi exhaurire officium. *Auerrores 12. meta. comment. 23. Omnis autem motus secundum prævalens elementum est simplex*; omnis enim motus factus per leuitatem & grauitatem *est simplex. Arist. 1. de cœlo, text. 7. & 8. Errore igitur tenentur, qui motum misti mistum factitant. Dissentientes vide apud Zabarell. dict. 2. de mot. leu. & grau. cap. 3.*

2. Vtrum motus leuium & grauium in principio sit tardior, in medio velocior, in fine velocissimus, & si est, quamobrem?

PHilosophi verba perspicua sunt, leuia & grauia velocius in fine ferri, quam in principio *1. de cœlo cont. 88. Hacque de naturali motu, vt dicta sunt, ita & de eodem accipienda. In violento secus fieri videtur: graue enim corpus sursum iactum ab initio celeriuscule, in medio tardiuscule, in fine omnium tardissime agitur, nimioq; tandem languore præpeditum iter suum quasi relegit, ad naturalem descensum inclinans. Hinc versus:* Principium feruet, medium tepet, vltima frigent: *& contra*: Principium friget,

medium tepet, vltima feruent. *Ille de motu violento; hic de naturali leuium & grauium intelligentiam sui habet. Hic, inquam, dubitationum salebræ, ad quas nulla non satagentis animi cogitatio hæsitet & fluctuet. Dubitem enim: an vllus motus naturalis sit in principio & medio, quam fine tardior?* Ecquomodo enim forma rei simpliciter naturalis moueat modo celerius, modo serius? *Annon* omnis natura agit ὡσαύτως & similiter? *Vtiq;*. An eadē forma iam imperfectior in operando euadit? *Neutiquam:* illa semper sibi æqualis. *Zabar. l. 1. de motu leu. & grau. cap. 15.* igitur & accidentia, quæ sequuntur formam, vt leuitas & grauitas. *Vnde igitur vegetior in fine leuium & grauium, quā ab initio iste motus? ab interno quodam principio rationem, ni misere fallor, nullus arcessas. Ab externo ergo: quodnam illud? aliud nullum esse confirmo, quā medii, per quod feruntur, resistentis imminutionem, quo enim medii resistentia magis imminuitur, eo velocior fit motus naturalis, & quo magis eam augeri cōtingat, eo fit tardior, vtrumq; igitur per accidens est. Motus igitur leuium & grauium in fine est velocior, quam principio, tantum κατὰ συμβεβηκός.*

3. Vndenam lapis in altum proiectus moueatur?

I*Vcunda hæc quæstio est, at candidatis rerum physicarum non parum facessens negotii: Dubitabundi enim hic. Recte:* Dubitatio est enim prohibitio progressionis ad intelligendum, sed cum motu ad disquirendam veritatem, *vt subtiliter subtilis ille vir Scaliger ille Ex. 312. memoriæ traditum habet.*

Quarum

Quærunt igitur: lapis a manu proiectus & sublime iam petens, a quo tunc moueatur, cum a manu proiicientis nihil dum amplius tangitur? *Violentum istum motum esse apud omnes pro cōfesso est: igitur ab externo quopiam principio eum esse necesse est. At illud quodnam facies? Manum proiicientis? animi & rationis falleris.* Omnis enim motus fit per contactum. *Ex. 7. phys. cont. 10. At lapis cum volam tuam iam euolauit, a manu amplius non tangitur. Ergo manus proiicientis nequit. In medium aerem, scilicet, caussam transferes? Periculi sane plenum. Aut enim protruditur ab aeris consequentis impulsu, ut, quia priorem locum relinquit lapis, in eum sese det aer sequens, atque ita impellat, ne detur vacuum, quæ Platonis creditur fuisse opinio. Vide Scalig. Ex. 28. At diuini viri argumentum non diuinum. Transibit quidem aer subsequens in locum lapidis promoti, ne vacuum permittatur: at ille ipse aer subsequens lapidem non mouet: sed lapide moto & promoto ipse insequitur, ita ut aeris sequentis caussa potius sit lapis locum mutans, quam ut sequens aer faciat lapidem locum mutare. Deinde rationi non est consentaneum, ut id, quod leue est, & in suo loco, propellat id, quod graue est, & in suo nō loco. Si n. aer leuis graue propelleret, aer in suo loco moueretur & moueret, quod est cōtra philosophum 4. de cœlo, & communem omnium philosophorum sententiam, dicentium, graue in suo loco non grauitare, nec leue leuitare. Vide Zab. l. 2. de de mot. leuium & grauiū. c. 2. & 3. Aut a præcedētis aeris cessione, quæ philos. sentētia putatur. 8. acr. c. 10. text. 82. 3. de cœlo. c. 2. tex. 28. in probl. sect. 11. quæst. 6.*

& mechan.quaest.33 Pulsus enim aer a lapide eadem pellit impulsione eum, qui ante se est, tum ille alterum porro, atque is quartum. Quae in loca lapidem subire necesse est. Sed ille motus identidem lentescit, donec plane euanescat: propterea quod lapis ciet primam praecedentis aeris portiunculam, eidemque impertit vim ciendi secundum, at segniorem, quam habebat ipse. Secunda ciet porro tertiam, at lentius, ideo & tertia ciet lentius quartam: cum igitur vis ciendi, quae conceditur a partibus prioribus, in posterioribus paulatim languescit, ideo in principio velox est lapidis iacti mot⁹, in medio remissior, in fine remississim⁹. Confer prolixe Zab. dicto lib.1. de motu leuium & grau. c.16. Et Burlaeum 8. phys. acroas. ad context. 76. Ecce vt non per impulsionem instantis aeris, quemadmodum Plato, sed per cessionem impulsi, cuius in locum sese penetret aer, ne vacuum detur, lapidem sursum ire per aerem statuerit Aristoteles. At ratio ea Scalig. haud placita est. dict. Ex. 28. nec Toleto 8. acroas. c. 9. aliisque. Non enim potest antecedens aer velocius moueri, quam moueatur lapis, a quo semel impulsus est aer ille: nam quomodo moueretur magis, quam ipsum mouēs moueret? Quin igitur dicemus lapidem proiectum in aere non proferri ab aeris antecedentis cessione; sed potius antecedentē ipsum propelli a propulso lapide. Verisimilius enim est, prius esse caussam posterioris; quam posterius prioris. *Est igitur lapis proiectus caussa & aeris instantis & antecedentis: vterque enim non moueretur, nisi lapis moueretur. Quare difficultas adhuc integra. Dicemus igitur: Aer antecedens lapidem, & consequens eundem, & lapis ipse omnia & singula mouentur, & mouent per accidens.*

At

At omne, quod per accidens mouetur & mouet, coniunctum habet mouens aliquod per se. *Arist. 2. phys. acroas. cont. 66. & 67. Ida mouens nequit esse manus proiicientis. Separata enim est a motu. Ergo erit motio proiicientis lapidi moto impressa, vnde per aerem transfertur. Hacq; motio lapidis moti forma erit: proiicientis autem effectum seu actio, speciatim proiectio dicta, quæ ita comparata, vt lapidi insideat, vel absente proiiciente.* Non n. necesse est, vt efficiens simul exsistat cum suo effectu. *Proiiciens igitur erit caussa proiectionis: proiectio caussa proiecti: ille separatus, hæc coniuncta: quæ ipsa cum subinde minuatur & lapis subinde resistat, ideo subinde tardior fit eius motus, donec superetur vis in lapide, & lapis naturali motu retro ferri incipiat, qui ab initio tardiusculus, quia reliquiæ motionis impressæ nondum plane sunt excussæ. Sed hæ quoque excutiantur.*

Ζήτημα Ethicum.

1 In quonam caussæ genere sint actiones virtutem antecedentes?

Q*Væstio hic: an actiones virtutem prægredientes sint materia virtutis, an efficientes, an forma, an finis? Non finis sunt:* quia omnis finis est perfectio eius, cuius est finis. *Scal. Ex. 254. At actiones illæ virtutem non perficiunt, sed ab illa accipiunt perfectionem. Iacob. Schegkius 2. Top. loco. 10. Neq; enim fieri potest,* vt imperfectius perficiat perfectum. *Non materia: nec forma: vna duarum ratio: quia hæ ingrediuntur in rem, cuius sunt materia & forma.* At actio illa extra est. *Si igitur actio antegrediens est*

virtutis caussa, efficiens sit necesse est. Non tamen caussa immediata. Ex actionib' enim istis crebriter repetitis nascitur primũ dispositio seu diathesis, quæ diathesis postea in habitũ vertitur. Ptc.2. ph. mor.c.11. Quod cum ita sit, actiones antegredientes sub complexu & fotu suo semina quoq; virtutis, vt materiam & formã continere, certum est. Soli ignari transnaturaliũ subtilitatum mirabuntur, accidentibus a nobis materiam & formam assignatas esse. Ex.307.sect.27.

2. An actiones sequentes virtutem a mente nostra, tanquam primo principio, an ab habitu, quo mens est informata, primo proficiscantur?

A*Ctiones, quæ parto habitu fiunt, certæ sunt, constantes, impræpeditæ & nulla cũ molestia aut lucta coniunctæ: & non tantum bonæ sunt, verum etiam bene fiunt, earumq; bonitatem recta ratio format, non solus finis. Scal.ex. 307.sect. 27. de his disceptatio est inter prudentes: an ab ipsa fiant mente, an ab habitu, qui in mentem inductus est? Scaliger in dicta ex. 307.sect. 5. non ab habitu vt efficiente eas fieri contendit, cum habitus sit quasi forma quædam illarum actionum; quæ immutabilis* ὀρθὸς λόγος *appellatur. Hinc Piccolomineo tanquam mensura & regula dicitur grad. 2. Philos. moral. cap.7. placet actiones sequentes habitum a mente proficisci per habitum. Habitus enim ille per se nihil agit, sed virtute agentis principalis.*

I. Vtrum virtus recte diuidatur in moralem & intellectualem?

Diuisio ea apud Philosophum perfrequens est 1. Eth. cap. vlt. c. 1. & 6. cap. 1. &c. Vtrique hoc commune est, quod perficiat id cuius est, & opus eius. 2. Eth. cap. 6. At de rectitudine diuisionis dubitant aliquam multi. Nos eam defendimus: Hominis actiones, quæ homo est, duplices sunt; aliæ ab intellectu, aliæ a voluntate prodeuntes. Verum cum illæ facultates sint oblitæ & vitiis multis coopertæ, indiget vtraque virtutibus, quibus excolatur & perficiatur. Aliæ igitur hominis, qua homo est, virtutes erunt intellectus, quæ dianoeticæ philosopho nominantur, aliæ voluntatis, quæ morales καὶ ἠθικαί: eo quod illæ doctrina, hæ moribus & assuetudine comparentur potissimum. dict. 2. Ethic. cap. 1. Hinc duo apprime rationi consentanea elicim⁹, licet apprime controuersa: vnum est: virtutes intelligentiæ præcedere debere; quia intellectus voluntatis quasi regula, & hæc ab illo quasi dependet, intellectus enim voluntate natura prior & præstantior. Scal. ex. 307. sect. 26. conf. Arist. 10. Ethic. cap. 7. Hinc Scholastici: voluntas ab officio non discedit, quin intellectus ipse a recta via deflexerit. Non est peccatum in voluntate, quin sit defectus in ratione. Vide Thomã 1. part. 2. quæst. 19. artic. 4. &c. Alterum est, virtutes morales cum proprie voluntatem perficere debeãt, in voluntate, non in appetitu sensuum constituendas esse, cum quam plurimis philosophis censendum. Quæ tamen an Aristotelis sententia fuerit, non facile affirmauerim. Vide Picco. grad. 4. philosophiæ moral. cap. 7. & Coll. Conimbric. Disp. Eth. 7. quæst. 5. art. 1.

Ζήτημα Logicum.

1. Num relata, qua relata, sint opposita, & quidem contraria?

ARistoteles *τὰ πρός τι oppositis quidem subiecit in Categoriis cap. 10. At Ramus sub contrariis ea, ut proximo genere statuit: lib. 1. cap. 13. Aristoteles praeterea ea seorsim ab oppositionis notione tractauit: dicto loco cap. 7. Quod & ipsum a senatu Peripateticorũ vniuerso acceptum & receptum est. Gemina igitur circa hunc locum iam animum incessit quaestio: altera; an relata, qua relata, sint opposita. Altera, an si sunt opposita, tantum sint contraria? Negamus vtrumque: illud inde, quoniam relata sunt relata, tametsi non opponantur. At nunquam sunt sine vicissitudinaria illa, quam in sese habent, affectione & σχέσει.* Ἔστι δὲ πρός τι οἷς τὸ εἶναι ταὐτόν ἐστι τῷ πρός τι πως ἔχειν. *Arist. dict. cap. 7. adeoque vt haec relatio sit de essentia eorum. Crellius l. 1. part. comm. de Categor. p. 48. Itaq;* sine relatione esse non possunt. *At* sine oppositione esse possunt. *Ergo* ea ipsis accidentalis. Itaque nec primo opponuntur pater & filius, sed consequenter; *Primo autem paternitas & filiatio. Hoc autem ideo*; 1. quia contrariis inter se grauissimae intercedunt inmicitiae. *At in relatis non sic: imo saepe multo minor dissensio, quam in disparatis nonnullis* 2. Quia in contrariis vnum vni tantum opponitur. *Tritũ enim illud* ἓν ἑνὶ ἐναντίον. *Aristot. 1. de coelo cap. 2. meteor. cap. 6. & 10. meta. cap. 4. At in relatis non sic. 3. Denique absurdum videtur*, contrarietatem talem in mirabiliter singulari & singulariter mirabibili sacrosanctae Tri-

nititatis

nitatis ponere mysterio. *Quæstio hic relinquitur: quonam relata in inuentionis locis iuxta consensionē & dissensionem sint referenda? ad quam ἐν τῷ παρέργῳ.*

2. An sit contrarietas vera in accidentibus tantum, an vero etiam in substantiis?

V*Eram contrarietatem ab illa, quæ est in priuantibus & contradicentib. distinguimus ab contrarietate in specie. De vera illa iam, prout distincta, quæritur.* Ramus, affirmat contrarietatem in quouis g'nere esse, hoc est, non accidentib. tantum, sed & substantiis. *1. lib. schol. phys. c. 6. & 5. c. 2. vbi id peculiaribus quibusdam rationib. sancitum vult. Patrocinatur ei Rodolphus Goclenius vir præstantissim⁹, & bene de philosophia meritus, part. 1. probl. log. quæ. 60.* Aristoteles vero & vniuersa propePeripateticorum familia in substantiis contrarietatem reperiri vllam præcise negant, *in accidentibus nonnullis eam solum relinquentes. Nos philosophi & Peripateticorum partes tuituri, pro sententia nostra confirmatione ita argumentabimur. Substantia tribus accipitur modis: Primo est materia, quæ secundum se non est hoc aliquid: secundo est forma, secundum quam dicitur τὸ τί: tertio est substantia ex vtrisq; composita. Arist. 2. de ani. tex. 3. & 35. Si igitur substātia substantiæ contraria est, hoc inde est, vel quia materia materiæ contraria est, vel quia forma substantialis formæ; vel deniq; quia compositum composito. At nullum horum. Non materia materiæ, quia est vna in omnibus. Scal. ex. 9. Est enim materia prima vnum*

inuidnum, ſicuti, verbi gratia, cera maſſa, cuius pars alia candelæ formam gerit, pars ſimulacri, alia pilæ, alia teſſeræ. At pars a parte non differt eſſentia: Ergo neq; affectibus, qui eſſentiam ſequuntur. Exercit. 61. & nulla eius pars ab alia eiuſdem parte diuerſa eſt, niſi ob diuerſitatē formæ. Idē Ex. 346. Nec forma formæ: quia nulla nullam deſtruit. Idem Ex. 344. ſect. 3. φθαρτικὰ γὰρ τῶν ἀλλήλων τὰ ἐναντία. *Ariſt. 1. phyſ. cap. 9.* Oppoſitas rerum formas dicimus: contrarias non dicimus. *Omnis enim vera contrarietas in accidentibus eſt, quibus cum formæ tanquam ſatellitibus ſtipentur, fit, vt & ipſæ ſæpe contrariæ vocitentur. Nec compoſitum compoſito*: contraria enim in ſubiectis ſunt. *Ariſt. Categ. cap. 5. At compoſita non ſunt in ſubiectis, ſed ipſa ſunt ſubiecta.*

3. An contradictio in topicis locum & vſum habeat?

D*Vplex contradictio: vna axiomatica, ſeu propoſitionum, quæ ab omnibus conceditur: altera topica ſeu inuentionis, quæ a paucis. At & huius vſum eſſe & exemplis, & ratione oſtenſuri ſumus. Exemplis: Scaliger. Ex. 294. ſect. 3. Quodcunque, inquit, præter rectum eſt, non eſt Dei, ſed non Dei. Et Ex. 140. Plāta, ait, quoad planta eſt, nunquam erit non planta. Ratio hæc: dantur & conceduntur nomina finita & indefinita. Ariſt. 1.* περὶ ἑρμην. *cap. 2. & 3. Ergo & cōtradictio topica, quæ non niſi in terminis ſimplicibus conſiſtit. Vt homo, non homo, &c. Hi termini ſemper & neceſſario ſine medio ſunt. Ratio conſpicua. Quia negatum comprehendit vniuerſa præter id quod eſt affirmatum. Fonſ. l. 1. inſt. dial. cap. 29. vbi hoc πο-*

σήματος loco & elegantia subserendum est: Nempe requiri, vt quanto minor est ambitus negationis, vt non entis, tanto maior sit ambitus affirmationis: vt entis. Et quanto est comprehensionis minoris affirmatio, vt: Aristoteles, tanto maioris negatio, vt. non Aristoteles. Usus quoque eorum in diuisionibus excellens cernitur. Vide Zabar. 2. post. ad context. 77. Et non exiguus est in argumentationibus: vt homo est. Ergo ἀδύνατον est, vt sit non homo. Et vice versa: ἀδύνατον est vt sit non homo. Ergo est homo. Terram video.

DISPVTATIO. VII.

Respondente Achatio Resch, VValderbacensi Palatino.

Ζήτημα METAPHYSICVM.

1. Quomodo necessarium definiendum & tribuendum?

D*Iuina scientiæ axioma est*: Omne ens aut est necessarium, aut contingens. *Perer. lib. 1. ph. c. 3. Necessarium est, quod non potest non esse. Gocl. in meta. c. 11. Hinc dictum* necesse, quod nec esse aliter possit. *Scal. l. 11. de causs. lat. ling. c. 166. Generalis ista definitio est, ideo generali loco constituta. Diuidemus sic pote*; Omne necessarium aut ἁπλῶς est, aut non ἁπλῶς *Illud alias dicitur necessarium indepen-*

medium tepet, vltima feruent. *Ille de motu violento; hic de naturali leuium & grauium intelligentiam sui habet. Hic, inquam, dubitationum salebra, ad quas nulla non satagentis animi cogitatio hæsitet & fluctuet. Dubitem enim: an vllus motus naturalis sit in principio & medio, quam fine tardior?* Ecquomodo enim forma rei simpliciter naturalis moueat modo celerius, modo serius? *Annon* omnis natura agit ὡσαύτως & similiter? *Utiq;*. An eadē forma iam imperfectior in operando euadit? *Neutiquam:* illa semper sibi æqualis. *Zabar. l. 1. de motu leu. & grau. cap. 15.* igitur & accidentia, quæ sequuntur formam, vt leuitas & grauitas. *Unde igitur vegetior in fine leuium & grauium, quā ab initio iste motus? ab interno quodam principio rationem, ni misere fallor, nullus arcessas. Ab externo ergo: quodnam illud? aliud nullum esse confirmo, quā medii, per quod feruntur, resistentis imminutionem, quo enim medii resistentia magis imminuitur, eo velocior fit motus naturalis, & quo magis eam augeri cōtingat, eo fit tardior, vtrumq; igitur per accidens est. Motus igitur leuium & grauium in fine est velocior, quam principio, tantum κατὰ συμβεβηκός.*

3. Vndenam lapis in altum proiectus moueatur?

IUcunda hæc quæstio est, at candidatis rerum physicarum non parum facessens negotii: Dubitabundi enim hic. Recte: Dubitatio est enim prohibitio progressionis ad intelligendum, sed cum motu ad disquirendam veritatem, *vt subtiliter subtilis ala vir Scaliger ille Ex. 312. memoria traditum habet.*

Quarum

Quærunt igitur: lapis a manu proiectus & sublime iam petens, a quo tunc moueatur, cum a manu proiicientis nihil dum amplius tangitur? *Violentum istum motum esse apud omnes pro cōfesso est: igitur ab externo quopiam principio eum esse necesse est. At illud quodnam facies? Manum proiicientis? animi & rationis falleris.* Omnis enim motus fit per contactum. *Ex. 7. phys. cont. 10. At lapis cum volam tuam iam euolauit, a manu amplius non tangitur. Ergo manus proiicientis nequit. In medium aerem, scilicet, caussam transferes? Periculi sane plenum. Aut enim protruditur ab aeris consequentis impulsu, vt, quia priorem locum relinquit lapis, in eum sese det aer sequens, atque ita impellat, ne detur vacuum, quæ Platonis creditur fuisse opinio. Vide Scalig. Ex. 28. At diuini viri argumentum non diuinum. Transibit quidem aer subsequens in locum lapidis promoti, ne vacuum permittatur: at ille ipse aer subsequens lapidem non mouet: sed lapide moto & promoto ipse insequitur, ita vt aeris sequentis caussa potius sit lapis locum mutans, quam vt sequens aer faciat lapidem locum mutare. Deinde rationi non est consentaneum, vt id, quod leue est, & in suo loco, propellat id, quod graue est, & in suo nō loco. Si n. aer leuis graue propelleret, aer in suo loco moueretur & moueret, quod est cōtra philosophum 4. de cœlo, & communem omnium philosophorum sententiam, dicentium, graue in suo loco non grauitare, nec leue leuitare. Vide Zab. l. 2. de de mot. leuium & grauiū. c. 2. & 3. Aut a præcedētis aeris cessione, quæ philos. sentētia putatur. 8. acr. c. 10. text. 82. 3. de cœlo. c. 2. tex. 28 in probl. sect. 11. quæst. 6.*

& mechan.quaest.33 Pulsus enim aer a lapide eadem pellit impulsione eum, qui ante se est, tum ille alterum porro, atque is quartum. Quae in loca lapidem subire necesse est. Sed ille motus identidem lentescit, donec plane euanescat: propterea quod lapis ciet primam praecedentis aeris portiunculam, eidemque impertit vim ciendi secundum, at segniorem, quam habebat ipse. Secunda ciet porro tertiam, at lentius, ideo & tertia ciet lentius quartam: cum igitur vis ciendi, quae conceditur a partibus prioribus, in posterioribus paulatim languescit, ideo in principio velox est lapidis iacti mot⁹, in medio remissior, in fine remississim⁹. Confer prolixe Zab. dicto lib.1. de motu leuium & grau. c.16. Et Burlaum 8. phys. acroas. ad context. 76. Ecce vt non per impulsionem instantis aeris, quemadmodum Plato, sed per cessionem impulsi, cuius in locum sese penetret aer, ne vacuum detur, lapidem sursum ire per aerem statuerit Aristoteles. At ratio ea Scalig. haud placita est. dict. Ex.28. nec Toleto 8. acroas. c.9. aliisque. Non enim potest antecedens aer velocius moueri, quam moueatur lapis, a quo semel impulsus est aer ille: nam quomodo moueretur magis, quam ipsum mouẽs moueret? Quin igitur dicemus lapidem proiectum in aere non proferri ab aeris antecedentis cessione; sed potius antecedentẽ ipsum propelli a propulso lapide. Verisimilius enim est, prius esse caussam posterioris; quam posterius prioris. *Est igitur lapis proiectus caussa & aeris instantis & antecedentis: vterque enim non moueretur, nisi lapis moueretur. Quare difficultas adhuc integra. Dicemus igitur: Aer antecedens lapidem, & consequens eundem, & lapis ipse omnia & singula mouentur, & mouent per accidens.*

At

At omne, quod per accidens mouetur & mouet, coniunctum habet mouens aliquod per se. *Arist. 2. phys. acroas. cont. 66. & 67. Id a mouens nequit esse manus proiicientis. Separata enim est a motu. Ergo erit motio proiicientis lapidi moto impressa, vnde per aerem transfertur. Hacq; motio lapidis moti forma erit: proiicientis autem effectum seu actio, speciatim proiectio dicta, quæ ita comparata, vt lapidi insideat, vel absente proiiciente.* Non n. necesse est, vt efficiens simul exsistat cum suo effectu. *Proiiciens igitur erit caussa proiectionis: proiectio caussa proiecti: ille separatus, hæc coniuncta: quæ ipsa cum subinde minuatur & lapis subinde resistat, ideo subinde tardior fit eius motus, donec superetur vis in lapide, & lapis naturali motu retro ferri incipiat, qui ab initio tardiusculus, quia reliquiæ motionis impressæ nondum plane sunt excussæ. Sed hæ quoque excutiantur.*

Ζήτημα Ethicum.

1 In quonam caussæ genere sint actiones virtutem antecedentes?

Q*Vastio hic: an actiones virtutem prægredientes sint materia virtutis, an efficientes, an forma, an finis? Non finis sunt:* quia omnis finis est perfectio eius, cuius est finis. *Scal. Ex. 254. At actiones illæ virtutem non perficiunt, sed ab illa accipiunt perfectionem. Iacob. Schegkius 2. Top. loco. 10. Neq; enim fieri potest*, vt imperfectius perficiat perfectum. *Non materia: nec forma: vna duarum ratio: quia hæ ingrediuntur in rem, cuius sunt materia & forma.* At actio illa extra est. *Si igitur actio antegrediens est*

virtutis caſſa, efficiens ſit neceſſe eſt. Non tamen cauſſa immediata. Ex actionib' enim iſtis crebriter repetitis naſcitur primũ diſpoſitio ſeu diatheſis, quæ diatheſis poſtea in habitũ vertitur. Pic.2. ph. mor.c.11. Quod cum ita ſit, actiones antegredientes ſub complexu & fœtu ſuo ſemina quoq; virtutis, vt materiam & formã continere, certum eſt. Soli ignari tranſnaturaliũ ſubtilitatum mirabuntur, accidentibus a nobis materiam & formam aſſignatas eſſe. Ex.307.ſect.27.

2, An actiones ſequentes virtutem a mente noſtra, tanquam primo principio, an ab habitu, quo mens eſt informata, primo proficiſcantur?

A*Ctiones, quæ parto habitu fiunt, certæ ſunt, conſtantes, imprapedita & nulla cũ moleſtia aut luctâ coniunctæ: & non tantum bona ſunt, verum etiam bene fiunt, earumq; bonitatem recta ratio format, non ſolus finis. Scal.ex. 307. ſect. 27. de his diſceptatio eſt inter prudentes: an ab ipſa fiant mente, an ab habitu, qui in mentem inductus eſt? Scaliger in dicta ex. 307. ſect. 5. non ab habitu vt efficiente eas fieri contendit, cum habitus ſit quaſi forma quædam illarum actionum; quæ immutabilis* ὀρθὸς λόγος *appellatur. Hinc Piccolomineo tanquam menſura & regula dicitur grad. 2. Philoſ. moral. cap. 7. placet actiones ſequentes habitum a mente proficiſci per habitum. Habitus enim ille per ſe nihil agit, ſed virtute agentis principalis.*

1. Vtrum

1. Vtrum virtus recte diuidatur in moralem & intellectualem?

DIuisio ea apud Philosophum perfrequens est 1. Eth. cap. vlt. c. 1. & 6. cap. 1. &c. Vtrique hoc commune est, quod perficiat id cuius est, & opus eius. 2. Eth. cap. 6. At de rectitudine diuisionis dubitant aliquam multi. Nos eam defendimus: Hominis actiones, quâ homo est, duplices sunt; aliæ ab intellectu, aliæ a voluntate prodeuntes. Verum cum illæ facultates sint oblitæ & vitiis multis coopertæ, indiget vtraque virtutibus, quibus excolatur & perficiatur. Aliæ igitur hominis, quâ homo est, virtutes erunt intellectus, quæ dianoeticæ philosopho nominantur, aliæ voluntatis, quæ morales ἠθικαί: eo quod illæ doctrina, hæ moribus & assuetudine comparentur potissimum. dict. 2. Ethic. cap. 1. Hinc duo apprime rationi consentanea elicim⁹, licet apprime controuersa: vnum est: virtutes intelligentiæ præcedere debere; quia intellectus voluntatis quasi regula, & hæc ab illo quasi dependet, intellectus enim voluntate natura prior & præstantior. Scal. ex. 307. sect. 26. conf. Arist. 10. Ethic. cap. 7. Hinc Scholastici: voluntas ab officio non discedit, quin intellectus ipse a recta via deflexerit. Non est peccatum in voluntate, quin sit defectus in ratione. Vide Thomã 1. part. 2. quæst. 19. artic. 4. &c. Alterum est, virtutes morales cum proprie voluntatem perficere debeãt, in voluntate, nõ in appetitu sensuum constituendas esse, cum quam plurimis philosophis censendũ. Quæ tamen an Aristotelis sententia fuerit, non facile affirmauerim. Vide Picco. grad. 4. philosophiæ moral. cap. 7. & Coll. Conimbric. Disp. Eth. 7. quæst. 5. art. 1.

Ζήτημα Logicum.

1. Num relata, qua relata, sint opposita, & quidem contraria?

ARistoteles τὰ πρός τι oppositis quidem subiecit in Categoriis cap. 10. At Ramus sub contrariis ea, vt proximo genere statuit: lib. 1. cap. 13. Aristoteles præterea ea seorsim ab oppositionis notione tractauit. dicto loco cap. 7. Quod & ipsum a senatu Peripateticorũ vniuerso acceptum & receptum est. Gemina igitur circa hunc locum iam animum incessit quæstio: altera; an relata, qua relata, sint opposita. Altera, an si sunt opposita, tantum sint contraria? Negamus vtrumque: illud inde, quoniam relata sunt relata, tametsi non opponantur. At nunquam sunt sine vicissitudinaria illa, quam in sese habent, affectione & χέσει. ἔστι δὲ πρός τι οἷς τὸ εἶναι ταὐτόν ἐστι τῷ πρός τι πῶς ἔχειν. Arist. dict. cap. 7. adeoque vt hæc relatio sit de essentia eorum. Crellius l. 1. part. comm. de Categor. p. 48. Itaq; sine relationẽ esse non possunt. At sine oppositione esse possunt. Ergo ea ipsis accidentalis. Itaque nec primo opponuntur pater & filius, sed consequenter; Primo autem paternitas & filiatio. Hoc autem ideo; 1. quia contrariis inter se grauissimæ intercedunt inimicitiæ. At in relatis non sic: imo sæpe multo minor dissensio, quam in disparatis nonnullis 2. Quia in contrariis vnum vni tantum opponitur. Tritũ enim illud ἓν ἑνὶ ἐναντίον. Aristot. 1. de cœlo cap. 2. meteor. cap. 6. & 10. meta. cap. 4. At in relatis non sic. 3. Denique absurdum videtur, contrarietatem talem in mirabiliter singulari & singulariter mirabibili sacrosanctæ Trinitatis

hitatis ponere mysterio. *Quæstio hic relinquitur: quonam relata in inuentionis locis iuxta consensionẽ & dissensionem sint referenda? ad quam ἐν τῷ παρέργῳ.*

2. An sit contrarietas vera in accidentibus tantum, an vero etiam in substantiis?

V*Eram contrarietatem ab illa, quæ est in priuantibus & contradicentib. distinguimus ab contrarietate in specie. De vera illa iam, prout distincta, quæritur.* Ramus, affirmat contrarietatem in quouis genere esse, hoc est, non accidentib. tantum, sed & substantiis. *1. lib. schol. phys. c. 6. & 5. c. 2. vbi id peculiaribus quibusdam rationib. sancitum vult. Patrocinatur ei Rodolphus Goclenius vir præstantissim᷈, & bene de philosophia meritus, part. 1. probl. log. quæ. 60.* Aristoteles vero & vniuersa prope Peripateticorum familia in substantiis contrarietatem reperiri vllam præcise negant, *in accidentibus nonnullis eam solum relinquentes. Nos philosophi & Peripateticorum partes tuituri, pro sententia nostra confirmatione ita argumentabimur. Substantia tribus accipitur modis: Primo est materia, quæ secundum se non est hoc aliquid: secundo est forma, secundum quam dicitur τὸ δὲ τι: tertio est substantia ex vtrisq; composita. Arist. 2. de ani. tex. 3. & 35. Si igitur substãtia substantiæ contraria est, hoc inde est, vel quia materia materiæ contraria est, vel quia forma substantialis formæ; vel deniq;, quia compositum composito. At nullum horum. Non materia materiæ, quia est vna in omnibus. Scal. ex. 9. Est enim materia prima vnum*

εἰρμάτος loco & elegantia subserendum est: Nempe requiri, vt quanto minor est ambitus negationis, vt non entis, tanto maior sit ambitus affirmationis: vt entis. Et quanto est comprehensionis minoris affirmatio, vt: Aristoteles, tanto maioris negatio, vt. non Aristoteles. Vsus quoque eorum in diuisionibus excellens cernitur. Vide Zabar. 2. post. ad context. 77. Et non exiguus est in argumentationibus: vt homo est. Ergo ἀδύνατον est, vt sit non homo. Et vice versa: ἀδύνατον est vt sit non homo. Ergo est homo. Terram video.

DISPVTATIO. VII.

Respondente Achatio Resch, VValderbacensi Palatino.

Ζήτημα METAPHYSICVM.

1. Quomodo necessarium definiendum & tribuendum?

D*iuina scientiæ axioma est*: Omne ens aut est necessarium, aut contingens. *Perer. lib. 1. ph. c. 3. Necessarium est, quod non potest non esse. Gocl. in meta. c. 11. Hinc dictum* necesse, quod nec esse aliter possit. *Scal. l. 11. de causs. lat. ling. c. 166. Generalis ista definitio est, ideo generali loco constituta. Diuidemus sic pote*; Omne necessarium aut ἁπλῶς est, aut non ἁπλῶς *Illud alias dicitur necessarium indepen-*

l. 11. Necessarium absolutum *aut independens est, quod ab omni caussa liberum est, nec refertur alio. Vtrumq; in* simplex *&* complexum *secatur. Simplex est in re aliqua simplici. Complexum in propositione. Absolute simplex, vt Deus vnus;* Nam nulla res, præter Deum, est absolute necessaria, *cont. Arist. 8. phys. c. 1. 1. de cœlo. c. 8 12. Metap. c. 6. Falsum etiã est, Deum agere ex necessitate natura. 9 Metap. t. 17. 12. Metap. t. 30. 2. de cœlo. c. 3. t. 17. Complexum, vt: Deus est: seu, Deus est bonus. Vt enim Deus non depẽdet, ita nec Dei bonitas. Deus & ipsius bonitas in Deo sunt prorsus idem. Scal. exer. 365 ∫ 8.* Quia a. prorsus sunt idem, in iis nõ est dependentia mutua. ἰδιήλον. *Necessarium non* ἁπλῶς, *aut est* κατά τι, *aut* τινί *Necessarium* κατά τι *est, quodquidem a necessario absolute dependet, sed non dependet a voluntate nostra. Confer Zab. lib. 1. de nat. log. c. 2. Simplex* κατά τι *vt cœlum, arbor, homo. Complexum* κατά τι; *vt homo est animal. Hoc n. non simpliciter necessarium, quia homo dependet ab animali;* & *vtrumq; a necessario absolute simplici. Hoc complexum necessarium in termino contingente & necessario esse potest: vt virtus moralis efficit bonos. Virtus est terminus contingens.* Imo complexum necessarium in duobus terminis simul contingentibus consistere potest. *Possibile enim est, vt inter duo contingentia sit nexus necessarius. Nec a contingente, qua contingens, necessarium fluit, sed qua est.* Omne n. contingens, qua est, necessario est. Nunq̃ enim fieri poterat, vt necessario aliquid esset ab eo, q̃ nõ esset necessario. *Hanc necessitatẽ subiecti vel punctũ temporis efficit.*

Necessa-

Necessarium vni est, sine quo aliquid esse nequit. Arist. 5. Metaph. c. 5. Simplex: vt corpori naturali necessarium est locus. Sic homini necessarium est animal. Complexum: sic propositio hæc; homo est animal: necessaria est huic: Socrates est animal. Omne necessariũ alicui aut finis est, aut quid propter finem. *Scal. exer. 254. Itaq; omne necessarium vni perficit. Eadem omnia & singula proportione & analogia de contingenti etiam dici poterant, quæ breuitatis ergo facimus missa.*

2. Vtrum necessarium omne sit prius contingente?

I. OMne per se est prius eo, quod est ex accidente. *Arist. 2. phys. acr. c. 6. t. 66.* οὐδὲν κατὰ συμβεβηκὸς ϖρότερον τῶν καθ' αὑτό. Omne necessarium ad contingens sese habet, sicut per se ad per accidens. *Scal. exerc. 39. E. 2.* Omne contingens, aut a necessario est, aut in necessario fundatur, *Taurell. in triumph. philos pag. 258. 3.* Omne infirmius procedit a firmiori, aut firmiori nititur. *ib.* At omne necessarium firmius est contingente. εὐφιλόσοφον. *Firmius enim proficisci ab infirmiori,* ἀφιλόσοφον.

3. Vtrum omnis exsistentia, (vt Socrates est) de subiecto enuntietur necessario?

VIdetur ita. Cum exsistentia sit actus formæ, *& quiddam necessario a forma dimanans. Gocl. in metaph. c. 7. At* cuique rei forma sua est quid necessarium. ἀξιόπιστον. *Ergo cum forma, etiam ex-*

ſiſtentia. At Nicolaus Bonerus contra: Omnem exſiſtentiã contingenter cõuenire rebus omnibus infra Deum, etiam indiuiduis, cum ea aliquando non fuerint. *Nulla igitur exſiſtentia videtur eſſe neceſſaria. Decidemus nos ſic:* Exſiſtentiæ ſubiectum, aut ſimpliciter neceſſarium eſt, *vt Deus,* aut κατά τι neceſſarium, *vt homo Socrates. &c.* aut contingens. *Si illud: exſiſtentia ſimpliciter neceſſaria eſt, ſi iſtud κατά τι, ibi enim contingentia cum neceſſitate coniuncta. Si hoc, exſiſtentia ſimpliciter contingens eſt:* Omnino enim qualis res, talis rei exſiſtentia. *Perer. l.6. de com. rer. nat. princ. c.13.*

4. An ſint connexiones rerum infra Deum ſimpliciter neceſſariæ?

P*Vlcra hæc quæſtio, ideo digna contemplatu, vt an hæc connexio, homo eſt animal, ſit ſimpliciter neceſſaria? affirmat Fonſeca 5. Metaph. cap.5. q.1. ſ.3. negat Heruæus, quodlibet. 1. q 10. Cum quo idipſum & nos negamus. I. Ratio.* Ea connexio ſimpliciter neceſſaria eſt, in quã alterutrum ab altero non dependet. *Ex definitione neceſſarii abſolute ſuperiuſcule tradita. At in iſta propoſitione, homo eſt animal, homo eſt dependens ab animali: Et vtrumque ab alio. E. iſta propoſitio non eſt ſimpliciter neceſſaria.* II. Omnis connexio ſimpliciter neceſſaria, *1. dependet a terminis ſimpliciter neceſſariis, & qui non poſſunt non exſiſtere. 2. a connexione neceſſaria. Heruæus d.l.* At omnis terminus in natura, *(Deus ſupra naturam eſt)* potuit aliquando non exſiſtere. *(Confer Scalig. d l.11. c.166. de cauſſis lat. ling. & Okamum,*

quod-

quodlibet. 4. quaest. 37. Simpliciter autem necessaria dicuntur quamplurimæ connexiones rerum in natura, non proprie, sed κατά τι quia alterutrum ab altero abesse nequit. *Sic definitio hominis καθ' αὑτὸ simpliciter cohæret cum homine, quia ne diuina quidem virtute fieri potest, vt definitio separetur a suo definito. Fonsec. Quanquam conciliatio non displicet.*

Ζήτημα Physicum.

1. Quænam sint caussæ communes generationis & interitus rerum.

STOici Iouem, seu naturam, seu principium omnium rerum ignem esse dicebant: eius enim partem crassiorem effectā verti in animabilem & spirabilem naturam. Ex hac natura, si paulo adhuc condensuerit, fieri aquam. Ex aqua porro terram: statis autem temporibus omnia illa denuo inflammari, & ignescere, ita vt & animi & Dii omnes alii interirent, Iupiter solus maneret, conuersis in se omnibus. Hanc ἐκπύρωσιν, id est conflagrationem vocitabant. Plut. lib. 1. de plac. Phil. c. 3. Sen. ep 9 Hinc Zeno dicebat Deum, hoc est Iouem illum Stoicum esse ignem consumentem omnia, eo quod omnia in se consumeret, & rursus omnia ex se gigneret, teste Laertio. Stoici igitur ex Ioue suo Deo, ceu principio, varie mutato fieri omnia & in ipsum omnia interire statuebant. Communis igitur materia generationis & interitus fuit Iupiter: a quo generatio omnis inciperet, & in quo desineret, & omnia rursus interirent. Sed cum horū & aliorum opiniones impietatis sint plenæ, Aristotelis, quæ omnium proximè

veritatem accedit, solam perpendemus, & ad disputandum proponemus. Hic tria constituit principia, materiam, formam & priuationem. 1. Phys. c. 6. & 7. Et generatio ei definitur transmutatio totius, nullo sensili manente vt subiecto eodem. *1. de gen. & int. c. 4. Hæc definitio generationis amplissima est, omnemq; simplicium & mistorum generationem cōprehendit, dict. 1. de ort. & int. c. 1. Dicitur transmutatio totius, vt generationem ab alteratione distinguat. In alteratione enim non mutatur aliqua pars substantia. Totum autem transmutari dicitur, quia compositi forma vltima abit, non quia materia.* Omnis enim forma, præsertim vltima, totum dicitur, quoniam rei integritatem constituit. *Arist. 2. physic. t. 31.* Necesse enim est, vt in omni substantiali interitu pereat forma vltima, quæ specifica dicitur, & alia specifica oriatur. *Zabar. l. de gen. & int. c. 4. Tritumq; in Philosophia*, generationem & interitum non formæ, sed toti composito tribui, quod vltimæ formæ aduentu generatur. *Scal. exer. 346. Dicit porro: nullo sensili manente, vt subiecto eodem. Quæ verba, vt intelligantur, sciendum est, duos esse terminos in ista transmutatione; vnus, est forma, quæ interit, alter, est forma, quæ generatur.* In omni enim transmutatione interitus vnius est alterius generatio & vicissim vnius generatio est alterius interitus. *Aristot. dict. l. 1. c. 3. t. 17. Quando igitur vna forma interit, & altera succedit, idem subiectum sensile, vt idem, non manere dicitur; homo subiectum formæ intereuntis & subeuntis idem quidē manet, sed non manet vt idem vtriusque termini: Alter enim subiectum subiiciebatur*

formæ

formæ pereunti & termino a quo, aliterq; formæ subeunti, vt termino ad quem. Atq; hæc quidem in generatione elementorum perspicua sunt; sed in generatione misti difficultas sese obiicit, quæ dissipanda. In omni generatione fit vnius formæ corruptio, & alterius subitio. Sed in generatione misti, vt cadaueris e viuente, *nulla noua forma accedit, sed cadaueris forma præfuit in viuente. Responsio hæc est:* Omni generationi non est necesse, vt noua forma generetur: *sed hoc est necesse, vt aliquid subeat nouæ formæ, vt, viuentis interitu, quando cadauer generatur, noua quidem forma non accedit, sed ablata anima viuentis, forma mistionis, quæ in viuente materia erat, vicem nouæ formæ in cadauere, per quam cadauer in specie constituitur, præstare incipit. Non enim absurdum est, eandem rem diuerso respectu materiam & formam nominari. Forma igitur generationis per definitionem hactenus explicata est.* Materia *generationis rerum communis*, est prima materia. *Quæ pro productione variarum specierum varias recipit affectiones & dispositiones.* Efficiens *adæquata est generans. Quod item multiplex, pro multiplicitate specierum constituitur. Hoc generans non Solem facimus, sed aliquid in natura, quod in generando Sol calore suo adiuuat. Generans igitur quoddam in natura, est caussa principalis. Sol autem adiuuans & ministra. A Sole enim, vt caussa efficiente principali, rerū formas esse, & produci nugæ sunt. Simile n. sibi simile producit.* Nec fieri quit, vt a non viuente fiat viuens. *Item:* vt a calore cœlesti, qui accidens est, producatur aliqua forma substantialis. *Nil n. agit supra virtutem suam. Caussa deniq;*

finalis *generationis est conseruatio specierum*. Omne quippe agens naturale, est conseruans sui. *Quod cum fieri nequeat in vno indiuiduo, vt quod corruptionis sorti suppositum: ideo fieri debuit per indiuiduorum propagationem. Zab. lib. de gen. & int c. 11.* Perpetuitas *siquidem* specierum pendet à perpetuitate indiuiduorum, *vt eleganter differit Taurell. in triũpho phil. pag. 225. Atq; hæc de generationis caussis vniuersalib. ex quib. interitus perinde colligi queunt.*

2. An plures sint substantiales formæ in eodem composito?

P*Hysici disputantes de axiomate isto Aristotelico: Generationem vnius esse alterius corruptionem: & vicissim: occasionem captarunt disputandi, pluresne in composito vno, an vna tantum esset forma: Vtrinq; autem eo concessum est, vt multitudo formarum in vno composito magis probaretur, quæ sententia vera & his præcipuis rationib. subnixa est. I. Si vna esset duntaxat in vno composito forma, tum intereunte composito, fieret statim resolutio in materiam primã. Zab. d. l. de gen & int. c. 2.* At nullius compositi resolutio fit statim in materiam primam. Quia in omni interitu substantiæ, formam interire necesse est. *ex 1. de gen. & int. Homine enim intereunte, anima quidem rationalis abscedit, sed remanet corpus ex quatuor elementis conflatum. Vbi a. elementum, ibi forma, & vbi mistũ ex elementis, ibi forma. II. Omne* quod mouetur, distinguitur in mouens & motũ. *Arist. 6. phys. c. 4.* Omne a. motũ mouẽti resistit. *Zab. d. l. c. 2.* Quicquid autem mouenti resistit, per formã resi-

resistit. *Piccol. in phys. p. 872.* At mouens forma est, & motū p formā resistit, *E. In quodā cōposito plures, quam vna, dabuntur formæ. III. Elegans cumprimis est locus Aristot. in calce 4. meteor. ex quo multitudo formarum perspicue elicitur: ibi enim docetur, in cōpositis quibusdam esse extrema & media. Extrema autem ita esse comparata, vt extrema materia solum sit materia; extrema forma solum forma, intermedia vero distincta ratione & forma sint & materiæ. Ex quo sumitur solutio quamplurimarum obiectionum, quæ distinctione nititur. Forma aut est vltima, aut intermedia: seu; aut est specifica, aut generica.* Illa non nisi vna est: intermediæ seu generales possunt plures esse, imo infinitæ. *Et ex his interpretor Scaligerum dicentem:* Multæ formæ actu sub vna forma contineri nequeunt. *exerc. 16. sect. 3. item illud eiusdem.* Vnius rei non nisi vna forma est. *exer. 268. imo ipsa materia prima in se & per se etiam forma est. Taurell.*

Ζήτημα Ethicum.

1. Num virtutes intellectiuæ Ethicæ sint considerationis?

NIhil tam instituto Philosophico repugnat, quam oratio sesamo q. sparsa, & ex mellitis verborum contexta globulis. *Apertam enim esse decet, breuem & perspicuam, ideo breuiter etiam nobis & perspicue agendum, quod agendum. De virtutibus intellectiuis quæritur; Ethicane sint disciplinæ, an alius? Quæstio necessaria, a quāplurimis autem omissa, aut indiligenter certe tractata. Pro v-*

traq; parte disputabo primum, & deinde decidam. De prudentia non est dubium, eam ad Ethicam pertinere, cum sit forma dirigens omnium moralium virtutum; & omnia, quæ aguntur in humana vita, per prudentiam bene fiant: adeo est oculis emissitiis, adeo mente circumspectrice. Esse sic patet. I. Qui finem tractat, is ẽt media ad finem illum procreãtia: Nullus enim finis sine mediis comparatur. *Arist. 2. phys. acr. cap. 3. At Ethicus tractat de summo bono, quod est in contemplatione. 10. Eth c. 8. & alibi. E. etiam de mediis, hoc est, de virtutibus intellectiuis, quæ summum bonum in contemplatione producunt. II. Duæ sunt intellectus facultates, quas perfici oportet, voluntas & intellectus. Et illæ facultates connexæ sunt, & in physicis docentur. Zab. l. de ord. intel. cap. 1. E. rationi conuenientissimum est, vt earum virtutes sint connexæ & connexim tradantur. At voluntatis virtutes consensu omnium in Ethicis instituuntur. E. & intellectus. III. De sapientia agit Ethicus, quia virtus est. Arist. 1. magnor. mor. c. 33. E. eadem ratione de reliquis intellectiuis agendum, quia sunt virtutes. Non esse sic probari videtur. I. Si Ethica iure proprio sibi subiicit virtutes intellectiuas omnes, omnes etiam disciplinas sibi subiiciet. Qui enim in genera habet imperium, ille etiam in species quadantenus: Et omnes disciplinæ ab Ethicis dependebunt. At cõsequens absurdum est. E. & antecedens. II. Si ita sit, disciplinæ genera sua quæq; ex Ethicis desument. Sed & hoc absurdum. Uniuersales enim disciplinas, cuiusmodi logica & Metaphysica sunt, ex particulari genere depromere absonum. Pro decisione hæc axiomata tenenda sunt.* 1. Ethica est disciplina particularis, habet

enim

enim tantum virtutem, entis particulam, quam ex liberalitate primi Philosophi accepit, *ex disput. 2.q.q metaph.1.& seqq.2.* Ciuilis Philosophus tenetur omnes habitus cognoscere, cum eius officium sit humanas actiones componere, hominemq; per istos ad summum bonum, quod duplex, dirigere. *Piccol.grad 5.phil.mor.c.4.3.* Ex Ethicis disciplinarum genera non promuntur, sed ex entis diuisione, quæ est primi Philosophi. 4. *Aliud est tractare habitus morales, & aliud istorum habituum subiecta. Hinc soluuntur argumenta. Primo contendebatur, ceteras disciplinas vniuersas a morali pendere, si habitus intellectiuos contempletur omnes. Falsa connexio, dependentia n. disciplinarũ non est ab habitibus, sed a subiectis. Et Ethica habitus contemplatur tantum, non subiecta habituum. V.g. Scientiam definit, at non scientiæ subiectum, quod est ens necessarium potissimum. Tum demum sequeretur argumentatio, si etiam subiecta habituum ab Ethico perpenderentur. In altero falsa item connexio. Ex Ethicis enim genera non desumuntur disciplinarum. 1. Si enim genera, etiam ipsæ disciplinæ seu species, quod falsum.* 2. Genera disciplinarum sumuntur ab illo, qui ea constituit, probat, & ordinat. *At hoc fit a primo philosopho, ex d. disput. præced.* Inde enim promuntur genera, vnde species, *quod manifestissimum. At species nempe disciplinæ, prodeunt veluti ab vberi copiæ cornu primi Philosophi. E. & genera.*

Ζήτημα Logicum.

Quinque in omnibus comparatis ne. c:ssario esse obseruanda.

IN *comparatis dixi quinq; pensiculari. Quæ illa?* 1. Duo, inquam numero, subiectam minimum deferentia comparationem: *V.g. Aristoteles & Plato.* 2. Termini comparationis, qui & ipsi minimum duo sunt, non in specie quidem perpetuo, sed in numero. *Quia in duobus numero subiectis. Ex Goclen. p. 2. probl. l. q. 50. vt ex hypothesi; par doctrina Aristotelis, & par doctrina Platonis. Ratio conspicua.* Quia nihil, qua tale, sibi ipsi comparatur. *Propter terminos comparationis fit comparatio duorum subiectorum, puta Platonis & Aristotelis in doctrina pari. Non igitur sunt comparata Arist. & Plato, qua tales; sed quatenus termini comparationis iis infixi sunt.* 3. Est ipsa cōparatio, quæ est comparatorum forma, *sicuti relatorum relatio. At comparationis termini minimum duo sunt. E. & ipsam comparationem distingui necesse est.* Duo enim necessario sunt sub duabus formis. *Scal. ex. 307. sect. 14. Hæc de omnibus comparatis vera sunt, etiam de similibus & dissimilibus.* Subiectum alicubi vnum occurrens necessario, ne nescias, geminandum est. Nam in omni propositione subiectum repetitum fit diuersum a prædicato diuerso; *quod alibi dictum. Colligo hinc tria axiomata oppido venusta. 1.* Nullū comparatum est, nisi in aliquo absoluto. *Ex Scal. l. 4. de c. l. l. 93.* 2. Subiecta comparationē deferentia non esse ipsa cōparata, sed fieri comparata, si terminis comparationis

tionis imbuantur. 3. Comparationem, comparationis terminos, & fundamenta esse distincta.

DISPVTATIO VIII.

Respondente Ioanne Keil *Bulstadiensi Tyrigeta.*

Ζήτημα METAPHYSICVM SINGVLARE.

Quæ sit vera inter reale & intentionale differentia?

V*Iam insistam hancce. Omne quod est, aut est extra mentem nostram, aut est intra, aut est ipsa mens: quam esse ens reale nemini homini dubium est. Omne quod est extra mentem, aut revera est extra mentem; vt Deus, Socrates: aut fictitie: vt cerberus, chimæra, domus solis, &c. Quod intra mentem est, vel est intra ipsam mentem, vt intellectus & voluntas, & in his duobus omnes virtutes naturales & acquisitæ, omniaq; vitia naturalia & acquisita: vel est intra mentis nostræ cogitationem: vt homo, quatenus de eo disputo & cogito: adeoque omne, quod cogitatur, & quatenus cogitatur. Hæc cogitatio adeo late sese extendit, vt nihil sit aut fingatur, quod ab ipsa non concludatur. Nam & ipsa cogitatione, quid sit cogitatio, cogitamus. Omne enim quod est, aut est cogitatio, aut non cogitatio. E. etiam cogitationem nostram cogitabimus. Hinc axiomata.* 1. Quicquid est extra mentem, etiam non cogitante mente, id reale est. 2. Quicquid est extra mentem, sed non nisi cogitante mente, id fictitium. 3. Quicquid est intra ipsam mentẽ, sed nõ nisi cogitante mente,

id fictitium est in mente. *Nam æque in mente quid fingere possumus, ac extra mentem, licet nullum reale in ipsam ingrediatur. Scalig. exerc. 307. sect. 21. At nihil est, quin possit subire mentis cogitationem, ἰνδάλον. Et nihil erit, quin possit fieri intentionale, seu, ut ita loquar, cogitabile. Non fictum tantum ens, sed & reale. Vnde tria concludo. I. Fictum non esse idem, quod intentionale. II. Falsum esse propositionem Taurelli. Quicquid intelligitur, extra mentem prius oportere esse, quam mente concipiatur, in triumph pag. 328. III. Quæ sit vera inter reale & intentionale differentia. At intentionale, quod est intra mentis cogitationem est duplex. I. enim est, quod reale aut fictitium primo repræsentat, ut Deus, homo, & chimæra in cogitatione. Sic caussa in cogitatione repræsentat caussam extra eam primo. Sic totum & partes, &c. Sic propositio hæc, homo est animal, realis est, quia primo repræsentat coniunctionem hominis & animalis in natura. Sic syllogismus hic; Homo est animal, Socrates est homo. E. Socrates est animal; realis est, quia conclusio sequitur ex propositionibus, quarum coniunctiones inueniuntur in natura. 2. est, quod non repræsentat reale aut fictitium, sed repræsentat intentionale illud, quod reale repræsentabat: ut argumentum non repræsentat aliquid extra cogitationem; sed aliquid intra, ut Deum, quatenus est intra. Hinc axiomata: unde differentia intentionalis primi & secundi.* I. Omne intentionale primum repræsentat aliquid extra cogitationem immediate & primo. II. Omne intentionale secundum repræsentat aliquid intra cogitationem, *& hoc cum additamento: repræsentat enim Deum intra mentem,*

non

non prout Deus est, sed prout argumentum est. Ordo igitur talis. I. Ens extra cogitationem mentis. II. Ens intra cogitationem mentis, quod fuit extra, & dicitur intentionale primum. III. Ens intra cogitationem mentis, & non fuit extra, & dicitur intentionale secundum.

Ζήτημα Physicum singulare.

Vndenam sint formæ rerum naturalium?

CVm in generatione corporis simplicis, vt aeris ex aqua, & viuētis vt catelli ex semine, noua forma, quæ ante non exstitit, res generata sit donata, hæc noua forma quæritur vnde sit, id est, a quo efficiente, & ex qua materia sit? Certum est eam non esse ex nihilo. In rebus enim naturalibus nihil est sine efficiente. *Exerc. 307. sect. 27. Scaliger. Forma illa noua aut inducitur a generante in materiam: aut a generante, educitur ex materia potestate. Piccol. d. lib. 1. de creat. cap. 5. Conuenit igitur inter omnes, Omnem formam quæ in generatione est opus, esse a quodam generante. Sed quodnam id generans sit, non conuenit perinde. Sicut nec in hoc: educatur ne, an inducatur. Sex autem sunt opiniones celebres. I. Anaxagoræ & eius asseclarum, qui formas in materia latere dixere, indeq; quasi sopitas excitari, atq; in certam speciem componi. Excitationem autem illam fieri a naturali agente. At sic omnes formæ rerum naturalium in materia præexsisterent.* At formarum in materia non datur præexsistentia. *Vide Coll. Conimb. 1. phys. cap. 9. q. 12. art. 3 Vna enim eademq; materia haberet in se infinitas formas specificas. Quod ἀφιλόσοφον. Et hanc opinionem*

Arist. 1. phys. c. 4. ipse refutauit. II. Est Platonis in Phadone, qui docuit formas rerum ex idearum fonte, qui ipse Deus, in materia conceptaculum influere. Arist. aũt ineptam ei affingit. 1. meta. c. 7. & 7. c. 8. & 12. c. 3. Quæ opinio Platonis non impia quidem est, asscribit enim formas rerum, opifici omnium Deo, sed tollit tamen generationem, quæ est nobilissimum naturæ opus. Hanc generationem Deus naturæ nostrati huic a creatione concessit. Et recte aduersus Platonem argumentamur sic: Omne generans seu agens naturale producit sibi simile. *Arist. 7. Metaph. c. 7. & 8. E. quod generatum est, a Deo non est generatum.* Omne enim quod generatur, & omne quod generat, materia & forma vtrunque constat. *Coll. Con. d. art. 2. III. Est Auicenna, qui intelligentiam finxit quandam postremam, quam formarum datricem vocauit, eo quod rerum naturalium formæ inde in materiam ab agente naturali dispositam inderentur. Sed eodem, quo prius vsi sumus, argumento refutatur efficaciter. Præterea* generans & generatum in viuentibus sunt vnum specie. *7. metaph. text. 28. Et tolleretur omnis generatio vniuoca. IV. Est quorundam aliorum, qui formam quandam materiæ coæuam statuunt; quæ sit initium & incoatio formæ compositi generandi. vide Piccolom. l. 2. de 1. mat. cap. 14. Quam non dari pronuntiat idem 1. Phys. ad cont. 38. & probat 3. lib. de 1. mat. cap. 7. & Vicomercatus l. 1. pr. nat. c. 7. & 8. Formas enim Arist. a materia in interitu demoueri, & aliam succedere statuit 1. de ort. & int. V. est Scaligeri, qui distinguit inter generationem, & proinde formas. Triplex ei generatio est, vna, in qua forma a syderib. prodeunt. ex. 6. s. 11. cœlestes enim*

nim potestates sic dare formas, & ea, quæ formas consequuntur, explicat & probat ib. s. 2. Et hæc generatio est æquiuoca, vt muris in quisquiliis nati. Sic ignis ex ferro & silice elicitur. Altera est a semine perfectior & vniuoca, vt quando catellus ex semine canino nascitur. In hac generatione forma inest in potestate materiæ, & quidem actu, illata aũt a gignente. Iccirco animam canis geniti, gignentis partem dicere non est veritus ib. s. 11. In hac igitur generatione canis est a cane, equus ab equa & equo, ignis ab igne, & c. Tertia est a Deo, in qua animas a Deo creari immediate statuit. Hæc est anima nostra rationalis. Quæ omnia pulcre sane & exquisite a Scalig. dicuntur. Sed quædam eorum, non sine iactura veritatis, quæ facio missa: illud autem verissimum, quod de generatione vniuoca ab ipso traditum: De animæ nostræ origine libere dissentio, vti infra ostendam, disput. 12. Nec de generatione æquiuoca omnino mihi cum ipso mens vna. VI. Est Aristotelis, qui formas rerum naturalium non penitus inducit ab agente, nec tanquã omnino, vel ex parte latẽtes in materia educit, sed ab agente per transmutationẽ e materia potestate elicit, quæ potestas aliqua ratione dici potest incoatio, vide explicantem id, sic Piccol. d. l. 1. de creat. c. 5. & Fr. Vicomercatũ l. 2. princ. nat. c. 9. Velle igitur Aristot. formam generandi compositi esse in materia potestate. Agens autem physicum suis qualitatibus, tanquam instrumentis materiã permutando, congruenterq; disponendo, formam, quæ in ea potestate reperiebatur, ad actũ transducere. Et concedendas esse hac ratione formas in materia incoatas aut formarum incoationes. Confer Auerr. 12. Metaph. 18. & Piccol. d. loco. Auerroes ta-

men 7. Metaph. t.31. enuntiat, quod idem fit agens disponens & inducens formam. Consentiunt igitur fere Interpretes Peripatetici de incoatione formarum in materia, vt seruetur, formas rerum naturalium non fieri ex nihilo *Piccol. lib. 2. de 1. rer. mat. cap. 14. Si enim formæ fierent ex nihilo, compositum non generaretur, imo nihil generaretur, cum materia sit ingenerabilis, & in omni generatione supponatur. Quare cum compositum generetur, & tamen materia non generetur, necesse est formam generari. Igitur ex aliquo. Omnis enim generatio fit ex aliquo. Igitur aut ex agente seu generante, aut ex materia ipsa, quæ generanti subiicitur, aut ex materiæ aliqua potestate. At Peripateticis forma non est ex agente, quia ex se formam illam non producit seorsum, productumq́; materia imponit. Piccol. d. lib. 1. cap. 5. Non ex ipsius materiæ substantia, quia absurdum, formam, rem indiuisibilem, proficisci a re diuisibili. Zabarell. lib. 2. de de pr. rer. mat. cap. 8. Igitur ex potestate materiæ. Sed attende mecum. Hæc potestas materiæ, vnde forma, agentis transmutatione elicitur, est aliquid aut nihil. Si nihil. E. forma ex nihilo. Ergo incurretur in id, quod tam curiose vitabatur. Non ergo potestas illa nihil. E. aliquid. E. aut substantia, aut accidens. Si substantia, erit aut eadem cum materiæ substantia, aut diuersa. Si eadem, ergo ex ipsa materia: at non ex ipsa materia. Indiuisibile enim generaretur ex diuisibili. At ἄτοπον istud. E. erit substantia a materia. At nulla substantia a materia reipsa diuersa est alia præterquam forma. Potestas igitur illa, vnde forma generatur, erit forma. Forma igitur erit ex forma: At Aristot.* nihil generatur ex forma; sed quicquid generatur ex

mate-

materia generatur. *Et omnis potestas nititur iuxta ipsum aliquo fundamento & accidens est. Vide Zabarell l.1. de pr. rer. mat. cap. 9. & Piccol. sæpe d. l. 1. de creat. c. 6. E. potestas illa erit accidens. E. formæ rerum naturalium erunt accidentia. E. composita constituẽtur per accidentia. Absurda. E. ex philosophia Peripatetica efficitur, formas non esse ex potestate materiæ. Itemque absurdum. Formas in materia esse incoatas.* Omne incoatum imperfectum est. At formæ rerum vbi vbi sunt, ibi perfectæ sunt. *Si enim perficerentur aut a seipsis perficerentur, aut aliunde: non a seipsis.* Nihil enim seipsum ducit de potestate ad ad actum. *Gocl. in Met. & philosophi passim. E. aliunde. E. aut a materia, aut agente, aut accidentibus. Non a materia: Omnis enim forma perficit materiã, non ab ipsa perficitur. Non ab agente: id. enim externum. At nullũ externum perficit essentialiter aliud. Non accidentibus. Esset n. perfectio accidentalis. E. si forma in materia est incoata & imperfecta, semper incoata & imperfecta κατ' οὐσίαν. De generatione igitur compositi & formæ corruptibilis sic: Generationis principium duplex est: vnum propinquum, alterum remotum. Colligitur ista diuisio ex 12. Met. t. 13. & 2. phys. t. 12. Propinquum generans est res naturalis seu sublunaris, remotum & adiuuans est corpus cœleste. Hoc generans propinquum aut est elementum, aut est viuens (nam de generatione misti non dicimus.) Si elementum generat elementum, V. g. aqua aerem, forma aquæ abit, & aeris recipitur, illa forma aeris non est a sole, sed est ex materia prima, non vt est materia, sed vt est forma, quæ euadit efficient. Nam ipsa materia prima si est, etiã forma est, vt acute disputat*

Taurellus in triumph. Philos. cuius haec propositio a praeter formas nihil est, & nihil componi potest *pag. 127. &c. Et haec forma est initium & quasi semen omnium aliarum formarum elementarium. Quanquam longe rationi conuenientius, nullam esse elemẽtorum inuicem transmutationem & generationem vicissitudinariam. Si viuens generat viuens, tum materia producitur a viuente, & cum materia vna formam propagat, a sua ipsius forma: sicut in augumentatione Philosophi docent, animam propagari ad partem accretam, & sicut ex parua scintilla ignes innumerabiles propagari & progenerari videmus.* Principia enim virtute sunt maxima, mole autẽ & quãtitate minima. *Arist. 1. soph. el. c. vlt. Forma igitur viuentis non vt forma, sed vt efficiens propagans viuentis formam cum materia a se producta propagat de se, vt recte etiam Scal. ex. 6. s. 11. Et sic certissimum,* agens naturale in agendo producere sibi simile. *Arist. 7. Metaph. Quid enim verisimilius est quam formam produci a forma. At quid de generatione aequiuoca, vt quando rana ex luto, & mus ex quisquiliis nasci dicitur? An haec forma a corpore caelesti datur? Asserit Scal. d. ex. 6. s. 2. & Durandus dist. 15. 2. p. & alii complures, qui existimant caelum a sua primaeua origine fuisse conspersum quasi virtute seminaria productiua istarum formarum: idque factum esse a natura omnium conditrice. Et addũt, naturam, quae impressit virtutem istam, esse caussam principalem, caelum autem instrumentariam. Hanc explicationem fouet etiam Colleg. Con. & multi alii viri docti in generatione aequiuoca. At nos cõtra. Primo principalis caussa generationis non est Deus, sed creatio-*

randi

nis: Deus enim creandi vim sibi soli reseruauit, generandi autem etiam principalem naturæ nostrati concessit, vt ex Genesi probatur. Et ordo talis. 1. Deus. 2. virtus generandi a Deo indita. 3. a virtute generandi vt a caussa principali est generatio naturæ nostratis, Secundo, si ita esset æquiuoca, quæ dicitur generatio, non esset generatio, sed creatio. Effectus enim nomen potius habet a principali caussa, quam instrumentali. Tertio, si propter istam virtutem quasi seminariam, formæ viuentium proficiscuntur, etiam formæ humanæ, etiam leonum, aliorumque animalium perfectorum, animæ inde euocarentur (quod etiam nonnulli statuerunt) at hoc absurdissimum. Connexio probatur, quia Deus æque virtutem illam cœlo inditam, ad leonum & aliorum animalium generationem dirigere potuerit. At experientiæ ista repugnant & rationi. Cœlum est aut principalis caussa generationis æquiuocæ, aut instrumentaria & remota. At principalis non est. 1. Consensu omnium 2. quia effectus non est nobilior sua caussa. Itaq; viuens non potest proficisci a non viuente. Omne enim viuens est nobilius nõ viuente. *Coll. Con. d. l. 2. de cœlo q. 1. art. 2. E. erit instrumentaria remota & minus præcipua. At* omnis remota & adiuuans seu instrumẽtaria caussa præsupponit proximam & principalẽ. *Quæ igitur illa est? Deusne? falsum. Deus enim est caussa principalis & proxima creationis, at generatiõis est caussa remota. Cœlumne? falsum. Aliquane intelligẽtiarũ? & hoc falsũ ex 7. primæ phil. t. 28. Generatio n. nõ est a formis separatis, cuiusmodi intelligentiæ. Scal. ex. 6. §. 1. Quæ ergo caussa generans proxima & principalis muris in quisquiliis, & ranæ in luto, quæ nasci dicitur? Lutũne?*

quisquiliane? neutiquam. Sed vis quædam a rana & mure in luto & quisquiliis relicta, aut certe occultum aliquod naturæ vivæ semen, cuius vita non exstincta est plane, sed consopita & quasi obruta, vt non possit exseri. Solis autem calore intrante & fovente denuo emergit, & integrum habitum ranæ aut muris resumit. Quod si vis illa plane esset emortua, viuens inde fieri non posset. Et vis ista non est accidẽs, sed substantia. Nam & Philosophis quædam vis substantia est *Scal. ex. 307. s. 16. & Arist. 7. Met. t. 32. Sed vis hæc: estne mus aut non mus? Resp. esse murem imperfectum, non quoad formam: illa enim vbi est, ibi perfecta semper; sed quoad materiam corpoream, per quã exserat actiones suas. Ex quisquiliis ergo non generatur mus proprie, nec ex luto rana, sed inde fit, sole ingrediente lutum aut quisquilias, formarum istarum promotio, ad officia exercenda, iusta materiæ complexione facta. Conf. Scal. ex. 6. s. 10. Quæ & ipsa vis excitata a Sole, sui corporis & domicilii est architecta. Themist. 1. de anima. t. 21.*

Ζήτημα Ethicum singulare.

An ius a iustitia, an contra iustitia a iure descendat?

Q*Væstionis triplex sensus. I. Aut intelligitur de rebus ipsis, quæ per voces significãtur. II. Aut intelligitur de ipsis vocibus. III. Aut denique intelligitur de ratione & appellatione nominis, hoc est, an res illa, quæ dicitur ius, eam appellationẽ a iustitia, an contra habeat? Si sensum primum spectes ius, res, est a re, iustitia, sicut a fine; & vicissim iustitia est a iure tanquam a caussa efficiente; ius enim medium, quo iustitiam cõ-*

sequi-

sequimur & generamus. Finis & efficiens sunt sibi inuicem caussæ. *Arist.2.phys. Zab.l.2. de med. dem. cap.10. Quod si ius non pro medio accipias, sed pro iusto, quod a iustitia habitu tribuitur, iustitia erit caussa efficiens, ius effectum in specie. Si secundum, vox hæc, iustitia, a voce, iure, generata, non contra. A voce, ius, vox, iustus, ab hac vox iustitia. An vero semper ordo rerum repugnet ordini vocum, alibi a nobis discussum est. Certum hoc non semper repugnare. A Deo sunt res omnes, sed non omnes voces sunt a voce hac Deus, ibi pugna. A frutice, voce, verbum, fruticor est, sed & ipsum fruticari, vt actio, a frutice est, vt substantia, vbi ordo vocum & rerum conuenit. Si tertium denique spectes sensum, veluti si quæratur, quæ sit ratio, quod res hæc iuris nomine sit insignita? ratio huius appellationis ex origine vocis reddēda est, & dicendum iuris appellationem a iubendo potius, quam a iustitia contractam esse, quæ notatio a forma est: iubere enim honestum, forma iuris est. Gocl. lib.1. inst. log.cap.21.* Et conuenientius est appellationes sumere a forma, quam a materia, & aliis caussis. *Zabarell.1.post.pag 11. Adde, quod si iuris appellatio ducatur a iustitia, quod tum non sit notatio seu Etymologia, quæ est nominis ex origine, seu interpretatio, seu nominis ratio.*

Ζήτημα Logicum singulare.

Quæ sit distinctio inter coniugationem, Notationem Logicam & Grammaticam?

D*Vo sunt communia trium istorum I. est quod in*

in iis cõmuniter deriuatio. II. Quod affinitas vocabulorum. Explicatio enim vocis græcæ per latinam nõ est notatio. Alias omnis vox haberet notationem. At non habet. *Scal. d. l. 3. de cauſ. lat. ling. c. 68. Differentiæ hæ ſunt*, in coniugatis deriuatur res a re, non vox a voce. *Goel. p. 2. pr. log. q. 2. Et Scal. d. l. 3. c. 70. In* Notatione Grammatica contra ſimpliciter deriuatur vox a voce, non res a re. *In Notatione Logica non ſimpliciter ducitur vox a voce, ſed quæritur, quæ ſit ratio nominis ex origine, cur ſcil. res hæc vel illa tali nomine appelletur. Alias Etymologia dicitur, quã Scaliger vbiq; nominis rationem. i. e. vim, qua vox a voce generatur, interpretatus eſt, ipſo eodem teſte & explicatore. l. 3. poet. c. 55. & 90. Ergo & in omni Notatione log. vox a voce ſit, perinde vt in Notat. Grammatica. Sed terminus a quo diſtinctus eſt: In Notatione Grammatica terminus a quo eſt cauſſa materialis, ſicut vnitas reliquorum numerorum. v. g. pellicio, a quo pellexi, a quo porro pollex. In Notatione log. terminus a quo omnes poſſunt eſſe cauſſæ, & præterea alia argumentorum ſpecies. Coniugatio logica & Grammatica deriuatio nonnunquam conueniunt, ſæpe conueniunt Notatio Grammatica & Logica, vt a rego, rexi, rexit, eſt rex grammatice, vt a cauſſa materiali, ſed & rex a regendo eſt logice vt ab effecto: Differentia tamen perpetua in modo & terminis diuerſe affectis.*

DISPV-

DISPVTATIO IX.

Respondente Paulo Piggelio, Noribergense.

ζήτημα METAPHYSICVM.

I. Num essentiæ & exsistentiæ voces sint ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων?

APprime nobiles sese ostentant de essentia & exsistentia controuersia, ad quas accessus nentiquam parandus; nisi prius voces re ista ἑνικῶς, an πολλαχῶς capiantur ex decreto Philosophi, supra quam fides est de philosophia bene meriti, explicem. Essentia fuse accipitur & restricte. Fuse accepta tam late patet, quam ipsum ens. Nullum n. est ens sine essentia. *Zab. lib. 2. post. ad cont. 5. Et si essentia nihil aliud est, quam rei cuiusq, forma, imo omnino res ipsa in Deo; in creaturis autem saltem ratione distincta. Confer Piccol. lib. 1. physic. ad context. 60. Pererium & alios. Sic* etiam materia prima essentiam habet, imo essentia est, *ex Scaligeri exercit. 17. Sic* omne accidens habet essentiam conflatam ex potentia & actu, *ex eiusdem exerc. 325. sect. 2.* Sic omne rite compositum est essentia, alias substantia, quæ est integrum & solidum subiectum. *Restricte essentia denotat partem compositi, quæ actus est, sicut materia potentia eo respectu dicitur, ex Aristot. 2. de anima, tex. 4. & 25. Vsurpat enim ἰδίως vocem, Generatim igitur essentia est qualibet res. Speciatim tantum actus seu rei pars præcipua, quæ κατ' ἐξοχὴν essentia nomi-*

natur. Exsistentiæ quoque vox perinde suos labyrinthos præ se fert, in quos, vt ne induamus nos, cautio esto. Adeo varie in Philosophis teritur, vt ambiguitate significationum non animaduersa non in luce, sed in tenebris te versari necessum sit: inuolutum ergo hoc euoluendum. I. Exsistentia sumitur pro cuiusque essentia proprietate, vt risibilitas hominis proprietas est, sic exsistentia essentiæ cuiusuis: Sic vsurpat Scotus 3. Sentent. dist. 3. quæst. 6. Itaq; ex Scoti acceptione axiomata hæc verissima sunt. 1. Omnis essentia iunctam habet exsistentiam, quod & nos protulimus in strena nostra Philosophica thes. 52. 2. Essentia & exsistentia simul oriuntur, simul intereunt. *Et sic accepisse etiam videtur acutissimus Scaliger, dum exsistẽtiam essentiæ a Deo additam negat. ex. 6. sect. 3. II. Exsistentia non est proprietas essentiæ, sed rei modus, quo res dicitur exsistere actu. Perer. lib. 6. Physic. cap. 13. Atq; ita ex opinione Pererii exsistentia nihil fuerit aliud quam essentiæ emersio, & in lucem, vt ita loquar, profectio. Quo modo etiam acceperit Thomas. 1. part. quæstion. 3, artic. 4. Et Zab. lib. de consist. indiuidui cap. 5. Et hunc passim secutus eximii genii & ingeni. Goclen. in met. ad c. 2. quæst. 4. §. 4. &c. Huc axiomata 1.* Omnis exsistentia præsupponit essentiam. *Vall. lib. de sacra Philos. pag. 9.* 2. Plura requiruntur ad exsistentiam rei constituendam, quam ad essentiam. *Zabarel. dict. lib. de constit. indi. cap. 5. 3.* modus exsistẽtiæ sequitur modum essentiæ. 4. Etsi exsistentia non sine essentia: essentia tamen potest esse sine exsistentia. *Thomas 2. cont. gent. cap. 52. adeo enim secernit exsisten-*

ſiſtentiam ab eſſentia, vt putet, poſſe eſſentiam alicui competere, ſine exſiſtentia. Confer Piccol.lib.1.de pr. rerum mater.cap.9.5. Exſiſtere actualiter eſt nobiliſſimus effectus: exſiſtere enim eſt quid maxime actuale, & quædam præcipua diuini eſſe participatio. *teſte Dionyſ. 5.c. de diuin. nominibus.6.* Omne exſiſtere eſt a forma. *Boet. 1. de Trinit.c.3. Quo pertinet celebre illud Peripateticorum:* Omnem exſiſtentiam eſſe vltimam actualitatem cuiuſque formæ ſeu eſſentiæ. *Fonſ. d.l.7.* Exſiſtentia ad eſſentiam ſeſe habet, ſicut actus ad potentiam. *Thom. d.1.parte ſum. q.3.art.4.8.* Sine exſiſtentia nihil exſiſtere poteſt. *Colleg.Conim.lib.1.phyſic.c.9. quæſt.2. art. 2. III. Exſiſtentia κατ᾽ ἐξοχὴν capitur, pro eo, quod a forma ſpecifica proficiſcitur. Sic Zabar. dicit;* quamlibet formam generalem conſtituere propriam alicuius rei eſſentiam, ſed exſiſtentiam actu, ſine ope formæ ſpecificæ, eam tribuere non poſſe. *Solam namq; ſpecificam formam eſſentiam conſtituere & facere rem actu exſiſtere. d.lib.de conſt. indiuid cap.5.*

2. Quomodo exſiſtentia ab eſſentia differat?

D*Ifferentia aliquatenus ex dictis conijcitur, ſed apertius & luculentius ſecanda. I. Omnis eſſentia eſt vel rei ſolida ſubſtantia, vel eſt ſubſtantiæ pars præcipua, vel omnis res eſſentia eſt. Ex prioribus.* II. Omnis exſiſtentia eſt quiddam additum eſſentiæ: *Vel vt proprietas perpetuo inſequens, ex ſententia Scoti: vel vt effectus formalis, qui non perpetuo eſſentiam ſequitur, qui effectus eſt talis, vt eſſentiam*

Præsentem declaret, & e caussis suis profectam & ad lucem protractam. Sic nonnulli dixere, res ante creationem habuisse essentiam in mente diuina, exsistentiam autem consecutas, dum actu extra mentem diuinam exsisterent. Aperte ergo distinguitur exsistentia ab essentia. I. Quia omnis proprietas a subiecto distincta. *Zab.lib.de fac.an.c 3.* II. Quia ea necessario differunt, quæ separantur, *Piccol.in Com polit. At ex sententia Thomæ & aliorum essentia alicubi est sine exsistentia. E. notetur tamen*, exsistentiam Dei & ipsius essentiam ne ratione quidem differre.

3. Substantiane sit exsistentia, an accidens, & quale?

HOc *exquisitu pernecessarium. Certum est, exsistentiam esse proprietatē essentiæ. Ex Scoto. Certum & hoc, exsistentiam esse cuiusq; essentiæ vltimam actualitatem, & omnem vltimam actualitatem esse essentiæ exsistentiam. Coll. Conn.d.lib.1.physs.ad cap.9. Deniq; & hoc certum inter omnes:* Omnem exsistentiam esse quid additū seu accedens ad essentiam *(De creatis rebus loquimur.) Hac exsistentia cum sit aliquid, aut substantia est, aut accidens. Nullum enim inter ea mediū. At substantia non est 1.quia proprietas, ex Scoto. 2. quia hominis substantia aut materia est, aut forma, aut quid inde conflatū. Arist. d.lib. 2. cap.1. de anima. Ab hac demum substantia exsistentia est, velut effectus, vt docent. Exsistentia omnis est actus secundus. Proficiscitur enim ab essentia. Gocl.in metaph.c.7. Et* indubitatum, *inquit Zabarella*, est, vel substantiam suæ exsistentiæ caussam esse, vel in sua essentia eam caussam contine-

re.*lib.*

re. *lib. 1. de prop. necess. cap. 7. Hæc exsistentia etiam foret substantia diuersa ab essentia; iam essent duæ substantiæ, & proinde duæ essentiæ singulares & vltimæ in quouis indiuiduo, quod absurdum. Ergo necessario erit accidens. Recte ergo Scaliger:* exsistentia essentiæ accidens est, nihil enim addit essentiæ, quod eam faciat non essentiam; aut plus quam essentiam. *d. ex. s. 3. Accedit huc, quod etiam accidentium sua sit exsistentia.* Omne enim ens actu exsistentiam habet. *Esse enim actu, aut exsistere, vnum est. Cum ergo accidens, realene an intentionale? Zab. intentionale, facit 2. post. ad contex. 3. Scaliger autem reale. d. exerc. 6. sect. 13. Distinguendum est. Essentia, cuius comes est exsistentia, aut realis est, aut intentionalis. Si realis; exsistentia erit realis; sin intentionalis; exsistentia quoque erit talis.* Exsistentia sequitur modum essentiæ, *fere omnium consensu. Quod si essentia omnis esset accidens intentionale, omne reale exsisteret et intentionaliter, & tantum in mente.* ἀδιλόσοφον. *Rursum, si omnis exsistentia esset realis, id quod vere & in cogitatione mentis exsistit, exsisteret realiter & materialiter: quod est contra Philos. 3. de anima. t. 38.* Sicut igitur res est, sic eius exsistentia,

4. Quæ sit vera caussa efficiens exsistentiæ?

AT porro quæro, quænam sit exsistentiæ vera caussa efficiens? Subtiliss. Scoto eiusq; asseclis facilis hic est expeditio. Sed Thomæ & aliis, opinor, non æque. Dicunt quidem esse ab essentia: Sed & iis essentia potentia est instar: & exsistentia actus: ideo-

que omnis exsistentia dicitur ipsis superare essentiam, & hac ipsa esse nobilior. Colleg. Conimb. d.lib. 1. phys. Longe enim quippe excellentius exsistere, quā esse quidem, sed nondum exsistere. Atqui nulla efficiens nobilior est suo effectu, *vt alibi comprobatum. Hi nodi soluendi. Exsistentia vel seorsim perpenditur ab essentia, vel cum ea coniunctim. Hoc modo, nobilior est exsistentia seorsim considerata, non illo. Suppeditat hanc distinct. Piccol.g.5. phil.mor.cap. 60. At quanam vera caussa efficiens? essentiane, vti volunt; actum enim secundum exsistentiam dicunt omnes, qui Thomam & Zabar. sequuntur. At enimuero non queo hic ad sententiam eorum accedere, obicem enim obiicit ratio, quam in philosophicis sequor. Dicam; exsistentiam necessario esse ab agente quodam externo; aut ipsos labi volentes nolentes in opinionem Scoti. Ostendo sic.* Omnis essentia promouet se ad effectum aliquod. *Ille* effectus aut operatio, aut opus, aut emanatio. Omnis enim effectus est vnum istorum. *Cum ergo exsistentia sit effectus essentiæ, qualis is quaso te.* Operatione? *Non. Exsistere enim esset operari; si exsistentia esset operatio. At quis dixit vnquam, exsistere esse operari? Socrates enim exsistens, quatenus quidem exsistit, non operatur; sed omnis operatio est ab esse, quod coniunctum cum exsistentia. Adeo vt pronuntiem audacter,* operationem esse, vbi alicius rei exsistentia, proinde & essentia. *Opus ne? Ne hoc. Omne enim opus per emanationem: intercedit ergo inter essentiam & exsistentiam ipsius essentiæ operatio. At operatio nulla sine exsistentia.* Præsupponit enim operatio exsistentiam. *Ergo operatio non pracedit exsistentiam, sed eam necessario*

ſtrio ſequitur. Relinquitur ergo, vt ſit emanatio ab eſſentia. At omnis effectus per emanationem ſubiecti eius, in quo cauſſa eſt proprietas, vt partim docet Zabar. & alii. Hic ergo lapſus in opinionem Scoti. Adde, quod ἀδύνατον, idem ſeipſum poſſe promouere ac exſiſtere ſine exſiſtentia. Niſi eſſentia exſiſtat intus, non poteſt efficere vlla ſua ipſius ope, & opera, vt exſiſtat foris. Quare prorſus nego exſiſtentiam eſſe effectum formalem eſſentiæ; aut Scoti ſententiam eſſe accipiendam. Quod ſi Thomiſtæ omnino à Scoti opinione alieni eſſe cupiant, exſiſtentiæ cauſſam externam faciant neceſſe eſt: quæ ipſam eſſentiam ad exſiſtentiã promoueat. Hæc aut Deus erit, aut natura diuinis præceptis onerata. Scotum magis ſequendum duco: nec agens externum excludo. Eſſentia ergo ſit cauſſa efficiens exſiſtentiæ per emanationem, qui effectus, vt præſens ſit, & oculis q. ſubiiciatur agens externum, quod exſiſtentiam illam internam promoueat omnino requiritur. Sed ſciant huius diſciplinæ ſtudioſi, ſæpe τὸ eſſe & exſiſtere confundi. Proprie autem exſiſtere eſt quaſi exſtare, & eminere. Eſſe autem proprie ſine illa exſiſtentia eſt.

5. Num ideæ, ſeu formæ in mente diuina ſint formæ rerum noſtratium, & an Deo eſſentiales, vel accidentales?

PLato comparat Deum cum perito quodam ſculptore, qui ideam aliquam, ſeu typum aliquem futuri operis in mente habet: In Hippia minore. Nec audio hic Albertum Magnum, qui hoc Platoni affingit portentum, quaſi ideas ſummo ſtellarum orbi

impressas statuerit: & adducit Trismegistum dicentem, docentemq;, nec lapillum inueniri in hac terra, cuius non proprium exemplar exsistat in cœlo. *Absurda hæc. Ad rem. Sicut ergo architectus moliturus ædificium, eius ideam in mente conformatam gerit, sic Deus mundum, & omnia, quæ in eo producturus erat, ad ideas, quas in mente habebat, respexisse, easque harum rerum formas esse Plato voluit. Sed male tractatur a Peripateticis. Aiunt enim si ideæ in mente diuina sunt, vt informent, Deus omnia hæc informabit. Scaliger ex. 6. sect. 3. Deus erit in omnibus vt forma, quod ἄτοπον. Dicendum, ideæ in mente diuina formæ sunt non informantes, sed ad quas res omnes informentur, sicut nec artificis idea transit in ædificium, sed secundum illam exstruit ædificium. Et hæ ideæ in mente diuina exsistunt eminenter, longeq; perfectiores sunt in Deo rebus ipsis ad ideas illas effictis. Res enim ficta ad ideas sunt idearum quasi vmbra. De his ideis porro disputatur, an dentur, & si dentur quid sint? Si in Dei mente sunt, aut substantia erunt, aut accidentia. Non substantia,* quia vna Dei simplicissima substantia. *Non accidentia, quia* in Deũ nullum cadit accidens. *E. non sunt. At esse S. literæ docent; quibus repugnare impium. Quid ergo illæ ideæ? Respondeo esse ipsam Dei sapientiam, quæ vnica est & ἀδιαίρετος. Ideo substantia in Deo, imo ipse Deus.*

6. Num

6. Num mundus & omnia, quæ in eo, in mente fuerint diuina quoad essentiam, foris autem quo ad exsistentiam?

NOn e vulgo hæc contemplatio; sed quæ a magnis Philosophis agitata. Acutissimus Dunesius censuit: Res habere essentiam & exsistentiam. Et in creatione res, quā habebant essentiam in mente diuina, id est, in ideis, mutationem passas addita exsistentia. Scal. ex. 6. ſ 13. Hoc falsum ait Scal. quia Deus nihil creasset, nisi exsistentiam, quæ est accidens 1. Essentiæ enim in ideis fuerunt ab æterno, & sic mundus fuit ab æterno. Deinde creatio non esset constitutio substantiæ ex nihilo. Non enim omnia creasset ex nihilo, sed omne ex se, quod est impium. Promsit ergo Deus nouas formas, non quidem ex se, sed ideis illis, seu formis, quas in se habebat, similes, non simpliciter quidem vninocas, sed analogas, quæ non erant, nisi in ipsius voluntate, quas fecit, vt exsisterent nouo quodam modo contingenti. Omne enim præter Deum contingenter exsistit, quia omne præter Deum contingenter est: Potuit enim non esse. Confer. disputat. 7. quæst. harum.

Ζήτημα Physicum.

1. Quidnam sit resistentia, & vnde sit?

IN omni fere motu cum sit resistentia, V. g. cū pello te e Musæo, tu pelleris, sed in eo ipso, dum pelleris, resistis. Si enim non resisteres, in momento mouereris. At nullus motus localis fit in momento, sed

in tempore. *Arist. 6. phys. t. 50. &c. Quid illa sit resistentia quæritur? Deinde vnde ortum trahat? Pomponatius in tract. de reactione part. 1. c. 3. dicit resistentiam neq; esse actionem, neq; passionem, sed impedimentum quoddam, ideo resistere esse impedire. At petitio principii hæc: quæro enim quid sit ipsum impedire? Ille qui impedit, certe aget aliquid.* Nemo patiendo quidquam, impediet quidquam. Resistere ergo est quodammodo agere. Sed nullus resistit, nisi agenti. *Piccol. lib. 5. de pr. rer. mat. c. 18. At* agens non agit, nisi in patiente. *Zab. lib. de misti gener. & inter c. 7. Ergo resistentia erit non in agente, qua agens, sed in patiente, qua patiens. Dicam enim: Omnem passionem esse coniunctam cum resistentia. Ideo non est ipsa resistentia. Sed in patendo fit resistentia. Hæc resistentia necessario erit occulta, imo per metaphoram dicta quædam actio. Nullum enim patiens, qua patitur, proprie agit. At omne patiens, qua patitur, resistit. Si enim non resisteret, fieret in non tempore, & natura patientis non intenderet conseruationem sui. At intendit. At quæ resistentiæ illius caussa efficiens? Zabarella ad solam formam eam refert, non in materiam.* Primam enim caussam passionis nō posse esse caussam impediendi eam. *lib. de react. c. 5. At ego materiæ quoq; resistentiam illam adscribo. Elementum mouetur. At in illo motu resistentia Ea non est a forma, quia illa agit. Ergo necessario erit a materia, non quidem qua materia est, sed qua actus quidam. Nam & ipsam materiam actum diximus supra. Definitio erit ergo: Resistentia est* pugna seu interna quædam actio contraria patientis cum agente, ab actu prodiens, vt agentis actionem pro facul-

facultate repellat ad conseruationem sui. *Piccol. d.l.5.c.18.*

2. Quomodo fiat reactio?

S*Caliger redactionem vocat ex.91.s.1. & actionis reciprocationem exer.18. Hanc Arist. manifeste posuit in rebus naturalibus 3. phys. t.8. & 19. Profitetur n. Omne* mouens physice in mouendo, id est, dum mouet, moueri. *Sed hac redactio non inuenit locum, nisi vbi materia est communis. Idcirco professus est idem:* Quæ conueniunt in materia communi, ea inuicem agere & pati. *1. de ort. & inter. t. 53. Describitur sic:* Reactio est retributa quædam mutatio, qua id, quod patitur, renititur aduersus agens, & illud commutat, dum ab illo mutatur, adeo, vt & agens pati, & patiens agere aliquo modo dicatur. *Zab. lib.1. de react. c.1. Estq́, duplex, vna in motu alterationis; altera in motu locali. Nam in mutatione substantiali, sicut neq́, in accretione & imminutione nulla proprie dicta est reactio. Gocl. lib. 3. disp. phys. disput. 26. In motu alterationis est, quando duæ contrariæ qualitates inter se agunt & mutuo patiuntur. Scal. d. ex. 61. s. 1. vt quando calidum calefacit frigidum, & frigidum vicissim frigefacit calidũ. Sicut in niue fit manu comprehensa. Et in ferro ignito in aquam coniecto. Ratio est, cur hæc detur reactio, quia calidum est potestate frigidum, & frigidum potestate calidum. Arist. d. 3. phys. t.8. & 16. Deinde, si non esset illa mutua actio & passio, nulla fieret mistio. At mistio est. Est igitur redactio illa qualitatum contrariarũ a natura instituta, admistionis negotiũ exhauriendũ. Quæ nulla fieret, nisi qualitates contrariæ*

refringerentur. Refractio autem nulla fiet sine reciproca quadam actione. Qui ergo negant redactionem, eadē illi opera negant mistionem. Et negabunt praeterea duo contraria aequaliter fortia & valida agentia apposita inter se non agere. Gocl. d.l.3. disp. 17. Quod absurdum in motu locali est, quando pellens & pulsum inter se agunt & mutuo patiuntur. Omne enim pellens vicissim pellitur. *Arist. l. 4. de ort. anim. c.3. In omni autem redactione termini vel sunt aequalium virium, vel inaequalium. Si illud: vtrinq; recte dicitur agens, ac ibi non fit alteratio. Si hoc: alterum proprie dicitur patiens, alterum agens: patiens quod succumbit, agens quod vincit. Et hoc demum ex actione completa intelligitur, non ex illa, quae ad actionem completam tendit. De illo Peripateticum:* Actio fit ab inaequali superante.

Ζήτημα Ethicum.

1. Quomodo iustitia contineat in se omnes virtutes?

D*ictum superius nonnihil de iustitia, sed dictum de eius putamine, quod dictum, de nucleo nihil. Neutiquam ergo decet, vt hic statim interiungamus, inq; alias horas operam coeptam differamus, vt cum Seneca loquar de vita tranquill. ep. 80. Quaerimus igitur quomodo iustitia dicatur in se complecti virtutes omnes, ex Arist. 5. Eth. c.1. Et ex Theognidis illo:* ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι. *Intellige autē hoc de vniuersali iustitia, quae est obedientia erga omnes leges. Deinde virtutes nō quaeuis comprehendi ab ea dicuntur, sed morales tantum.* Iustitia n. non est virtus intellectus. *Arist. 7. de Rep. c. 14. 1. Eth. c. vlt. & 6. Eth. c.*

Eth.c.1. At quæ virtus non est in intellectu, sed in alia facultate, ea virtutes alius facultatis comprehendere nequit. Dicatur ergo comprehendere morales. Comprehendet ergo & iustitiam particularem, & ceteras morales vniuersas. At omne comprehendens & continens reipsa distinctum a comprehenso & contento videtur. *Scal. ex.5.sect.3. At virtus moralis a iustitia hac reipsa & subiecto non distinguitur. Arist.d.5.Eth.c.1. Si vna ergo eadẽq; essentia vtriusq;, quomodo alterutra alteram continebit? Vna eademq; essentia sibi semper æqualis. Aut ergo falsum erit, iustitiam continere in se moralem, aut falsum erit, eandem vtriusq; statui essentiam. Non soluo hic debitum, sed ad quæstionem logicam id necessario differo: vnde debitum tibi repræsentes ipse.*

2. Eccur Aristoteles vniuersalem addiderit iustitiam?

SI morales virtutes idem reipsa Philosopho, vt antea ex ipso dictum, cum iustitia vniuersali, quid attinuit eam seorsim tradere ab ipsis, & tam mirificis laudibus extollere? Certe prudenti consilio addidit, vt ne quis sibi soli, & in occulto viueret temperanter, fortiter, liberaliter, & sic deinceps, sed vt & aliis eum viuendi modum verbis & factis exprimeret, adeoq; cum ipsis eum, si posset, cõmunicaret. Per temperantiam sibi quisq; viuit temperanter, sed addita iustitia vniuersali etiam aliis temperantiæ exemplum præbet. Per morales virtutes quisq; priuatim viuit, sed per vniuersalem iustitiam eas ad publicum bonum promouemus, & dirigimus. Iustitia enim est virtus communicatiua sui. 3. polit.c.8. Cic.2.de Rep.

3. An iustitia tota sit ἀγαθὸν ἀλλότριον?

AIt *Cicero*, eam totam se ad alienas vtilitates porrigere atque explicare. *dict. 2. de Rep. Et Philosophus ait dict. 5. Ethic. cap. 1.* morales virtutes referri ad habentẽ, iustitiã ad alterum. *Quid? Ergo homo, in quo iustitia habitus est, tribuit alteri tantum, quod suum est, & sibi suũ non tribuit? Neutiquam:* iustitia enim adeo iusta est, vt & sibi, & ei in quo est, non possit non esse iusta & æqua. *Si alii prodest, multo magis habenti eam & sibi. Cur ergo Philosophus eam ad alterum refert. Dicemus: Moralis virtus refertur ad habentem, iustitia ad habentem & ad alterum. Ad alterum πρώτως, ad habentem δευτέρως, sicut medicus curat ex scopo alterum, ex accidenti autem & seipsum.*

4. An duæ tantum sint particularis iustitiæ species?

EXcellens *virtus iustitia particularis, excellentior tamen vniuersalis. Arist. d. 5. Eth. c. 1. Vel ob id idem, quia hæc etiam illam comprehendit. Particularis vsitate diuiditur in distributiuam, quæ est secundũ proportionem Geometricam, & commutatiuam, quæ est secundum Arithmeticam. d. 5. Ethic. c. 3. & 4.* At enim *triplex esse videtur:* vna quæ tradit & distribuit *vnicuiq; sua.* Altera quæ *sua vnicuiq; restituit.* Tertia demum, quæ *sua vnicuiq; permittit. Mocenicus contemplat. 5. part. 1. c. 19.* Vnde illa distributiua, ista emendatiua, hæc permissiua nuncupatur. *Responsio facilis*: Omnis virtus moralis parit aliquem actum. *Laus enim virtutis in actione consi-*

consistit. 4. Eth. c. 1. Atqui permissiua illa nullum actum parit, sed iniustitiæ carentiam simpliciter arguit. Mocenicus d. contempl. 5. Ergo virtus non est. Species ergo iustitiæ particularis tantum erunt distributiua, & emendatiua seu correctiua. Illa iniustitiā præcessisse non supponit: hæc autem partim iniustitiā non præcessisse supponit, vtpote dū mutuata restituuntur, & in contractibus seipsi contrahentes iusto pretio nulla ex parte defraudant; partim in quibusdam iniustitiam præcessisse supponit, vel certe, an præcesserit, animaduertit: & vero quandoq; rem potius respicit, quam personas, aliquando potius personas, quam res. A priori officio proprie commutatiua, a posteriori emendatiua nomen sustinebit. Dum versatur circa res, ea corrigit, quæ iniuriam continent, sed absq; vllo crimine illius, qui aliena retinet, accipit seu petit. His enim ideo retinet, vel accipere intendit, quoniam opinatur se ea retinere seu petere, quæ vel sua sunt, vel sua esse probabiliter suspicatur. Itaq; iniusta fortasse agit, sed non iniuste, nec vere iniustus est. Hæc igitur iustitiæ pars vere ciuilis appellari solet, quoniam versatur circa ea, quæ nullum voluntatis defectum continent. Dum personæ emendandæ sunt, semper patientis incommodo adiungitur agentis crimen; errat enim non ex opinionis defectu, sed ex voluntatis deprauatione. Itaq; hæc iustitiæ pars criminalis dicitur. Confer prolixius Mocenicum dicto loco. Ex his colliguntur quatuor iustitiæ particularis species, Distributiua, Commutatiua, Emendatiua, Ciuilis & Criminalis. Ergo non sunt duæ? *Respondeo, commutatiua acceptu generaliori hos modos sequentes in se continet.*

5. Fortitudone an temperantia præstantior?

SCalig. l.3. Poetices c.1. Temperantiam nominat matrem & normam ceterarum virtutum omnium. *Nam, inquit, si virtus est medius habitus inter extrema, nulla potest esse virtus sine temperantia. Quin et ipsis in contemplationibus, si quis, quemadmodum oportet, statuat modum, nō sine temperantia efficere possit. Hoc ipso est liberalitas id quod est, ne sit pdigalitas: fortitudo, ne sit temeritas: iustitia, ne sit rigiditas. Hæc Scaliger. Vnde certo concluditur, Tẽperantiam quauis virtute esse præstantiorem, nedum fortitudine, cum omnes ab ipsa pendeant & dirigentur; Sed confundit clarissimus vir mediocritatem, & temperantiam. Temperantiæ vocem perinde, vt mediocritatis, accipit. Propriè n. temperantia est mediocritas circa voluptates corporis & dolores, qui ex rei iucundæ priuatione animo cōcipiuntur. Arist. 3. Eth. c. 10. De hac quæstio; An præstet fortitudini. Hoc sic iudicabis: Fortitudo & temperantia sunt virtutes connexæ, ita vt altera sine altera esse non possit. Conf. Picc. g. 4. Philosophia moralis c. 24. In hac cōnexione vtra earum præstantiores & splendidiores ediderit actiones, ea erit præstantissima. At tales edit fortitudo. Cic. 1. offic. & Arist. d. 3. Eth. c. 6. Tuetur enim & conseruat inter homines ciuilem societatem. At hoc non facit Temperantia, ea tamen tuetur & conseruat in pace superiores & inferiores animæ facultates. Deinde fortitudo in difficilioribus versatur, quam Temperantia. Arist. d. 3. Ehic. Virtus ergo præclarior.*

rior. Virtutis, enim proprium est, versari circa difficiliora.2.Ethic.c.3.

Ζήτημα Logicum.

Totumne contineat partes, an partes totum?

TOtum dicimus continere partes, quibus tamen neutiquam illud maius. *Scal.exerc.5.f.3.* fed & dicimus partes continere totum. *Gocl. part.2.problem.log.quæst.4. Cauponici isti loquendi modi, nedum philosophici, tantum abest, vt sint subtiles. Scal.ex.104.f.17. Esse Cauponicos ostendo*; quia totum & partes coniunctim accepta sunt re ipsa, imo numero vnum cũ toto. *Ex disp.5.q 2.*pueriliѕ *siquidẽ* error, ea essentiis distingui, in quib. essentia non alia, aut distincta. *Scal. ex.307.f.14. Dicimus partes esse in toto.* Eæ neque intus neque foris sunt: neq, continent, neq; continentur, sed sunt cum illo idem. *Forma est in materia, & est in toto: Sic enim loquimur: Cum tamen pars totius sit. Quomodo est in toto, si totius pars est forma ipsa? Est igitur ὡς στοιχεῖον ἐνυπάρχον πρὸς τὴν πλείωνων. Scalig.exer. 307.f.vlt. Et tamen non exprimit, quomodo pars sit in toto. Subtilitas igitur rei excusat modum loquendi, qui in hac parte non est Philosophicus & accuratus, sed Cauponicus.ex d.exer. 104.sect.17.*

DISPVTATIO X.

Respondente eodem Piggelio.

Ζήτημα METAPHYSICVM.

1. Vtrum singularia sint natura priora vniuersalibus?

B*Ellum & scitum id, quod* Parmenides iudicium veri, non in sensibus, sed in sola mente posuisse dicitur, *teste Laertio in Parmenidis vita. In dubiis igitur dissipandis & tenebricosis illustrandis, non tam sensum, quam mentem afferre par est. Faciamus & hoc in quæsito proposito, vt ratione iudicasse, non sensu, iudicemur. Vniuersale autem est triplex.* I. Vniuersale ante multa, *quæ est idea Platonica, quæ omniũ singularium & vniuersalium in eo generationẽ antecessit. Confer disp. præc. q. vlt. metaph.* II. Vniuersale est in multis, *quæ est natura communis cũ indiuiduis æquè communicata, vt natura humana æque singulis hominibus insita. Zab. 1. post. ad t. 8.* III. Est vniuersale post multa, *quale est, quod ex indiuiduis animo colligimus & abstrahimus. De medio illo vniuersali quæstio facta est. Vniuersale hoc vel substantia est, vel accidens. Substantia quidem, quod de substantiis indiuiduis; accidens autem, quod de accidentibus singularibus producatur.* Omne autem vniuersale mente collectum accidens est, & quidem intentionale. *Scalig. exer. 307. sect. 22. Elegantissimus Flacius* vniuersali illo singulare natura prius esse docet. *l. log. gen. c. 3.* Et *generatim* contendit, omne singulare esse prius vniuersali. *Item.*

Omne

Omne commune posterius natura est iis rebus, quibus commune est. *I. ratio. Aristoteles partitur substantias in primas & secundas, ac singulares vocat primas, quia sunt natura priores speciebus & generibus substantiarum. II. Quia* omne quod commune est necessario ante statuit res, in quibus fit ea communitas. *Communitas ergo est in singularibus veluti in fundamento. III. Quia* vniuersale totum est respectu singularium, & singularia partes. *Atqui omnis pars natura prior toto. Contra sic. I.* Omne constituens prius constituto. ἔνδηλον. *Atqui* vniuersale, vt genus, constituit suo modo speciem, & species indiuiduum. *Zabarell. lib. 1. post. ad cap. 4* II. A natura prioribus est ordiendum in disciplinis. *Arist. 1. phys. t. 27.* At vniuersalia sunt natura priora, *vti expressum est 1. Physic. cap. 1.* & origine sunt priora. *2. de gen. anim. cap. 3. Cum igitur a singularibus non incipiamus, sequitur ea esse natura posteriora.* III. Omne totum potestate est natura prius, quam totum actu, potestas enim recipit actum, & actus est in potestate tanquam ente ignobiliori. *Piccol. 1. Phys. ad t. 4. Atqui indiuiduum est totum actu: species totum potestate. Ibid.* IV. Id quod fit, est natura posterius eo, vnde fit. *Ad ex* genere & differentia fit aliquid, nempe vnum per se. *Arist. 8. met. t. 42. Ergo genera & differentias natura oportet esse priora suis speciebus: hac ratio fere conuenit cum prima. Atque hac sententia verior est, & Philosophiæ magis consentanea, Flacii argumenta facile dissoluuntur. Solutio primi. Substantia singularis dicitur prima Aristoteli, non quia natura sit prior secundis, sed quia dignitate & præstantia. Singularis*

enim substantia continet in se vniuersales. Hinc in indiuiduis tota categoria subsistere dicitur. Solutio secundi. In secundo argumento fallacia est communionis; id enim manifeste accipit pro eo, quod prædicatur, non inest singulis indiuiduis. Atqui ibi labitur ad vniuersale post multa. Solutio tertii. Singulare respectu generis & speciei magis est totum, quam species & genus. Sic species comparata cum genere distincta ratione sunt partes, per propriam differentiam, quæ est altera earum, quæ diuidunt genus: totum vero; quia species ex genere, tanquam ex materia: & differentia, tanquam ex forma constat. Species autē magis est totum, quam genus, quia species actum habet perfectiorem, quam genus. *Piccol.d. lib. 1. Phys.ad cont.4.*

2. Num omnis species totam generis naturam in se contineat?

OMnem speciem totam generis naturam in se continere *propositio est Scal.lib.5. de caussis lat.lin.c.100. Hanc, vti decet, modeste examinabo, sed breuiter & dilucide. Non n. vera videtur; cum sit tamen. I. Si namq; tota generis natura in vna specie est, in vna quoq; specie seruaretur.* Quod n. totum inest in re quapiam, illud tam diu, quā diu subiectum saluum est, conseruari necessum est. *At* genus in vnica specie non conseruatur. *Fons. 5. metaph. c.28. q.16. sect.3. Ratio,* quia genus totum nihil est præter species. *Aristot.7. Metaph.c.11.t.43. Et* nullum genus vnicam habens speciem datur, nec dari potest. *Zab. 1. post. ad con.38.* 2. Omne genus, qua genus est, totum quiddā est *Arist.1. Phys.c.1. Et sic species necessario pars.5. met.t.30. At ἀδύνατον,*

τον, vt totum contineatur in parte. *Non equidem inficias imus, genus nihilominus etiam esse in specie, sed ea ratione genus non est genus, proinde nec totum. Attamen, inquies, genus, vt totum, prædicatur de specie, vt parte.* Nulla enim pars de toto prædicatur in casu recto. *Zab. libr. 2 post. sub fin. cont. 6. Ergo totum quoque genus inerit in specie vel vnica. Respondeo: De quauis specie genus prædicatur totum, sed imperfecte; de vniuersis autem perfecte, quia vniuersis perfecte inest, vni autem imperfecte. Quæ distinctio ex Fonseca depromta est. d. lib. 5. metaph. c. 28. q. 16. s. 3 Vt ergo Scaligerum rationi concilies,* omnem speciem totam generis naturam imperfecte continere dicito: *seu, speciem continere totum genus, non vt totum, sed vt partem: seu, speciem continere totum genus secundum essentiam, non extensionem, seu latitudinem Hinc axiomata.* I. Nullum genus perfectũ est in vna duntaxat specie. Genus non est vna aliqua numero in rebus natura cõmunis, *sed* multa, nempe in hac specie, & in illa. *Hæ multæ collectæ in vnum verum genus efficiunt. Itaque* vniuersale erit imperfecte in singulis speciebus; in vniuersis autem perfecte. *Quæ vniuersitas mente colligitur.* Itaq; vniuersale scilicet post multa, & particularia illa in multis, sunt vna eademq; res: si namque essent diuersa, non inueniretur ratio, cur ex apprehensione particularium vniuersale conciperetur. *Zab. 2. post. anal. t. 106. Hæc autem particularia, vnde cõportatur quasi vniuersale & gen⁹, singularia ne? Neutiquã, sed in singularib⁹ sunt, & vniuersaliũ initia & incũabula.* Non n. potest, vt id quod

per se & in natura singulare est, fiat a mente nostra vniuersale, nisi in natura fuerit ante quodammodo vniuersale, aut vera vniuersalium initia; intellectus quandoquidem non creat vniuersale, sed sparsa vniuersalia per species colligit & genus esse dictitat. *Vide Scalig. ex. 307. s. 21. vnde & vniuersalia realia esse audacter concludimus, arcteque philosophice quidem illud defendimus.*

At inquies, vt redeamus, vnde abiimus: si genus imperfecte inest in specie: verbi gratia, animal in homine, homo non erit perfectum animal, sed imperfectum, quod absurdum Respondeo. Homo est perfectum animal: & animal inest perfecte in homine secundum essentiam, non determinationem essentiæ. Essentia enim generis determinatur & perficitur oppositis differentiis.

Ζήτημα PHYSICVM.

I. Vtrum in Elementorum mistione formas elementares natura excedere iubeat?

P*Ereleganter id disputatur. Alii differunt formas Elementorum in mistum non ingredi. Alii eas ingredi volunt. Illi nituntur præcipue dicto Aristot. 1. de gener. t. 84. vbi Elementorum virtutes in misto remanere dicit. At Auicenna & alii formas ipsas integras manere ponunt, sed ita, vt a minimo minimum contingatur. Cum his in parte facit Auerroes, Zabarella, & alii Scal. ex. 16 non remanere formas concludit: Sed ipse tamen easdem misto necessario includendas esse recantat. ex. 101. sect. 1.* Est autem mistio motus

corpo-

corporum minimorum ad mutuum contactum vt fiat vnio *Scal.ib. In hac nos formas elementares necessario relinqui probamus & asserimus. I. Qualitates sese dant in mistum, Ergo etiam formæ ipsæ Elementares. Si enim insunt qualitates, necesse est eas ab aliqua substantia illatas esse. At fieri non potuit illa illatio, nisi a propria substantia. Scal. ex. d. sect. 10. Propria autem substantia qualitatum, & propria principia sunt formæ. Ingressas ergo & ipsas formas necesse est, ingressis qualitatibus.* Neque enim ipsæ qualitates aliquo ituræ sunt, nisi eant vna substantiæ, in quibus per se insunt, & a quibus necessario prodeũt, & a quibus auelli nequeunt. *Neque ipsa forma Elementaris abibit quopiam, nisi propria sua qualitate assumta. II. Si formæ non vna se dent intro in mistum, nec qualitates sese inferent, adeo arcto complexu sese osculantur. Ergo nullum erit ex Elementis mistum. At* ἄτοπον. *III.* Elementum in misto inexsistit. *Arist. 5. metaph. t. 3. At* quidquid inexsistit in re aliqua, id secundum essentiam & formam inexsistit. Inexsistentia enim necessario supponit exsistentiam. At hæc necessario essentiam & formam, *ex disp. pr. q. 4. Ergo formæ insunt. IV. Omne mistum in elementa dissoluitur. Arist. l. 1. de ort. cont. t. 4.* At nulla fit aliquorum dissolutio, nisi eorundem facta fuerit ante compositio: *manebunt ergo formæ in misto, verum non integre, sed refractæ & ad mediocritatem quandam redactæ, id quod ipsum etiam de qualitatibus omnino dicendum. Confer liberaliter hanc materiam decidentem Zab. lib. de mist. cap. 3. & seqq.*

2. Num anima ſecundum eſſentiam toti corpori adſit, & cuilibet corporis parti?

Quæſtionem illã conſulto ſic informamus, ne quid vel abſurditatis, vel in loquendo inſolentiæ committamus. Circa quam duæ ſunt obſeruandæ propoſitiones. I. Anima vbi eſt, ibi tota eſt ſecundum eſſentiam: ἀμέριστος enim. *Et dicitur totum quid, non quod in partes ſecetur, cum partes habeat, ſed quod poteſtates & ſpecies. Ideoq; totum poteſtatiuum nuncupatur, certe diuiditur anima in in poteſtates & ſpecies, in membra ſeu partes proprie dictas diuiditur nunquam. Quamobrem duriuſculum eſt, quod Zabar. librum de partitione animæ inſcripſit, molliuſculum fuiſſet, ſi de diuiſione animæ.* II. Animam *conſiderari poſſe quatrupliciter.* 1. ſecundum ſubſtantiam. 2. ſecundum extenſionem. 3. ſecundum facultates. 4. ſecundum operationes. *Quæ propoſitio diuiſa plurimum lucis nebulis obſcuriſſimis adferet. Iam ad quæſtionem, quæ ſciri cupitur, an anima ſecundum eſſentiam toti corpori adſit, & ſingulis eius partibus? Alii animæ ſubſtantiam membro alicui præcipuo infingunt: vnde poteſtates & facultates in reliquas partes corporis effundat. Alii eius ſubſtantiam per totum corpus & per omnes eius partes diducunt & quaſi extendunt, ita nulla ſit pars corporis, in qua anima ſecũdum eſſentiam non latitet. In illa ſententia eſt Albertus Magnus, & complures alii etiam ex recentioribus. In hac Zabar. Philippus & alii. Nos cum his ſtatuimus & ſentimus. 1. Animam eſſe formam animalis in confeſſo eſt, nec a quoquam ſano negatum.*

2. ita

zita comparatam, vt permeare etiam possit crassiora membra per essentiæ subtilitatem. Nunc ita argumē-tari insistemus. I. Omnis forma informans & constituens compositum extenditur ad extensionem materiæ. *Aristot.8.Physic.cont.78. At anima est forma informans & constituens compositum. Zabarell.lib.de nat.cap.9. Ergo anima erit diuisa ad diuisionem materiæ, proindeq́ in toto corpore & in qualibet eius parte. Etenim* materiæ & formæ coniunctio & vnio hoc necessario requirit, vt ad extensionem alterius extendatur. *Zabar.lib.de part. an.cap.11. Adeo diuina res est forma, vt cum sit substantia, aliam totam impleat substantiam, ita, vt ex vtraque fiat vnum. Scalig.exerc.307.s.29. Ac quærat hic aliquis, quomodo illa extensio fiat, & an animæ accidat? Zabar. eam proprie corpori tribuit, animæ ex accidenti. At ego statuo extensionem illam animæ etiam per se competere, & ipsam sibi suæ extēsionis esse caussam. Hæc enim est natura spirituum, intelligē-tiarum, & animæ nostræ, vt sese contrahere possint, sese diffundere seu dilatare. Sed vtrinque oportet actionē debitam esse & certam.* Non enim in infinitum sese promouerit, neq; ad puncti ὀξύτητα sese contraxerit essentia spiritualis. *Scal. ex.359. s.6.* At nulla extensio sine quantitate. *Ergo quantæ erunt animæ? At non sunt. Resp. esse quantas non quantitate prædicamenti, sed quantitate intelligibili. Scal.ib.s.3. Si n. prorsus negaretur quanta, quomodo essent finitæ?* Omne n. finitum est quantū, & omne quantū finitum. *Quantæ g. sed suo modo, qui nobis incognitus. II. Si essentia animæ nō adesset cuilibet corporis parti,*

non totum animal esset animatum, sed ea duntaxat pars, in qua animæ essentia resideat. At nulla pars corporis animalis potest esse sine forma sua; per quam sit animatum. *Zab. lib. de part. an. c.3. Huc pertinent verba & sententia Scal.* Per præsentem, inquit, substantiam mens totum corpus informat, non autem accidentales potestates a præcipuo membro, in quo residet effusas: alioqui mẽbrum illud, in quo est, vere tantum informaretur, & homo, vel alia quædam species esset, reliquum nihil pene, sed quasi appendix sine forma. *d.ex.307.s.29. III. Si anima in corde est, vis animæ in reliquis partibus, vis illa erit, aut accidens, aut substãtia. Si substantia: Ergo anima in illis quoq; est. Si accidens, ergo non sunt animal membra illa, neq; viuentis habebunt formam. Corpus itaq; nostrum erit vnũ per accidens. Et dimidiata essemus animalia. Atqui ego integrum atq; etiam solidum virum me arbitrabar. Ex.67.s.1. Tota ergo anima in quauis parte animati corporis inerit. At dicunt, si esset in singulis corporis partibus tota secundum essentiam, secuturum, vt abscissa manu alicuius, tota anima abscindatur. At dicere id nefas. Ergo non inesse secundum essentiam conclusione quadam efficiunt. Bellum hoc argumentum, quo vel vno omnia Peripateticorum clarissima ingenia scilicet obruantur. Diximus paulo ante, animam nostram esse ea conditione, vt se diffundendi & contrahendi habeat potestatem. Cur hic eam potestatem contrahendi animæ negemus? IV. Non esset vera corporis & animæ nostræ vnio, nisi statuatur, animæ essentiam cuiuis corporis parti vnitatem esse. Sed esset partialis. Et quædam corporis particula non haberet*

ret sibi vnitam animam. Quæ non sine absurditate facile dici possunt.

3. An anima secundum omnes facultates suas sit in singula corporis parte?

ET hoc asserimus. Assertionis ratio præ multis hæc vna: Corporis parti inest ipsa animæ substantia, vt iã probatum. Ergo in qualibet sunt omnes facultates. Vel enim facultates sunt idem cum animæ essentia, vel sunt qualitates animam insequentes. Si idem, omnino necessarium est, vt vbi est anima, ibi sint quoq; præsentissimæ ipsius facultates: Sin minus, sed sunt qualitates essentiam animæ consequentes, tamen oportet animam cum facultatibus in qualibet corporis parte hærere. Facultates enim illæ sunt animæ proprietates ordine dispositæ. At nulla proprietas esse potest, vbi non sit proprietatis illiusce subiectum. *Zab.d.l.c.13.& confirmatur ex Arist.2. de an. c.20. Adde acutiss. Scaligerum: Tota, inquit, anima, omnes facultates animæ vbiq; sunt totæ in corpore animato.ex.297.s.1. Ergo videndi facultas erit etiam in pede, vt si pes haberet oculum, videret. Et rectè dicitur vim memoriæ etiam esse in digitis. Scal.d.ex. Sed obseruanda est hic pulcra distinctio Zab. dicentis,* omnes facultates animæ in singula parte corporis inesse originaliter, at non subiectiue, *quem vid.d.lib.de part. an.cap.14. quanquam hoc subtiliter disputari etiam potest.*

Ζήτημα Ethicum.

Quænam sint germina beneficentiæ & num liberalitas & magnificentia specie distinguantur?

*NVllus amicitiæ habitus eas virtutes parit, quib[us] homines benefici appellari solent. Qui enim h[o]is[c] amicitiæ vinclis deuincti, non duo homines, sed vnicu[s] censentur. Itaq;, dum vnus alteri prodest per amiciti[æ] habitum, sibi ipsi vere prodest. N*am omnis amicu[s] in amici bono, non tanquam alieno, sed tanqu[am] in bono proprio conquiescit. *Vide Arist. 8. mora[l]. Plat. lib. 5. de ll. & Cicer. 1. offic. Hinc pere eleganter ap[ud] Plut. com. περὶ φιλαδελφίας, ex Theophrasto. Si am[i]corũ res communes, etiam amicorum amici erunt cõ[m]munes, sed beneficentia annectetur amicabilitati po[tius], quam amicitiæ.* Est autem amicabilitas vir[tus], quę lætatur ex aliorũ bonis, ac ex oppositis i[n] tristitiam coniicitur. *Mocen. contem. 5. part. 1. cap. 21. Hac enim virtute qui decorantur, optime dispo[si]ti sunt ad eos habitus, quibus beneficia promte con[ferri] solent. Illa autem virtus primum germen cen[se]tur; qua non rogati libenter deseruiendi & gratifi[candi] arripimus occasiones. Alterum germen est mu[tuatio] rerum vtilium, qua recipienti commodum, dã[ti] autem damnum non affert. 3. Est elargitio, qua cu[m] paruo dantis damno ad aliquod egenorum hominum suffragium exerceri solet. 4. Est liberalitas, qua cum dantis damno inseruitur amicorum commodo atq; honestati. 5. Deniq; est magnificentia, quæ cum dantis damno non paruo prosequitur amicorum hono-*

rem

re potius, atq; dignitatem, quam cõmodum & honestatẽ. Hæc ita eleganter differuntur a Mocen.d. contempl.c.75. Ex quibus percipitur, quã eximia sit virtus beneficentiã, quæ perfecta tam eximia profundit germina, vt vel hinc præstantiorũ vna merito habeatur. Sed speciene differt liberalitas a magnificentia? Non abs re dubitatur. Omnis .n. magnificentia rectè exercetur, cum liberalitatis vsum non destruat. Adeò vt nullus sit vere magnificus, nisi qui idem sit liberalis. *Aristo.4.Eth.c.2.* Liberalitas enim q; heroica est, aut liberalitatis quasi culmen & apex. *Piccol.grad.4.Phil.moral.c.49. Distinctio triplex* 1.*rationis.2.realis.3.ex natura rei. Fons.5.met. Magnificentiã & liberalitatẽ ex natura rei abs se inuicem distinguimus non re ipsã, nec sola ratione. Quid, ex natura rei? Perinde est hoc, sicut animal distinguitur ab homine, & homo ab animali, in quibus non est realis distinctio.*

ζήτημα Logicum.

1. Vtrum definitionis partibus respondeant partes in definito?

PArtes definiti sunt materia & forma. *Arist. 2.de ani.c.*1. partes definitionis sunt genus & differentia specifica. *6.top.c.*1.*& 2. Hisq; partibus nempe generi & differentia specifica, respondere dicuntur partes speciei, materia & forma. Scal.ex.307. sect.22.* Vt enim definitio ad rem se habet, sic pars definitionis ad partem rei. *Arist. 7.metaphi t.33. At dubium non tenue: Omnis definitio prædicatur in casũ recto, & singulæ definitionis partes prædicantur item de definito in recto. Est quidem ge-*

nus pars speciei, sed in eius definitione sumitur ad m- dum totius, non ad modum partis. Cum enim d- cimus: homo est animal, animal significat ho- minem totum, sed confuse & potestate, non o- mnino actu. *Zab. 2. post. ad t. 6.* Nulla enim pa- integralis, nec essentialis prædicatur de toto i- casu recto. *Iauell. 7. metaph. quæst. 15. Quomo- definitionis partes, cum non sumantur vt partes, r- spondebunt partibus definiti? Et quomodo id, qu- totum est, vere prædicabitur de parte, vel specie? Res- ad 1. Genus & specifica differentia in definitione, qua- tenus sunt in ipsa, capiuntur, vt partes, quarum illu- instar potentiæ est: hæc actus. Ideo ex* genere di- ferentia dicitur fieri vnum per se. *7. met. tex. 4-* Horumque vna determinat vt differentia, alt- ra determinationem recipit, vt genus. *Omne* genus determinatum & coarctatum, genus ia- non est amplius, sed speciei redditum est propri- *Zab. lib. de fac. an. c. 8. & 9.* Sic genus dicitur fo- ma vniuersalis, differentia forma particularis. *A- uerroes 2. phys. com. 28. singula autem respectu defini- capiuntur vt tota. Resp. ad 2.* Omne genus sese ex- tendit ad duas minimum species. *Arist. 4. Top. 3. & c. 6. Ergo secundum extensionem genus no- prædicatur de vna specie perfecta: secundum essen- tiam autem prædicatur. Certum enim & im- petitum:* Totam generis essentiam in quauis specie contineri, vt dictum supra.

DISPVTATIO XI.

Respondente M. Wolffgango Bawr/ Ratisbonensi.

Ζήτημα Metaphysicum,

1. Quæ sit ratio & caussa adæquata, per quam indiuiduum sit indiuiduum, & ab alio distinguatur primo?

VErbi gratia, quid sit, quod Platonem efficiat: vt sit Plato, & eundem primo a Socrate sua specie congenere distinguat? Apprime difficilis quæstio & ardua contemplationis. Quid dicemus? Plato substantia est, & quidem maxime substantia. Arist. in Categ. cap. 5. Non igitur habet vt constituatur per accidens. I. Quia nullum accidens facit substantiam, sed id ipsum fit a substantia. Arist. 4. metaph. cont. 7. II. Quia Plato est Plato etiam vniuersis accidentibus mente saltem detractis. III. Quia nulla species humana, vt homo, constituitur per accidens. Ergo multo minus indiuiduum. Iisdem rationum momentis cõfirmatur, ne exsistentiam quidem esse principium constituendi indiuidui. Omnis exsistentia accidens est, ex disp. 7. harum quæst. Ergo de accidente negotium occisum. Prouinciam ergo istam obiens necessario erit substantia. Omne enim non accidens substantia est, ex disp. 13 quæst. har. Quæ ergo, quæso te per omnes musas, substanstia illa? Substantia triplex, aut materia, aut forma, aut compositum. Arist. d. 2. de anim. cap. 1. Si

compositum constituit indiuiduum, vt Platonem, id compositum aut species erit, vt homo, aut indiuiduum & Plato ipse. At homo species non constituit indiuiduum seu Platonem. II. Quia ignobilior substantia non constituit nobiliorem. *At indiuiduum est substantia prima, species a. secunda, & illa nobilior, hac ignobilior. II. Si homo constitueret Platonem, vt caussa adaquata, vnus Plato esset omnis homo. Homo enim comprehendit omnia indiuidua, & in omnibus est indiuiduis, in singulis particulatim, in omnibus vniuerse. Ex disp. prac. At* nullus vnus est omnis. III. Prorsus fieri non potest, vt vniuersale sit caussa constituens primaria singulare. *At enim hoc facit vniuersale, qua vniuersale, aut qua singulare est, & determinatum. Non qua vniuersale. Necessario enim ipsum singulare euaderet vniuersale. Ex Aristot. 2. phys. cont. 38. Si species prastat qua singulare quid est, quastio reuoluitur eo, vnde abscessit: namque quid ipsam speciem & singularem, & determinatam constituat, & primo esse faciat, quaretur. Ergo Plato necessario erit per se ipsum, & per seipsum constituetur. At* nihil est caussa constituens sui ipsius: *Plato me hercle esset constituens & constitutum, imo constitutum esset constituens, & constituens constitutum. Ergo quod Platonem constituat, aut materia erit, aut forma. Si materia, aut prima erit, aut secunda. Non prima: Hac enim plane indifferens est, & omnibus indiuiduis communiter participata. At* nullum indifferens differentiæ alicuius caussa est. *Zabarell. lib. 2. de pr. rer. mat. cap. 8. Deinde quia hac materia est substantia imperfectissima. At* imperfectissimum

mum non constituet substantiam perfectissimam. *Dicunt nonnulli materiam determinatam esse principium indiuiduationis. At quæro ex his, vnde materia illam acceperit determinationem? Certe vel ab alia materia, vel a forma, vel ab accidente, vel a composito. Non ab alia materia, quia materia illa est indeterminata, aut determinata. Si illud, ratio data militabit. Si hoc, quæretur denuo, vnde gentiũ sit illa determinatio. Non ab accidente, accidens enim constitueret indiuiduum. Nō a composito, compositum enim constitueret. At nec hoc, vt ante ostensum. Ergo erit a forma determinatio materiæ. Ergo forma erit vera caussa constituens indiuiduum. Nec materia secunda. I. Quia & hæc imperfecta est. II. Quia* nulla materia secunda speciem constituit humanam. *Ergo multo minus indiuiduum. At quæ illa forma? Aut generalis, aut specifica, aut alia. At non est generalis, verbi gratia, animalis forma. Hæc enim non nisi animal constituit. Ergo non indiuiduum. Deinde animal in indiuiduo est, vt materia. At nulla materia in indiuiduo constituit indiuiduum, vt ante dictũ. Nec forma est specifica. I. Quia illa speciem constituit, vt anima rationalis cōstituit hominẽ speciẽ Ergo non indiuiduũ, vt Platonem. II. Si specifica illa forma constitueret Platonem, Plato esset species, & vicissim, omnis species esset Plato. At absurda ea. III. Tota species non constituit indiuiduum. Ergo nec eius pars essentialis. Ex prioribus. IV. Quia Plato est substantia, quæ maxime substantia, species autem, quia est in substantiis indiuiduis. Ergo erit alia forma. Quæ illa? Animane rationalis, an alia ab illa? Anima rationalis,*

quæ speciem constituit, non. Ergo erit alia, quæ tota est in Platone, & quidem perfecte, & in nullo alio. Specifica autem non est perfecte in Platone, sed in omnibus indiuiduis est perfecta. Quomodo ergo specifica distinguitur ab indiuiduante & Platonica illa? Resp. vt genus a specie. Rationalis anima, quæ specifica mihi, continet sub se animam Platonicam, Socraticam, Aristotelicam, Scaligeream, Zabarellicam, *tanquam species infimas. Et illa in his omnibus perfecte est, in vno a. eorum imperfecte.* Qui ergo nouerit differentiam animalis ab homine, & hominis a Platone, idem nouerit quoq; differentiã animæ rationalis specificæ ab anima rationali Platonica, &c. *Hæc differentia non est rationalis, neq; realis, sed ex natura rei, vt docet Fonseca 5. metaph. q. 6. sect. 2. c. 6.*

2. Quomodo formæ indiuidua humana constituentes distinguantur mutuo?

IN *præmisso, vt ICti loquuntur, euictionem præstiti, ex necessitate dandam esse formam a specifica distinctam, quæ Platoni aliisue ἀτόμοις suam det essentiam per quam sint indiuidua, non species, non genera. Huic vni duo memorabilia sunt annexa, vnum ecqua ratione anima Platonis, qua Platonis, & anima Aristotelis, qua Aristotelis, inter se distinguantur? Telam sic texemus. Plato & Aristoteles sunt opposita. Semper enim verum: Plato non est Aristoteles. Aut igitur opposita, quia essentia & forma eorum opposita, aut quia accidentia: Si hoc Plato erit Aristoteles, & Aristoteles erit Plato, prædicati-*

dicatione vicissitudinaria. Cur hoc? Audies. Quæ essentia non differunt, sed accidente, eorum alterum de altero dici potest. *Scal. libr. 4. poet. c. 9. Sed hoc cur? Audies & hoc, sed non ex eodem.* Quia accidens non reddit aliud, sed essentia alia reddit aliud. *Zab. lib. 2. post. anal. c. 12. cont. 77. Essentiis ergo necessario different Plato & Aristoteles, & formis singularibus. At quomodo formæ ipsæ singulares inter se differunt? Verbi gratia, anima Platonica & Aristotelica. Aliis formis nequeunt: Nam rursus quæstio emergat, quomodo ipsæ aliæ formæ inter se differant, & fieret itio in infinitum, à qua naturam abhorrere scripsit Aristoteles 8. phys. & alibi. Nec accidentibus in se aliis.* Plato enim & Aristoteles ideo opponuntur, quia essentiæ corũ opponuntur, quæ oppositio per se est. *Quomodo ergo animæ indiuiduæ different inuicem? Non quit sane dici aliud, quam vt in se, ex se, & per se differant.* Sicut enim exsistentiæ non datur exsistentia alia, *Fons. 4. metaph. ad c. 2. quæst. 4. s. 4.* ita nec formarum dantur formæ, nec definitionum definitiones. *Zab. comment. post.*

3. Vtrum animæ indiuiduorum humanorum sint æque perfectæ κατ᾽ οὐσίαν?

Alterum hoc est, cum differant inter se, & per se, an sint inter se æque perfectæ essentialiter, an accidentaliter? Paulus Soncinas 8. Met. q. 26. Fons. 5. Metaph. cap. 28. quæst. 25. s. 2. & complures alii, formarum indiuiduantium aliã alia non esse perfectiorẽ essentialiter, & secundum essentiam, sed acciden-

liter, & secundum nobiliores dispositiones conseruantes eam in materia asserunt. At Iauell. 8. Metaph. quæst. 6. & Caietanus 1. p. q. 85. art. 7. & Capreol. 2. dist. 32. quæst. 1. non negant quidem nobiliores illas dispositiones, & accidentia nobiliora vnius indiuidui, quam in alio, sed ipsas quoq; animas intellectiuas & indiuiduas alias aliis secundum essentiam perfectiores esse contendunt. Illi semper statuunt æqualitatem: hi semper inæqualitatem & in quibuslibet indiuiduis. Cum neutris penitus sentio. Inæqualitatem dari probo. I. Operationum inæqualitas necessario ostendet inæqualitatem formarum indiuiduarũ. Quo enim maior & altior est virtus, eo perfectior est essentia cuiusq; rei in suo genere. *Fons. 5. Met. c. 2. quæst. 6. s. 2. At indiuiduorum quorundam operationes aliæ aliis indiuiduorum operationibus sunt sublimiores & excellentiores, quod manifestum. Ergo & ipsæ essentiæ, vnde illæ proficiscuntur. II.* Ipsæ operationes secundum essentiam aliæ aliis sunt nobiliores: *(de internis loquor, non externis, quæ impediri possunt) quid ergo impediat, idem dicere de formis substantialibus operationum istarum principiis? III.* Et excellentiam *illam essentialem expresse statuit Philosophus in elementis, vt scilicet vnum alio, quod ad substantiam, sit perfectius. 4. Met. cont. 49. & 1. de cœl. text. 16. & 44. Quid ergo idem in indiuiduis humanis eam perfectionem & imperfectionem essentialem remoretur? IV.* Si omnes *essentiæ & formæ indiuiduæ æque perfectæ sunt, vt non sint gradus, essentiæ eorum omnes quasi in puncto essent constitutæ. Hæc stricta essentia-*

rum

rum seu formarum substantialium in indiuiduis æqualitas aut necessaria est, aut non necessaria. Si non necessaria, cadent hercle rationes omnes quas afferunt ἀντίδικοι. *Si est necessaria, ostendant rationem necessitatis, quamobrem omnes formæ indiuiduæ humanæ, ceu in puncto sint æqualiter perfectæ. At ostendere nequeunt. Si enim esset ita vt volunt, Deus non posset omni virtute sua indiuidua eiusdem speciei inæqualiter perfecta condere: quod est absurdum & impium. V.* Species eiusdem generis *sunt sicut numeri, quodaliæ alias perfectione superent. Arist. 8. Met. tex. 10. Quare si in speciebus dantur excessus & defectus substantiales, id quod conceditur ab omnibus, etiam in indiuiduis eiusdem speciei eam dari posse, non est absurdum. VI.* Quia longe est *gloriosius diuinæ maiestati indiuidua esse inæqualia, & gradus formarum esse, quam si sint perpetuo æqualia, seu æqualiter & essentialiter perfecta Sed & dari æqualitatem posse probo. I.* Quia omnis caussa aut æqualem sibi producit effectum, aut inferiorem. *Ergo & natura, quæ maxime princeps in rebus nostratibus caussa est. Illud est ex Metaphysicis. Ergo & hoc. II. Cum* vnumquodque per operationem & ex ea iudicetur. *2. de cœl. tex. 17. & indiuidua dentur æqualis operationis: etiam indiuidua erunt æqualis essentiæ. III.* Si indiuidua humana *necessario essent inæqualiter perfecta, Deus non posset efficere duo indiuidua perfectionis æqualis.* ἀθεόλογον *IV.* Si omnia indiuidua essent *inæqualiter perfecta, semper agentia particularia generarent imperfectiora. Nullum n. perfectius ab imperfectiori substantiam sortitur. Et*

auus esset perfectior filio, filius nepote, nepos item suo filio, & hic rursus suo filio, & sic in infinitum, donec tandem finis generationis in imperfectissima quadam humana essentia subsisteret, quæ a se aliam speciem indiuiduam propter suam ipsius imbecillitatem producere non haberet. Imo omnes formæ humanæ ab Adamo ad has vsq; nostrates fuissent semper perfectiores *essentialiter, & semper gradu quopiam diminutæ. At sic non posset hæc nostra natura iam subsistere, & aliam propagare, propter tam infinitas interiunctas graduum essentialium ablationes; imo ipsa Adami essentia fuisset infinite perfecta. Et experientiæ repugnat hoc, quod operationes ostendunt, imo* tolleretur principium, caussam non posse sibi æqualem effectum producere. *At potest. Statuo ergo cum posterioribus, dari essentiarum indiuiduarum æqualitatem. Sed in hoc dissentio ab iis vniuersis, quod æqualitas illa non præcise sit in omnibus indiuiduis. Et cum posterioribus defendo indiuiduorũ inæqualitatem, sed & in hoc ab iis discrepo, quod inæqualitatem in omnibus idem præcise non defendam. Propositiones ergo meæ:* Indiuiduorum quorundam est æqualitas, quorundam inæqualitas.

Ζήτημα Physicum.

Vtrum in homine anima vegetans, sentiens & rationalis distinguantur?

Controuersum nimis, an in homine anima vegetans, sentiens & rationalis distinguantur? An vero vna sit, quæ vi ratiocinandi, sentiendi, & vegetãdi sit

di sit stipata? Danæus lib.1.Eth.vult hoc, sicut & alii complures, Zab. & alii. Peripatetici illud. Quod & nos. I. Ratio. Omnis forma simplex est essentia, & vnum tantum dat esse, non plura. *Zab. d.l. de fac. ani. c.8. Si igitur homo per animam rationalem est homo, per eandem non erit animal, non viuens sed per rationalem erit homo; per sensibilem animal, per vegetantem viuens. II. Si* in homine *vna tantum anima nempe rationalis spectaretur, & non aliæ concederentur, substantiæ secundæ tollerentur, vt animal qua animal, viuens qua viuens. At hoc in philosophia impingit decreta. Ergo & istud III. Pluralitas formarum in vno indiuiduo rationi non repugnat, imo est pro ratione: tum autem demum repugnaret, si in vno indiuiduo plures, quam vna specifica, aut indiuiduans doceretur. At vegetans anima sentiens, & rationalis, sunt formæ generales, hæc autem rationalis, est indiuiduans. Sed generales illæ formæ, ad infimam collatæ, sunt instar materiæ, ideo imperfectæ. Respectu tamen substantiarum secundarum proprie sunt formæ: sic sentiens anima respectu animalis materia non est, sed proprie forma: nulla enim est alia forma, quæ animal faciat esse animal, quam anima sentiens. IV.* Quæ separatim inueniuntur, illa necessario distinguuntur. *Fonseca 5. Metaphys. At sentiens anima etiam ibi inuenitur, vbi non est anima rationalis, vt in bruto, sic etiam vegetans. Ergo necessario distinguuntur. Et tamen anima rationalis nunquam inuenitur sine illis. Quæritur ergo, qua ratione in homine distinguantur? Respondeo: sicut imperfecta forma & subordinata a perfecto, & com-*

pleta. Quæ distinctio non est rationalis, neq; realis, sed media, nempe ex natura rei, vide quæst. 1. metaphysic. disput. h. prorsus eo modo, quo animal ab homine, &c. Formarum ergo ordo in homine erit sic. I. Est forma misti, ex quatuor elementaribus formis exultans. II. Est vegetans. III. Est sentiens. IV. Est anima rationalis. Et ex his semper posterior est in priori, vt in proxima materia. Sic vegetans anima immediate hæret in forma misti. Sentiēs anima immediate, in anima vegetante, rationalis immediate in anima sentiente. Et semper posterior est perfectior priori. Hacque ad illam sese habet, sicut materia ad formam: in suo tamen genere superiores formæ sunt perfectissimæ, & materiæ nunquam. Hoc valde etiam consentaneum est rationi, vt anima rationalis; quæ tam nobilis substantia in animas imperfectiores prius, quam statim in formam misti recipiatur, cum inter formam & materiam deceat esse proportionem. Et hanc sententiam clarissime significauit Aristo. 2. de ort. anim. c. 3. quando dixit, conceptum in vtero prius habere animam vegetantem, postea recipere sensibilem, ac demum rationalem. Et priores illas formas accedente anima rationali non aboleri volo, sicut videtur Scal. ex. 190. sed retineri necessario. Anima n. rationalis propter suam diuinitatem non est sine mediis iniicienda in materiam elementarem, sed oportet ipsam recipi in sede nobiliori, nempe in anima sentiente; quæ respectu ipsius est materia. Multo minus probo id, quod Scaliger idem pronunciat, & multi cum ipso, vnam in nobis esse animam, quæ intelligat, sentiat, & vegetet. ex. 297. s. 1. Sed dicimus: vnam esse

ani-

animam, quæ hominem constituat, & vnam quæ animal, quæ materia hominis, & vnam, quæ viuens, quæ materia animalis, & illas tres animas ita, vt diximus, distinguimus in homine. Et hominis esse eam, quæ intelligat, animalis eam, quæ sentiat, viuentis eam, quæ vegetet. Quod si cum Scaligero vna numero anima intelligit, sentit, & vegetat, in æternum substantiæ secundæ, & vniuersalia defendi nequeunt. Quæ tamen defendit ipse. ex. 307. s. 22. Ex his dictis accuratissime ad ea, quæ offeruntur, responderi potest. Et Aristotelem supra omnes Danaos & Scaligeros rectius sensisse arbitramur.

Ζήτημα Ethicum.

An liberalitas & modestia sint virtutes?

A *B Ethicis dicitur, liberalitatem & magnificentiam esse eandem specie virtutem, & sic etiam eandem esse specie modestiam & magnanimitatem, etsi nunc humilior, nunc excelsior videatur: sicut eadem est manus, quæ modo contracta est, modo expansa. Cas. l. 4. spec. mor. c. 4. At Stoici pulcre obiiciunt.* Omnē virtutē esse cōstitutam in recto. *Vide Plut. lib. de Stoicorum contrar. Atqui* recto nihil potest esse rectius, proindeque nullam virtutem *alia esse perfectiorem. Quare si excelsius quiddam est magnificentia, quam liberalitas, & quid excelsius magnanimitas, quam modestia, & istæ virtutes in recto consistunt, sequetur modestiam & liberalitatem esse in non recto, aut si liberalitas & modestia virtutes sunt, & in recto consistunt, non consistent in recto magnificentia & magnanimitas. Stoicis resp. rectum esse duplex, vnum mathematicum,*

alterum morale. Recto mathematico nihil e[st] rectius. At morali recto aliquid rectius est. *Si actio eius, qui ex affectu misericordiæ erogat egent[i] pecuniam, recta est, cum rationi sit consentanea: a[t] qui eandem pecuniam, ex intensiori misericordiæ af[-]fectu confert in egenum, eius actio rectior & excellen[-]tior est.*

Ζήτημα Logicum.

1. Vtrum testimonium recte diuidatur?

O*Mnis diuisio, vt alibi ostensum, vel est integri i[n] membra, vel generis in species. Neutrã admitt[it] testimonium. Ratio validissima.* Quia omne mem[-]brum & omnis species argumentum artificial[e] est. *At testimonium inartificiale.* Prorsus ἀδύνατον vt partes alicuius rei sint artificialia argument[a] & totum non: imo testimonium ne totum qui[-]dem appellari potest. Nam & ipsum totum e[st] argumentum artificiale. *Hinc consequens, testimo[-]nii naturam esse simplicissimam & omnis diuisioni[s] quod & Beurhusius ait, per se expertem. Quod si er[-]go diuiditur, ex accidenti & ex adiunctis, argument[is] artificialibus ipsum diuidi necesse est. At grandis du[-]bitatio: si testimonium argumentum est, habebit for[-]mam argumenti. Omne n. quod est, per formam sua[m] est id, quod est. At &* omnis forma est argumen[-]tum artificiale. *Testimonium non est argumentum per se, sed per accidẽs: nẽpe ratione adiũcti artificiali[s]*

2. Vtrum argumenti artificialis vis as[-]sumta testimonii sit forma?

B*Isterfeldius in logicis suis statuit, vim argumen[-]ti artificialis ad testimonium assumtam, testimon[ii]*

e[ss]

esse formam. *At contra.* Si vis artificialis assumta testimonii forma est, ipsum testimonium est artificiale. Quia vis illa est artificialis. Et quia omnis res ex forma iudicatur & appellatur. *Zab. 1.post.p.11.cont. 4.c.1.* *Pro Bisterfeldio: caussa per accidens finitur, quæ vi aliena efficit: ubi vis aliena illa, caussæ per accidens forma est. Sic testimonium finitur, quod arguit vi argumenti artificialis assumta. Sicut igitur in caussa efficiente per accidens vis aliena forma est: ita vis argumenti artificialis assumta erit forma testimonii & inartificialis. Et sicut caussa per accidens non fit caussa per se, etiamsi vis illa aliena sit a caussa per se: ita testimonium non fit artificiale, etiamsi forma ipsius & vis arguendi ab artificiali dependeat. Vis illa non est testimonii forma, qua testimonium est, sed qua est argumentum. Vis illa testimonii forma est per accidens: & testimonium formam propriam habet, qua testimonium est, non qua argumentum. Ita res est.*

DISPVTATIO XII.

Respondente Antonio Buschero Hannouerano Sax.

Ζήτημα METAPHYSICVM

1. Quid sint potentia & actus, & quot modis sumantur?

Distinctio inter potentiam & actum trita, si nomen spectes, non tamen si rem. Hæc enim difficilior est, quam tritior. Res ergo quid sit ipsa, & quot modis accipiatur, iam considerare fert animus.

Necessitas enim magna & vtilitas. Omne quippe ens, aut potestate est, aut actu. *Aristot.* 1*Metaph.text.* 16. *Hoc ita generale, vt ad quauis etiam particularia sese porrigat. At non intelliges, ni doctrina de potentia & actu intellecta. Ecce necessitatem. Vtilitatem negabis? Non potes.* Posito efficiente, ponitur effectus. *Vera est Propositio, si efficiente intelligas in actu, non in potentia. Ecce vtilitatem. Ex quib. etiam capis,* aliud esse actum & potentiam, & aliud esse ens actu & potentia. *Scalig. exerc.* 359. *f.* 2. Potentia est ens, quo dirigitur ad actum, vt ab ipso perficiatur. *Genus aliud non facile dabitur, cum* potentia & actus sint transcendentia, & per quæuis transuolent prædicamenta *Arist. libr.* 1. *de anima contex.* 6. *sed est ens tale, quod respicit actum, vt ab ipso perfectionem nanciscatur. Hinc axiomata.* I. Omnis potentia refertur ad actum. *Zabar. lib.* 1. *de prim. re... mat. c.* 9. II. Et omnis potentia desiderat perfici ab actu. *Flac. lib.* 2. *log. general. c.* 21. III. Et omnis est ignobilior actu. *Arist.* 9. *Metaph. cap.* 1 *text.* 19. IV. Et omnis, accedente actu, tollitur aut completur. *Zab. d. l.* V. Itaque potentia & actus non sunt vere relata. *Zabar. libr.* 1. *de pri. re... mat. c.* 8. VI. Omnis vere potentia, nisi traducatur ad actum, frustra est. *Cuius enim erit mo... aptitudo hæc, quæ in actum a natura non producta ... vnquam, & tamen a natura ipsa instituta? Scalig. exerc.* 22. Quicquid enim fine frustratur suo frustra est. VI. Itaque omnis potentia, quæ ad actum dirigitur, actum antecedit. *Scal. exerc.* 30... *sect.* 16. *Atq; hæc cum de potentia non-Dei. Quippe* D...

Dei potentia ad nihil refertur, ſed ſua ſolius eſt,& ipſa ſibi &hoc,quod eſt,& hoc omne,quod ſunt omnia. *Idem exerc.249.ſ.3.* *Potentia vel eſt prima, vel ſecunda.* Prima ſeu remota eſt, quæ eſt veluti aptitudo ad formam aliquam acquirendam, *vel ſubſtantialem, vel accidentalem. Flac.d.lib.2.log.gen.c.21.* Potentia ſecunda (*qua & propinqua dicitur*) eſt per quam aliquid agimus aut patimur. Itaque hæc eſt principium operandi & patiendi. *Operandi vel eſt forma ſubſtantialis, vel accidentalis. Subſtantialis, vt anima rationalis. Accidentalis, vt habitus ſcientiæ. Principium patiendi vt materia ipſa, vel omnis forma, quæ perficitur.* Potentia prima eſt paſſiua tantum. Potentia ſecunda vel eſt actiua, vel paſſiua. Paſſiua potentia prima remotius abeſt a perfectione ſui: Secunda autem propius. Actus eſt ens, quod dirigitur ad potentiam & ipſam perficit. Omnis enim actus eſt finis & perfectio ſuæ potentiæ. *Scal. exer.d.307.ſ.16.* *Actus diſtinguitur, ſicut potentia. Eſt enim vel primus, vel ſecundus.* Primus eſt cuiuſq; rei eſſe & eſſentia, vnde aliqua operatio prodit. *Sic anima rationalis, vnde ratiocinatio, & ſcientia, vnde contemplatio.* *His* actus primus a potentia ſecunda, quam actiuam vocauimus, non differt niſi relatione. *Dicitur enim actus reſpectu operationis proficiſcentis ab ipſo. Rurſus tamen potentia, quatenus ab actu ſecundo perficitur* Actus ſecundus eſt ipſa operatio. *Ordo igitur talis.* I. Potentia prima ſeu remota. II. Potentia ſecunda *ſeu propinqua.* III. Actus ſecundus. *Axiomata.* I. Potentia pri-

ma nunquam est actus, & actus secundus nunquam potentia. *At* potētia secunda etiam actus est, & omnis actus primus etiam potentia. *Hinc est facilis intellectus, quid sit ens actu, quid ens potentia.* Ens actu est, quod est extra suas caussas, id est, quod non habet caussam a qua futurum est *Scal. ex. 17. Sic* omne quod actu primo, vel secundo est, extra suas caussas est. *Sic etiam materia prima est ens actu.* Ens autem potentia *(intellige remotam)* quod adhuc est intra primordia suarū caussarum. *Sicut hyeme rosa, cuius esse est in sua planta. Axiomata*: Omne ens actu magis est, quā quando est potestate. *Zabar lib. de nat. cap. 7.* Ens in potentia non reducitur ad actum, nisi ab eo quod est ens actu. *Gocl. Metaph. c. 7. Potentiam & hic de remota accipimus. At potentia secunda ἐνεργητικὴ seipsam producit ad actum, vt anima rationalis seipsam promouet ad intelligendum, & ratiocinandum, & sciens seipsum promouet ad contemplandum.*

2. An actus sit simpliciter prior potentia?

A*It hoc Goclenius d. l. c. 7. & Flacius Dial. libr. 3. c. 21. & extat expresse 9. Met. tex. 13. Goclenius rem suam probat*: *quia* omnis aptitudo necessario præsupponit aliquam naturam actualem vnde proueniat. Et omnis potentia recipiendi quippiam præsupponit subiectum quod actu sit. *Huc facit illud Piccol.* Omnis potestas est in aliquo subiecto. *At diximus nos*: Omnem potentiam antecedere actum, & actu

com-

comparato, cessare potentiam, aut certe adimpleri. *Et probamus item rem nostram*: quia actus ex potentia promanat aut per potentiam. Omnis enim actus secundus præsupponit primum, & omnis potentia secunda, seu actus primus, præsupponit potentiam remotam. *Sic homo non esset doctus, nisi potentiam habuisset antea doctrinam recipiendi & comparandi.* Potentia negata omnis actus negaretur. *Sic homo non esset, nisi fieri potuisset.* Necessario ergo esse supponit posse fieri. *Distinguo hic inter actum, qui est terminus ad quem & finis, & actum, qui est terminus a quo, & quasi subiectum potentiæ. Ordo sic.* I. Actus *seu ens actu.* II. Potentia *remota.* III. Potentia propinqua & Actus primus. IV. Actus secundus terminus ad quem, & finis, in quo subsistendum. Nec enim actus secundi datur alius actus. *Exemplum. Scholasticus potentia est Doctor. Doctoratus gradus est actus, cuius potentiam esse dicimus in scholastico. Nam si non inesset, nunquam fieret. Doctoratus igitur actus necessario supponit potentiam ad ipsum; vt actum. Sed illa ipsa potentia ad Doctoratum supponit scholasticum tanquam ens actu. Præcedit ergo actus potentiam, vt fundamentum, seu subiectum: & sequitur eandem, vt finis. De isto Goclenius. Nos de hoc.*

Ζήτημα Physicum.

1. An species intelligibilis sit idem, quod intellectio, & vnde ista?

VT *intellectus a sensibus delata intelligat, necessum, vt species quadã in ipsum imprimatur.* Nõ

enim possiet fieri vnio speciei cum intellectu, nisi illa in hunc immitteretur. *ex 3. de anim. t. 38. Nec diceretur τόπος τῶν εἰδῶν. At dicitur, Arist. d. l. 3. t. 6. Hæc species vnde? Ab obiectis, inquam, externis & materialibus.* Res enim materiales eius sunt naturæ, vt seipsas spiritaliter multiplicent. *Zab. libr. de sens. ag. c. 5. sicut in speculo vides imaginem a te intro receptam. Sensus autem nostri & intellectus sunt quasi specula receptiua eiusmodi formarum spiritalium. At quid illa? Substantiane, an accidens? Substantia non est.* Nulla enim recipitur intro. *Esset enim substantia in duobus locis, & extra mentem, & intra, & quidem eodem tempore. ἀνλιευο μὸν. Confer Scal. ex. 307. s. 21. Erit ergo accidens. Sed estne eiusdem notionis cum exteriori? Nec hoc. Si enim esset, tum, cum intelligeres vstionem vrereris. Sicut igitur imago in speculo non est notionis eiusdem, cum re, quæ est extra, sed est spiritale quiddam: sic & species omnis, siue sensilis, siue intelligibilis.* Spiritalis quidem est in sensu, in phantasia spiritalior, in intellectu omnium spiritalissima. *Zab. l. de ord. intel. c. 4. Sed nunquid idē intelligibilis illa cum sua intellectione? Ait Zab. l. de spec. intel. c. 5. Negat Scal. d. ex. 307. s. 21. Et mentes insanos pronunciat. Ego distinguo.* Sunt idem subiecto, intellectio illa & species, sed diuersæ sunt secundum essentiam. Alia enim res intellectio, alia species illa. *Zab. lib. de facult. ani. c. 2. Species illa caussa, sine qua intellectio illa fieri nequit. Et est modus intelligendi: intellectus enim intelligit illam speciem a sensibus venire ad se. At intellectio est actio intellectus immanens.*

2. Quo-

2. Quomodo fiat visio?

Certum est videre nos; At modus quo fiat visio, incertus. Alii putant ab oculo exire radios ad speciem usq́;, eamq́; secum referre ad oculum, ut fiat visio. Alii radios visivos in medio illuminato apprehendere illam speciem, & secum inde ad oculum adueheре. Alii visionem extra oculum fieri contendunt. Alii deniq; propius veritatem accedentes visionem fieri in superficie oculi, specie ad se delata, existimabant. At visio extra oculum non fit. Si enim ita, aer videret potius, quam oculus. Nec per emissionem radii exeuntis & secum referentis in oculum speciem visibilem, quia visio rei procul sitæ etiam in momento fit. *At eiusdem exitus radii ab oculo & reditus ad eundem in momento fieri nequit. Nec etiam fit in superficie oculi. Non enim quicquid apparet in superficie oculi, continuo videtur. Verus ergo Arist. qui speciem visilem ad oculum ire facit, & intra pupillam recipi & iudicari.* Species a. illa visibilis non transit ab obiecto in tempore ad oculum, sed, oculo aperto, statim præsto est. *Eiusmodi speciebus aer illuminatus est plenus. Vide Goc'. lib. 6. disp. phys. disp. 19. Zabar. l. 2. de visu. c. 1. & seqq. Scal. ex. 80. sect. 7. & 298. sect. 16. 352. s. 5. & 6.*

Ζήτημα ETHICVM.

1. Quot sint virtutes ὁμιλητικαί, & quæ genuina earum differentia?

Non ignobiles Ethici quatuor virtutes, quæ humanam societatem inducunt, fouentq́;, constituunt: Affabilitatem, quæ circa primos hominum congressus versatur. Familiaritatem, quæ congressuum

frequentationem supponit, notorum associationes & consuetudines regit. Veritatem, quæ familiaribus sermonibus præest, illisque præcipue, quæ circa familiaria versantur. Et comitatem, quæ eos sermones respicit, quibus audientium animi exhilarari aut dolore aliquo affici solent. Confer. Mocenic. contemp. 5. part. 1. c. 21. in quibus talis ordo, vt affabilitas sit quasi initium familiaritatis, ad hanc enim conciliandam & colendam nimis quam accommodata est. Confer Arist. 4. Eth. c. 6. Et familiaritas quasi fundamentum Veritatis seu Candoris. Non enim morale est, vt candide apud quosuis agas indiscrete, sed apud eos, qui tibi familiaritatis vsu noti sunt, vel certe eos, quos virtus tibi de candore commendat. *Porro Candor & Familiaritas Comitatem seu Vrbanitatem sustinet. Absit enim, vt citra delectum cum quouis iocosa agites. Aristot. autem tres constituit virtutes ὁμιλητικὰς. Comitatem, quæ in conuersatione seria: Vrbanitatem, quæ in iocosa: & Veritatē, quæ in enunciando vero. Comitatis vox apud Philosophum laxior est, quam Mocenicum. Ille sub ea comprehendit Affabilitatem & Familiaritatem. At Mocenico Comitas pene idem, quod Aristoteli Vrbanitas. De veritate Ethica, Metaphysica & Logica, pulcra hic missa facere iam cogimur, alibi tangenda tamen.*

2. Quæ sit virtus optima, qua concepta humana felicitas concipiatur?

1. Eth. c. 7. Philos. finit summum bonum esse actionem animi secundum virtutem optimam & perfectissimam. Quæ sit illa virtus optima & perfectissima, quæritur merito. Hac enim optima virtute non consti-

constituta, mens nostra assentiri non poterit, humanam fœlicitatem esse operationem secundum virtutem. Certum hoc; virtutem illam vere optimam, non esse contrahendam ad aliquod genus definitum virtutis, alioqui definitio summi boni non competeret vtrique gradui summi boni. At competit. Piccol. grad. 9. Phil. mor. cap. 28. Adde, quod si perfecta & optima virtutis nomine vnica & certa species virtutis significaretur, cetera omnes essent vana. Nec summum bonum esset summum. Nullius enim actio excedit essentiam, vnde est actio. *Indubitatum ergo* nullam virtutis speciem posse inducere summum bonum. *Quid ergo virtus tua optima? Quatuor virtutes sunt omnium præstantissima, quia præstantissimis quatuor affectibus aptantur.* Pietas, *virtus erga Deum.* Deuotio, *virtus erga angelos.* Sapientia seu philosophia. *Hæc enim animi propensionem explicat, icirco necessario inter virtutes connumeratur. Et* Humanitas, seu humana Caritas, *virtus erga homines. Hæ quatuor virtutes sibi inuicem essentialiter fauent & connectuntur: inque harum quatuor copulatione optima & perfectissima virtus consistit. Huius proprium est cæteras omnes morum virtutes inducere, simulq; expetenda omnia parere, ac repellenda comprimere, & summum bonum producere.* Ex Aristotele dici queat, prudentiæ & sapientiæ complexu esse illam virtutem perfectã. *Con. Pic gr. 9. Phi. moral. c. 28. & Moc. d. l.*

Ζήτημα Logicum.

1. An Copula, EST, sit forma axiomatis simplicis?

NOn est 1. *Quia* omnis forma est præcipua rei pars, & est argumentum. *At* τὸ est in propositione simplici non est argumenuum. *Essent enim in simplici tria argumenta. Antecedens, consequens, & copula. At finitur axioma dispositio argumenti cum argumento.* II. Quia nulla forma a parte separatur, quam informat, sed per partes extensa est. *At* τὸ *est separatur. Ut homo non est lapis. Hic esse lapidem, separatur ab homine.* III. Quia inter materiam & formam non est medium. *8. Met. At in ista propositione,* τὸ NON *intercedit inter* τὸ *est, & partes materiales. Ergo forma non est. IV.* Quia τὸ EST, est prædicati, qua prædicatum est, essentia & forma. *Id* enim necessario forma est, per quod aliquid primo constituitur, & esse incipit. Atqui prædicatum primo constituitur & esse incipit per ESSE. *Verbi gratia, homo est animal. Animal ibi non est prædicatum, sed* ESSE ANIMAL. *Flacius lib. 4. logic. general. c.2.* Animal autem solum prædicabile est, & argumentum. Atqui nullum argumentum qua argumentum prædicatũ est. *Prædicatum ergo simplicis axiomatis constat* τῷ EST, *tanquam forma, & argumento, tanquam materia. Itaque* τὸ *est non est forma simplicis propositionis integræ.* Essentia enim partis non est essentia totius. *At si* τὸ EST *est forma prædicati, necessario erit argumentum.* Omnis enim forma argumentum est. Ex aphoris. 82. disp. XII. *Ergo tria in quouis simplici argumenta. Resp. 1. Subiectum perinde est subiectum per formam suam, ac prædicatum est per suam. Si illud; iam quaternitas argumentorum inuehitur.*

inuehitur. Quod videtur ἄτοπον. 2. Subiectũ & prædicatum vel formaliter considerantur, & materialiter simul: vel materialiter solum. Si illud; in quauis simplici erunt quatuor: si hoc; tantum duo; & hoc respexerit Ramus, quando axioma finit dispositionem argumenti cum argumento.

2? An axioma falsum ex constitutione Logicæ Rameæ sit tolerandum?

B*Reuiter sic: Ramei tuentes falsum axioma, aut de definitione falsi id intelligunt, aut de exemplis. Illa autem exempla aut absolute proponuntur; aut cum modo absolute; vt, homo est lapis: quod absolute falsum. Cum modo; vt, hominem esse lapidem, est falsum: At de definitione intelligere id nequeunt.* Nam nihil tam est falsum, nihil tam vitiosum, quin vere definiri possit. *Igitur eadem ratione, confusionem seu ἀμεθοδίαν & ἀσυλλογιστίαν Ramo definire liceret, & in logicam inuehere. Hoc tamen negant nec admittunt. At neque de exemplis absolute prolatis. In iis non est dispositio argumenti cum argumento. I. Quia* dispositio Logica artis est. E. *omnis bona est.* Ab arte enim non fit aliquid mali. II. *Quia* dispositio ista non est argumentorum, sed non-argumentorum, id enim, quod non habet arguendi affectionem decentem, non est argumentum. *3. P. Ramus reiicit falsa argumenta & fallacias argumentorum. E. etiam axioma falsum. Omne.n. falsum axioma ex falsis argumentis conficitur. Sed neq; intelligere id possunt de exemplis cũ modo prolatis: vt, hominem esse lapidem, falsum est.*

Hoc n. axioma non est falsum; sed verum. Antecedens est; hominem esse lapidem. Consequens; falsum est. Hæc dispositio verissima est: pronunciat enim vti res est. Tum falsum esset, si dicerem, hominem esse lapidem est verum. Quare axioma falsum quomodocunque capias, non habebit in Ramo, vbi capiatur. Sat iam: alibi distractius & fusius hæc agitata sunt.

Num totum & partes sint substantiæ?

In rebus creatis hanc quæstionem, quæ extra ordinem esse statuimus, nullum totum, qua totum, & nullam partem, qua partem, esse substantiam dicimus. Omnis substantia est quiddam absolutum. *Atqui nulla pars, nullum totum est quiddam absolutum. Semper enim* totum respicit partes, & partes respiciunt totum. *Scaliger ex. 307. sect. 39. In illo mutuo respectu totius & partium forma consistit. Ergo hinc recte concluditur*; nullam partem esse formam totius; & nullum totum esse formam partis. Et recte concluditur animam rationalem, qua pars, non esse formam totius, sed qua essentia est absoluta a relatione.

Vide Scalig. lib. 6. de caussis latinæ linguæ. cap. 130.

DISPV-

DISPVTATO XIII.

Reſpondente Hippolyto Hubmeiro, L. P. ad 3. Maii. Publice diſcutiebatur.

Ζήτημα METAPHYSICVM.

1. Num inter ſubſtantiam & accidens detur medium.

NOnnulli *Phyſicorum profitebantur, formas elementorum eſſe vere medias inter ſubſtantiam & accidens; aduerſus quos calamum ventilans Zab. ſi, inquit, formæ elementorũ ſunt, & in rebus naturalibus exiſtunt, aut ſubſtantiæ erunt, aut accidentia*: inter ſubſtantiam enim & accidens nullum datur medium. *l. de miſt. c. 13. & 6. Enunciatum vbi hoc pro principio vſurpat. Sed enim duo ſunt, quæ iſtud quatere videantur. Vnum eſt ex Scalig.* Omne ens, *inquit*, præter Deum, aut eſt ſubſtantia, aut a ſubſtantia, aut ad ſubſtantiam. *lib. 7. poet. c. 2. Extra ergo diuiſionem iſtam eſt Deus. At cõtra, quod maxime ſubſiſtit, id omnium maxime fuerit ſubſtantia. At Deus talis. Conciliatio.* Subſtantia accipitur duobus modis. *1.* Κατ' ἐξοχὴν, *quod excellenter & eminenter ſubſtantia, quodque eminenter, ſine adminiculo rerum aliarum, ſubſiſtit. Confer Taurell. in triumph. phil. pag. 18. 2.* Subſtantia eſt, quæ quidem, dum eſt, per ſe ſubſiſtit, tamen vt bene ſubſiſtat, indiget accidentium adminiculo. Nulla enim ſubſtantia rerum noſtratium eſt, quæ omni accidentis vi ſit exuta, *vt in prima ſcientia penetralibus diſputatum eſt. Et hac ſubſtantia aut eſt*

simplex, aut composita, nempe ex materia & form. De hac posteriori significatione proprietates, quas Phi losophus enumerat in prædicamēto substantiæ, sunt ac cipiendæ. Et hoc modo Deum, absit, vt substantiam dicamus, vt maxime etiam ipsum supra omnem sub stantiam attollamus. Quo sensu recte Fonseca & Scholastici disputant, DEVM neque per se, neque reductitie in substantiæ Prædicamento colloca ri. *5. Metaph. c 8. quæst. 1. sect. 2. Ac eo modo accipi unt fere Philosophi. Sic Scaliger*; substantia neque extra prædicamenta, neque in omnibus, sed i iis tantum, quæ substant accidentibus. *lib. 4. d cauf. latin. ling. cap. 91. Sin substantia vocem κα ἐξοχὴν etiam accipias, Deus omnium maxime erit Prædicamento substantiæ. Vox enim ea de DEO mnium excellentissime enunciatur. Substantiæ eni reliquæ ideo sunt substantiæ, quia DEVS est substan tia. Et ridicula obiectio, DEVM non esse in prædic mento substantiæ; obstare enim infinitatem ipsius, in finitumque concludi omnino non posse aliquo. Dican ideo in prædicamento ponimus DEVM, quia infini tus est, vt ipsam infinitatem de ipso prædicemus, e que plenius ipsum glorificemus. Deinde*, nulla res in prædicamento, qua res est, sed qua concipi tur, & de ipsa aliquid prædicatur, *vt Ianell. 5. M taph. quæst. 36. disputat.* Omne autem quod men te cōcipitur, qua cōcipitur finitum est. Concep n. nullū est supra concipiens, & intra se recipien *Finitus ergo Deus, quoad conceptionem, in seipso a tem & extra conceptionem infinitus, imo ipsa infinit*

Intell

Intelligis ergo, opinor, quomodo Deus sit in prædicamento, & substantia; Non dicam plenius, quia non intelligentium plena sunt omnia. Alterum videndũ, quod etiam obstrepere pronunciato communi videtur; quia denominationes ista, lapideum, ligneum, ferreum, aureum, neque substantia simpliciter sunt, neque accidentia. Iccirco vir acuti ingenii Gocl. in lib. Categ. pag. 25. mauult ita loqui: Omne ens aut est substantiale, aut accidentale, quam omne ens aut est substantia, aut accidens simpliciter: hic enim videri medium, ibi non. Bene: sed & nos distinguamus licebit inter ens explicitũ & ens implicitũ. Quando dico; mensa est lignea, ligneũ ibi nõ est ens simpliciter, sed ens per resolutionẽ. Resoluitur enim in ens. Sensus enim est, mensa est ex ligno constituta. Ecce lignum, ens euolutum, quod antea erat implicatum. At Logicus non tam verba, quam sensus intuetur. De similibus idem iudicium. Et sic retineo axioma ita semper vsurpatũ: Omne quod est, aut substantia est, aut accidens. *Quod si instes quærere, quid in propositione hac; mensa est lignea, τὸ ligneum sit: Dicam; neque substantiam esse, neque accidens; sed comprehendere substantiam, id est, materiam, & accidens, id est, terminum a quo. Ideo vt categorice respondeatur, inuolutum euoluendum esse, & sic statuendam propositionem;* mensa est ex ligno facta: *lignum materia est, & substantia, esse ex ligno denotat terminum à quo, id quod accidens est.*

2. Num

2. Numquid ſubſtantia ſit Dei Ter. Opt. Max. genus?

D*Eum deſcribi potius, quàm definiri dixeris: id quod in aprico.* Omnis ſiquidem definitio ex natura prioribus eſt. *Ariſt. 6. Topic. 4.* At Deo tribuere aliquid, quod ſit ipſo prius, aut quod non ſit ipſe Deus, impium eſt, *Scalig. ex. 365. ſ. 7.* Omnia caueas, *quiſquis es,* ſiue Theologum agas, ſeu philoſopheris, ne facile Deo tribuas, quod is nequaquam exſtiterit. *Taurell. in philoſ. triump. pag. 324. Quæramus ergo, an ſubſtantia ſit Dei gen⁹, cum in proxima ſuperiori quæſtione Deum ſubſtantiam, καὶ μάλιστα οὐσίαν fecerimus? Subſtantiæ vox vel illimitate capitur, ſeu irreſtricte, vel reſtricte. Reſtricte vſurpata nequit eſſe vllius genus, nedum vt Dei.* Omne quippe genus commune eſt, & irreſtricte capitur. *Zab. 2. poſt. ad cont. 6. & lib. de ord. intellig. c. l. 9. Quare ſi vox ſubſtantiæ Dei genus eſſe debebat, abſolute accipienda fuerit. Genus autem non materiam aut ſubiectum intelligimus, quomodo vſurpatur 10. Metaphyſ. cont. 26. ſed tale, quod in quid prædicatur, vnde & prædicabile nuncupatur. Piccol. de introd. ſcient. nat. c. 23. Et eſt vniuerſale poſt multa, quod in animo ex indiuiduis à rebus collectum prædicatur de pluribus. Goclen. tractat. de gen. pag. 122.* At omni vniuerſali poſt multa reſpondet vniuerſale in multis ſeu natura communis. Omnis enim conceptus vniuerſalis eſt vanus, cui non reſpondet natura aliqua communis in reb. *Zab. lib. 2. de rer. nat. c. 18. Quicquid enim vere intelligitur, extra intellectum prius oportet eſſe, quam*

quam mente concipiatur. Taurell. in triumph. pag. 28. *Atq; hac de genere vtroq; id est, vniuoco seu logico, & ab vno, seu analogico omnino dicenda sunt: Vtrumq; ab Aristot. positum est 4. Met. cont. 2. Et a Gocl. recte comprobatum part. 2. probl. logic. quæst. 15. & in tract. de gen. pag. 105. & seqq. Hinc demonstratio:* *Si* Deo genus tribuitur a mente nostra, erit in Deo natura aliqua communis extra mentem nostram. *Ex Zab. & Taurell. & Scal.* *At in Deo non est natura aliqua communis extra mentem nostram. I.* Quia est singularissimus & purissimus actus, omnem potentiam respuens. *At plane ἀδύνατον & diuinitati repugnans, vt id quod singularissimum est, & actus purissimus, aliquid communitatis in se contineat.* Omnis enim actus purissimus necessario omnem abdicat communitatem. *Nō enim esset actus purissimus Deus, si in ipso aliquid esset cum nostrati natura commune. At dicant, Deo tribuitur genus analogice &, iuxta nostrum concipiendi modum. At dicam, ille conceptus aut verus est de Deo, aut falsus. Si verus, ergo respondebit ei aliquid in Deo. At nihil ei respondet, vt dictum. E. falsus. At* horrendum est, si quis in Dei substantiam mentiatur, aut secus concipiat ipsum, quam sit. *Conceptus rei adæquatus esse debet. II.* Omne genus natura prius est eo, cuius est genus. *Arist. exquisitum quidem exquisite, analogicum analogice. Genus enim, quod non est latius specie vel logice vel analogice, non genus, & species illa, non species est. At Deo nihil prius, sed ipse omnib. prior. III. Si Deo tribuitur q. genus, etiam quasi materia:* omne enim genus dependet a materia, sicut differentia

a forma. *Fonseca in metaph.* *At impium & quas materiam tribuere Deo. IV.* Deo nobiscum nec commune accidens est: *Ergo multo minus commune genus, quocunq; ipsum voces nomine. Statuo sic* substantia proprie de Deo prædicatur. *August. lib. 5. de Trinit. Et* omnis proprie substantia Deus est. *Ex Scalig. dict. exerc. 305. f. 7.*

3. An accidens in abstracto sit verum ens?

DE *natura accidentium in metaphys. per quam subtiliter disceptatur; Nos tā Accidens num in abstracto verum ens? Concretum est, vt iustus, abstractum, vt iustitia, quorum definitiones disp. 4. traditas explicauimus. Esse vera entia, sic ostenditur.* I. Conceta sunt vera entia. *Arist. 5. metaph. E. etiam abstracta. Quia* concreta sunt id, quod sunt per abstracta. *ex dict. disp. 4. quæst.* Quicquid autem dat esse, magis est ens, quam id quod accipit. *II. Quicquid* generis & speciei nomine significatur ens verum est. Omne quippe genus & species significant res, non in cogitatione mentis, sed extra eam constitutas. *Ex Scal. ex. 307. f. 22. mera ceteroquin essent figmenta. At abstracta accidenti significantur generis & speciei nominibus vt color, albedo, &c. Nec impedit quod abstracta dicuntur: id enim nominis habent ratione significationis, non rei aut subiecti. Nullum enim* accidens, quod vere significat aliquid, abstractum est a subiecto. *Iauell. 5. Metaph quæst. 2.*

Ζήτημα Physicum.

I. An mens seu anima rationalis vera sit hominis forma?

PAlastra plenum est, an mens seu anima rationalis vera sit hominis forma? Talis autem quæ sit, ex definitione habetur. Forma est caussa per quam res est id, quod est. *Ex 2. de an. cap. 2. & 6. Metaph. t. 40. & 7. Met. c. 13. & 2. phys. t. 28. Ideoq;* nulla forma rei alicui addita est. *Scalig. ex. 75. s. 1.* *Quadruplex hic opinio. I.* Est Auerrois, *qui negat animam rationalem hominis veram formam, sed eam assistentem facit. in com. 5. libr. 3. de anima, perinde vt nauta assistit naui. Arist. d. 2. de an. text. 1. II.* Vulgatissima est D. Thomæ *1. part. sum. quæst. 76. quam eandem etiam Aristotelis esse & Platonis, eorundem Interp. dixere tuentur. Zabar. lib. de ment. hum. cap. 4. & 6. Marsil. Ficin. lib. 1. Ennead. Plato c. 2. III.* Est illorum, *qui, quamuis non negent, animam rationalem esse formam hominis: tamen humanitatem proprie hominis formam enunciant, vt Scalig. libr. 8. de c. d. l. cap. 12. sicut eidem caninitas, asininitas, leonitas, sunt formæ canis, asini, leonis exerc 307. sect. 20. Et Goclen. libr. 1. inst. log. pag. 111. & in Metaph. disp. 1. th. 5. Sic cœlitas Auerroi cœli forma est. 1. de cœl. cont. 92. IV.* Denique Casmanni *formam veram hominis in vnione corporis, & animæ constituentis lib. 1. phys. pag 3. & seqq. Nos de munitione & præsidio veræ sententiæ tantum dispiciemus. I. Arg. a definitione formæ excipimus.* Forma est caussa per quam res est id, quod est. *ex Arist. dd. ll. Atqui per animam rationalem homo est homo. Hoc, quia ἀντιλεγόμενον, ideo demonstrandum. In confesso apud a-*

mines, formam alicuius rei vestigaturis non esse quid quaerendum extra ipsam rem. sed aliquid intra ipsam, aut aliquid de ipsa. In confesso & hoc: idem numero non esse formam sui ipsius. Si esset ita, formam non vestigaremus, quando rē ipsam expromtā habemus. Itaque: omnē formam distinctā esse oportere a re, cuius est forma. Adde, quod aliud sit, habere formam, aliud essentiā, aliud differentiā. Nihil certe sine essentia est, nihil sine differentia. *Conf. Pic. l. 3 de 1. mat. c. 4. At est aliquod sine forma; Ecquod id? Nempe formā ipsa.* Formarum enim non dantur formæ. *Scal ex. 6. sect. 2. Si enim darentur, forma nō esset principiū. At est principiū. Arist. 1. phys. & principiorū internorū sēper ponerentur principia interna, & iretur in infinitū.* At in vnoquoq; genere caussarū vnum est primū. *ex Arist. 2. Met. c. 2. Sic aliquid necessario est, quod tantū est efficiens: & aliquid, quod tantū effectus Gocl. lib. 2. phys. disp. 13. θ. 11. Forma igitur hominis, qua homo, est homo, hoc est, in specie collocatur, aut erit anima rationalis, aut corpus, aut aliquid præter materiam & animam rationalem. Aliquid tertium præter ea non est: id enim quod est præter ea, aut erit substantia, aut accidens. Substantia esse non potest, reperirentur enim in homine tres substantiæ distinctæ. 1. Anima. 2. Corpus. 3. Illud tertiū. Sed nullum id tertium Erit igitur accidens.* At accidens nullius substantiæ forma est. *Zab. lib. de const. ind. c. 1. Nec homo ipse sibi forma est: essentia quidem est; sed forma non est.* Nihil *enim* est forma sui ipsius: *vt dictum. E. forma hominis erit necessario aut corpus, aut anima rationalis. Corpus non est, vt constat. Relinquitur ergo vt sit anima rationalis. Et hæc forma est hominis vt*

nis ut absolutum quiddam. Rei enim absolutæ forma nequit esse nisi absoluta. *Perer. libr. 1. phil. nat. cap. 5. Quia & homo ipse est quid absolutum. Et tamen anima rationalis, quæ forma est, & ἐντελέχεια, refertur. Zab. lib. de ment. hum. cap. 7.* At nihil potest esse perfectio alterius absoluti essentialis, nisi ipsum sit absolutum. *Ideo fundamentum formæ absolutum est, terminus autem relatum quiddam. Et quia fundamentum absolutum est, ideo hæc forma quoque absoluta dicetur.* Omnis enim substantia subiecta absoluta est a relatione. *Scal. lib. 4. de causs. latin. ling. cap 93.* II. *Arg. a formæ proprietate.* Omnis forma primo distinguere facit. *Arist. 7. Met. c. 13.* Quicquid enim rem aliquam primo constituit, primo etiam distinguit eandem ab aliis. Et quicquid primo constituit, eo ablato primo quoque res aufertur. *Zab. libr. de const. ind. cap. 10. At anima rationalis primo distinguit hominem ab aliis: nihil enim est, quod habeat animam rationalem, præterquam unus homo. Estq; vis ratiocinandi prima hominis, qua homo est, proprietas. Flac. libr. 2. log. gen. cap. 9. E. erit vera hominis forma. 3. Arg. Id vera est forma, quo accedente species fit, & quo recedente eadem tollitur. Scal. ex. 365. sect. 1. At accedente anima rationali noua fit species: & recedente ea tollitur. E. 4. Arg. Principia interna cuiusque compositi duo sunt: unum est, ut potentia, alterum ut actus. Aristot. d. libr. 2. de an. cap. 1. Quæ duo spectantur, vel ratione receptionis, vel ratione perfectionis. Ratione quidem receptionis, potentia dicitur receptiua, actus receptibilis. Ratione*

vero perfectionis, potentia dicitur perfectibilis, actus perfectiuus. Scal. ex. 307. s. 27. Atqui potentia respondet materiæ, actus formæ. Scal. ex. 325. sect. 2. Cum igitur hominis partes duæ sint, corpus & anima rationalis, illud potentiam esse, & hanc actum, proindeq; formam, necesse est. Ex his enim duobus fit vnum per se. *Arist. 8 met. c. 6. text. 5. Ex* corpore autem & anima rationali vnum per se fieri nequit, nisi corpus ita cõparetur, vt proportionem quandã cum anima rationali habeat. Proportio enim magna est rerũ conciliatrix, *Vide Coll. Conimb. l. 1. phys. c. 9. q. 11. art. 2. Hæ rationes principes, auctoritatibus, quia sat earum, non tam vtimur iam.*

Ζήτημα Physicum.

2. Vndenam oriatur mens humana?

ARduum hoc & prope altius, quam vt humanus captus id capiat. At nos in hoc discutiendo non aliis, quam quæ a natura ipsa latæ & fixæ sunt, vtemur legibus. In conspicuo est, mentem humanam esse substantiam. Ex. 2. de anim. cap. 1. &c.* At omnis substantia, *præter Deum*, dependens est, quia finita, *Scaliger. exerc. 359. sect. 3.* Finitum enim nihil, nisi ab alio finitum, *idem exerc. 77. sect. 5. Ergo & mens humana erit necessario ab alio. Quæstio autem est de efficiente proximo & immediato. Efficientium enim quod proximum est & immediatum, proprie efficiens est. Zabar. ex Auerroe libr. de speciebus demonstrat. ca. 7. mens autem humana aut intelligitur ea, quæ in Adamo, aut quæ in Eua, aut deniq; vniuersim de ea, quæ in posteritate. Ecquod ergo efficiens proximum mentis Adami? Aut Deus, aut non-Deus. Si non-Deus, fuerit necessario intelligentia aliqua,*

aliqua, aut alia mens. Non hoc, quia vt Adamus omniũ hominũ fuit primus, ita & omniũ primã mentẽ humanam habuerit ratio euincit. Nõ ab intelligentia aliqua. Hæc.n. creasset mentẽ istã, aut generasset, aut ex se propagasset. Non illud, quia creatio est cõstitutio substãtiæ ex nihilo. *Scal.ex.6.sect.13. At* illa cõstitutio nõ est finiti entis, sed infiniti. *At intelligẽtia illa est necessario finita, si quid est præter Deũ aut extra Deum. Neq, generauit, aut ex se propagauit. Quicquid.* n. ita efficit quicquã sibi simile secundũ speciẽ efficit. *Arist.7.primæ philosophiæ cont.28. At intelligentia & mens sunt species diuersæ sub vno genere. Confer Scaliger. dict. ex.6.s.1. & Collegium Conimbr. libr.1.physic.cap.9.quæst.12.art.2. Ergo mens Adami erit a Deo vt efficiente proximo. Ergo creata. An perinde etiam creata anima Euæ? quis neget æque eam creari potuisse? At in sacris legimus, Euam ex Adami costa formatam, tũ, vt explicat Taurellus, ne videretur eius ab Adami natura diuersa, tum, vt quantum fieri possit, quam minime a destinata speciei propagatione recederet. Tract.3. Triumph. philos. pag. 229. Sacræ E. literæ confirmant, Euam ex Adamo transsumtam. Ergo & animum Euæ diuina virtute transsumtum ex Adamo sequetur. Ergo anima Euæ non erit creata primo, neq, generata, vti constat: opus enim generationis tum temporis nulli animantium generi commissum erat, neque ea, solo Adamo existente, fieri poterat. Erit ergo necessario modus producendi medius inter creationem proprie dictam, & generationem. Qui quo nomine insigniendus sit, intelligentibus relinquam. Vocabulum propagationis seu traductionis non nimis absurdum videatur. Sed*

arcte non defendam. Hactenus de Anima Adami & Euæ. Quid de anima rationali posteritatis iam disserendum? Creatam eam esse negamus. Rationes I. Anima Euæ non est creata, sed peculiari quodam modo propagata. Ergo multo minus posterorum animæ erunt creatæ. Deus enim, quando media idonea in parato sunt, non equidem negligit ea. II. Omne animal perfectissimum habet vim sibi producendi simile. *Ex 2. de anima cap. 4. text. 34. & 2. de generat. cap. 10. text. 50. Atqui homo est animal perfectissimum. Ergo. Quod si ei detraheretur generatio, homo non esset animal perfectissimum, sed* πήρωμα *seu opus quoddam mancum & mutilum. III. Imo si brutis animantibus ea potestas permissa est, diuinitusque concessa, vt eorum quodlibet sibi simile producere habeat, vt quidquæso eandem homini quoque concessam esse tantopere negemus, cum nec sacræ literæ eam negarint vnquam? IV. 2. physic. cap. 2. text. 26. Homo dicitur generare hominem. Quod si ergo homo hominem generat, necessario quoque anima intelligens vna producetur. Homo enim sine anima intelligente non est homo. V. Et ad extremum, si anima rationalis quotidie cælitus infunditur & recentissime creatur, homo adhuc creari potius, quam generari dicetur. Rationalis enim anima est potior & nobilior hominis pars. At a potiori solet fieri denominatio. At generari potius homo, quam creari iam dicitur. Generatio enim* neque formę propriè, neque materiæ tribuitur sed toti cōposito, quod ex vltimæ formę aduentu generari dicitur. *Zabar. libr. de generat. & inter.*

cap.

cap. 4. Scaliger ex. 101. sect. 15. ex. 282. sect. 1. & 346. Piccol. lib. 1. de creat. cap. 7. & Fonseca 5. metaphys. ad cap. 2. quæst. 7. sect. 3. Hæc philosophica argumenta præcipua sunt, ex quibus probatur, hominem, totum hominem generare & propagare, quæ ideo sancte tenenda: quia cum sacris literis neutiquam dissentiunt. Neque tamen hic Deum plane excludimus. Deus enim ideo generat, quia Natura generat. *Omniumq; motuum naturalium caussa est, quod naturam apparuit vniversam, quam tali agendi propagandique vi exornauit & benedixit. Vide Taurell. in Synops. metaph. pag. 118. Non itaque placet illud Scaligeri dicentis.* Natura generat, quia Deus generat. *ex. 77. sect. 5.* Generatio enim naturæ proprie tribuitur, non Deo; & Deo proprie creatio, non naturæ. *Nec placent illæ multorum Metaphysicorum gerræ asserentium:* Deum naturæ agenti in agendo essentialiter concurrere, *qua in opinione quoque hæret doctissimus Fonseca 5. metaphysic. ca. 2. quæst. 8. sect. 1. 2. & 3. quæst. 12. sect. 1. Si enim Deus Ter. Opt. Max. essentialiter concurreret Leoni & Tauro sibi mutuo resistentibus, Deus certe agens in Tauro sibi resisteret in Leone, & agens in Leone sibi resisteret in Tauro vicissim. Quo nihil foret absurdius. Diuinam prouidentiam agnoscimus, at illam essentialem Dei ad res naturales naturaliter agentes concursum impium iudicamus. Deus enim in se suam felicitatem habet, non extra se. Quæ caussa est, vt naturam semel fecerit, cui actiones huiuscemodi committeret, ne perpetuo ipse in hisce occupatus teneretur. Vide Taurell. in Synopsi metaph. pag. 116. & seqq. Verum de modo, quomodo anima rationalis propa-*

getur & in fœtum subeat, exquisitu longe difficilius est, itaque tam paucis expediri nequit. Mihi quidem verior sententia videtur eorum, qui animam rationalem sui promotione gignere aliam, quæ certo tempore, semine iam perfectius elaborato, in fœtum sese indat, eadem sane ratione, qua in accretionibus induit sese in alimenti materiam nouam. Ubi nihilominus propagans anima integra manet, quemadmodum a lampadis flamma flammam excipimus, illa nihilo secius integra remanente. Confer Scaliger. ex. 6. sect. 11. & 307. sect. 13. Confirmatur ex Zabar. lib. de ort. & interit. cap. 2. & ex Philosopho 2. de generat. animal. c. 3. Hæc enim sententia minori cum absurditate est coniuncta. Qui enim in potestate seminis eam esse dicunt, vel minus commode dicunt, vel certo inuiti ad prædictam sententiam compellentur. Sed hoc ἐν τῷ παρόντι discutiendum, non verbis latioribus explicandum. Per enim libenter cuique suam vt opinionem, ita & iudicium, in difficili hac quæstione, saluum permittimus.

Ζήτημα Ethicum.

Vtrum verecundia omni ætati conueniat?

V*Erecundia non est e sanctissimo virtutum concilio, quia* nulla virtus est *πάθος*. *Arist. 2. Eth. c. 6. At verecundia πάθος. 4. Ethic. cap. 9. & quidem subito nascens, & subito denascens. d. cap. 9. Laudabilis tamen est affectus: per hunc enim sicubi a recto deflexerimus, ad recti calcem reuocamur, & ad virtutem capessendam pellicimur. Hacne in omnem ætatem*

ætatem conuenit? Aristot. adolescentiæ eam solam conuenire docet; ac senibus disconuenire. Plato autẽ omnibus. Scriptum enim reliquit in Protag. Iouem, dum metueret humano generi, ne periret, misisse Mercurium, qui pudorem & iustitiam ad homines adduceret, illasque vniuersim omnibus distribueret; & qui pudoris, & iustitiæ minime capax esse posset, veluti fœdissima ciuitatis lues e medio exscinderetur. Facilis est conciliatio. I. Non omnia, quæ apud Platonem dicuntur, ex mente Platonis & Socratis dicuntur. II. Vox verecundiæ est æquiuoca; aut enim accipitur pro quauis mali formidine, & vitatione flagitii, & cupiditate honesti: aut pro repentina quadam animi perturbatione, quando scil. natura pudore tacta, sanguinem ante se pro velamento q. tendit. Illo modo accipit Protagoras; hoc Aristoteles: illo in omnem ætatem decenter cadit: hoc non item.

Ζήτημα Logicum.

I. Vtrum Syllogismus logicæ vniuersæ finis?

NEgant Ramei ex Ramo lib. 2. schol. Dial. cap. 5. & 6. At aiunt Peripatetici. Sed distinguunt finem in vniuersalem & principem. Vniuersalem internum faciunt Syllogismum, principem internum Demonstrationem. Zab. lib. 1. de nat. log. c. 10. & 18. At Ramo is est disserere, seu ratiocinari, quem finem ita late accepit, ut singula & vniuersa logica Ramea membra ad eum sigillatim & vniuersim dirigantur & conspirent. dict. libr. 2. capit. 5. Confer Goclen. part. 4. probl. logic. quæstio 1. Con-

serta iam inter ipsos ea de re altercatio. Ego sic statuo. Alia logicæ disciplinæ constitutio & forma alium quoque finem exposcit. *Omnis enim finis rei constitutionem sequitur. At alia est Logicæ Rameæ, alia Peripatetica constitutio & forma. Ass. prob. ex Rami d. libr. cap. 5. & 8. adeoque ex vniuerso ipsius Logicæ corpore. Et ex Zab. lib. 2. de nat. log. cap. 10.* Vere enim logicum Peripateticis dicitur nihil, nisi quod inferendi habet potestatem. *Zab. lib. 3. de meth. cap. 13. Cetera vero, quæ non sunt vere logica, ad vere logica referuntur, sicut punctum ad lineam, & terminus ad id, cuius est terminus. Vide eund. Zabar. lib. 4. de meth. cap. 12. Ex constitutione Ramea non est alius, nisi differere, ex Aristotelea non est alius, nisi syllogismi fabricatio. At vtra constitutionum istarum præstat? Hoc discussioni nostræ & intelligentium iudicio relinquo. Ego enim ne nescias, amplio.*

2. Num ordo syllogismorum simplicium Aristotelicus præstet Rameo, an vero hic illi?

NOn capitis res hæc est: iccirco nec capitalis erit pugna cum eo, qui vel ordinem Rameum, vel Aristotelicum sequatur. Suis vterque stat rationibus. Pro Aristotele hæ. I.* Figura prima habet omnium illationum necessitatem clarissimam & maxime euidentem, *cum dispositio in ea sit maxime naturalis. Goclen. part. 4. problem. logic. quæstio. 33. At quo quid clarius & euidentius, & quo quid naturalius, in ordine eo magis præcedet. II. Quid qualibet.*

quæstiones hic cõfirmari & concludi possunt, quod in ceteris figuris non item est. Usus igitur primæ figuræ communissimus. III. Quia medium in hac figura proprie habet rationem medii, cum collocatione medium sit inter duo extrema. Zab. lib. de 4. Syllogism. fig. cap. 2. Ramus contra tertiam figuram facit primam. Rationes hæ. I. *Tertia* figura omnium *est imperfectissima, quia edere nequit conclusionem vniuersalem. Zab. in tab. prior. analyt. At in* ordine doctrinæ imperfectius præponitur *perfectiori. Natura enim progreditur ab imperfectioribus. Figura autem prima perfectissima & præstantissima.* II. Cuius figuræ dispositio simplicissima est, clarissima & facillima, ea merito antecedit. *Talæus lib. 2. Log. Ram. p. 268. Ut enim simplex syllogismus compositum propter simplicem quæstionis cum argumento dispositionem antegreditur, sic species hæc Syllogismi simplicis, propter rationem eandem, reliquas. ibid. At figura tertia Aristotelica dispositio est talis.* Simplicissima: *quia argumentum tertium subiectum est in vtraque præmissarum, & quæstionis partes vtrobiq; sequũtur. Quæ simplicissima collocandi ratio solius tertiæ figuræ. Confer Ram. lib. 7. schol. Dial. c. 5.* Clarissima, *quia principiis clarissimis fundatur: Quorum vnum in affirmatis hoc est*: Quæ duo conueniunt in vno tertio, ea etiam inter se conueniunt. *Flac. lib. 5. Log. gener. c. 13. Alterum in negatis hoc.* Quæ duo non conueniunt in vno tertio, ea nec inter se conueniunt. *ibid.* Facilima, *quia facilius medii termini & quæstionis collocationem vniformem memoria retinere licet & exercere, quam diuersiformem. At*

ente, nihil fit. *Arist. 1. phys. c. 8. Hoc non ens duplex est: Aut enim nunquam erit, & tamen esse potest. Scalig. d. ex. 307. f. 24. vt, quod ingrati mihi beneficiorum gratiam reponant; vt quod struma mens deponat ambitionem. Aut nunquam erit, nec esse potest, quia talis entitas repugnaret entitati. Hoc autem est absurdum, velut duos esse Deos: duas infinitas naturas coæternas.* De hoc ente, quod prorsus non ens est, *institutum est quæstionis exordium. Et hoc nos dicimus esse aliquid. Quia de non ente pronunciatur aliquid. E. & ipsum aliquid esse necesse est. Sic Stoici faciebant τὸ τὶ genus supremum omnium, diuidentes ipsum εἰς τὸ ὄν, καὶ μὴ ὄν, teste Mureto, ad Senecæ epist. 59. Cum igitur aliquid τὸ τὶ diuidatur in ens & non ens, non ens necessario erit aliquid. Sic Arist.* quodlibet dicit esse ens aut non ens. *4. Metaph. cont. 9. Si quodlibet diuiditur, non ens erit aliquid necessario. Non enim diuideretur quodlibet.* Et tanta vis est essendi, vt etiam non ens, veluti Cerberus, esse non ens dicatur, καὶ τὸ μὴ ὂν εἶναι μὴ ὂν φαμέν *Arist. 4. Met. c. 2. Quid? si de non ente prædicamus, quod sit nihilum, ex eo ipso sequitur, ipsum non ens esse; & ipsum quoque nihilum esse aliquid, quia prædicatur. Breuiter: Quod subiicitur est aliquid, & quod prædicatur est aliquid. Vna sic distinctione bellum finitur. Non ens, seu nihilum, prorsus est nihil; & est etiam aliquid, & quodammodo ens. Prorsus nihil si existentiam & essentiam realē spectes; extra.n. mentē nihilum nihil prorsus est, & sic nō ens simpliciter. Non ens tamē, seu nihilū, quod simpliciter in natura nihil est, in mēte aliqd est.* Non

ens

ens aliquo modo est ens, quatenus intellectus in illo apprehendendo versatur, quasi de ente. *Scal. ex.65. s.2. Sic Fonseca, Chimara, inquit, est ens, cui esse pendet ab operatione intellectus, vt de nullo ente reali dici possit. 5. Metaph. c.7. q. 6. s.5. Non ens igitur est aliquid, & prorsus est nihil. Sed sic re nostra hac disputatio est nihil, & tamen est aliquid: ioco sic finio.*

2. Quomodo intelligendum, non entis nulla accidentia?

Quotidianæ vsurpationis est axioma: Non entis nulla sunt accidentia. Sca ex.5. s.2. Vacuum, ait, seu inane, a nulla quatuor caussarum fieri potest; materiam nullam habet; hac enim est eius notio: formã nullam, cui nulla entitas, ei ne essentia quidem, &c. *Sed neque accidens est, nam cui accidat id, quod non est. Verissimum est axioma, & ex præcedenti præclare intelligitur. Illud non ens, quod prorsus nihil est, nec erit vnquam, intellige secundum existentiam realem, nulla quoq; accidentia habebit. Demonstratio. Quia illud nõ ens nullam habet essentiam.* E. *nec accidentia.* Accidentia enim essentiam consequuntur. *Verum si per non ens intelligas ens rationis, etiã ipsum habebit accidentia, sed rationis accidentia.* Quale enim ens, talia ipsius accidentia. *Confir etiam Goc. part. 1. pr. l. q. 46. Vnde etiam capis, quomodo capiendum illud: Iacobus antequam esset, fuit electus. Electio tribuitur Iacobo, non vt non enti simpliciter, sed tali quod aliquando futurum: imo Iacobus fuit in voluntate Dei, ab æterno κατ' ἰδέαν. Nihil enim Deo futurum est. Quid ergo mirum & ipsum ab æterno fuisse electum?*

Ζήτημα

Ζήτημα PHYSICVM.

1. Nunquid intellectus singulare cognoscat?

A*N singulare vniversali sit natura prius, disceptatum est, in præsenti præsentẽ vellico, anne intellectus singulare cognoscat. Qui negant, reuera seipsos non intelligũt, omninoq; de singulari disputare nequeunt: cum tamen de eo disputent. Ridiculi. Nos intellectum vel maxime singularia percipere statuimus, Rationes hæ.* I. Anima ἡ ψυχὴ τὰ ὄντα πῶς ἐστι πάντα. *Arist. 3. de an. t. 37. hoc est, Auerroe interprete, intellectus fit omnia non simpliciter, sed per modum similitudinis & receptionis. Si omnia fit, vtique etiam singulare. Tria sunt quæ sunt omnia.* 1. Deus; qui est simpliciter & a seipso. 2. Est materia prima, *quæ est omnia potestate recipiendi formas naturales. 3.* Est intellectus noster, *qui omnia est potestate recipiendi intelligibilia. Scal. ex. 6. s. 2.* II. Qui ponit discrimen inter duo, is vtrumque cognoscit. *Zab. li. de ord. int. c. 3. At intellectus ponit discrimen inter duo singularia. Dicit enim, Cato non est Cæsar. Et intellectus dicit, Singulare non est vniuersale Scal. ex. 307. s. 16. E. cognoscet singulare.* III. Substantia singularis cognoscitur. *E. aut a sensu, aut intellectu. Non a sensu: is tantum speciem sensilem accipit, quæ an accidens substantiaue sit, aut an ei accidens substantiaue subsit, diiudicare non habet. Sensus enim nullus tibi dicet, id substantia est, nullus dicet, id accidens. Quid enim substantia accidẽsue sit ignorat E. cognoscit quidem aliquid sensus, sed quale id sit, æque cum multis incompertum habet. Intellectus ergo substantiam o-*

mnem cognoſcet. E. etiam ſingularia & indiuidua. IV. Intellectus in proportione hac: Cæſar eſt homo, intelligit prædicatum conſenſu omnium. *E. etiam ſubiectum, nempe Cæſarem.* Nemo enim intelligit prædicatum, niſi intelligat, cuius ſit prædicatum. *Et per-ſit-abſurdum, propoſitionem ex priori ſemiſſe a ſenſu, altero ſemiſſe ab intellectu imbibi. Scalig. d. ex. 307. ſ. 16.* V. Senſus *cognoſcit ſingulare, vt omnes profitentur. E. multo magis intellectus. Quicquid enim cognoſcit facultas inferior, id etiam ſuperior: & vbi inferior facultas deſinit, ibi incipit ſuperior. Facultates ſiquidem cognoſcēdi ſunt ſubordinatæ propter vnitatem animalis. Zab. d. l. c. 3. Quare ſi ſenſus ſingularia percipit, etiam intellectus neceſſario.* VI. Qui percipit cauſſam, neceſſario percipiet effectum. Ἀξίωπιστον. *At intellectus percipit vniuerſale. At hoc eſt cauſſa ſingularis. Ariſt. 1. poſt. E. multo magis ſingulare ipſum. VII. Adde quod hic homo per ſe hunc hominem nō perciperet, qua homo eſt, ſed qua animal. Quæ foret ſcutica digna ſententia.*

2. Quomodo intellectus ſingularia cognoſcat?

Quaſtio dubioſa, in qua, vel Delio, ſicut dicitur, natatore opus. Probatum intellectum ſingulare cognoſcere. At quo modo id? intellectio eſt receptio. Scalig. ex. 307. ſ. 21. At nullū ſingulare, quod extra eſt, recipitur intra in intellectū. *Ariſt. 3. de ani. t. 38 Si enim eſſet ita, Aſinus ipſe, quem oculis conſpicaris tuis, tranſiret in intellectum tuum. At quibus machinis is ſe in ſenſum inferret, & inde ſe penetraret porro in intellectum vſq;, in quo figat ſedem? Et quomodo intel-*

intellectus tuus intus asinum ipsum concludet & portabit, vt nihilominus ipse foris maneat? ex d. ex. 307. s. 21. Et tamen intelligis asinum istum & recipis. Necessario fatendum hic, non esse eiusdem notionis speciem interiorem, quæ intellectui transmissa est, & exteriorem, quæ foris manet. Interior, quæ transmittitur ad sensum, spiritalis est: exterior, quæ manet, realis, *vt asinus ipse realis. Hanc non percipit intellectus, sed illam a sensu communicatam & translatam porro ad se & intra se. Species autẽ illa spiritalis est imago & q. expressio speciei realis. Ideo cum istam accipit intellectus periade putat, ac si rem ipsam acciperet. Cognoscit ergo intellectus primo speciem receptam, secundo rem, quæ per speciem significatur. Atq; hæc intellectio recta est: inflexa autem, cum intellectus se ad seipsum conuertit, & seipsum intelligit, & intellectionem suam. Scalig. ib. s. 20. Quæ fit sine specie spiritali. Sicut etiam speciem immissam sine specie alia intelligit. Scal. ib. s. 21.* Non *igitur* omnis intellectio fit per speciem. *Quid autem species illa sit, & quomodo a reali eliciatur, id superiori disput. 12. agitatum est.*

3. Priusne singulare, an vniuersale intelligatur, & vtrum facilius?

Q*Væstio vna in duas diuisa est. Propositio prima.* Intellectus ordine naturali prius apprehendit singulare, quam vniuersale, *contra Iauell. 7. Met. q. 16. Rationes I. Omne vniuersale est in singulari, præclare siquidem Alex. lib. 1. nat. q. c. 11.* Definitionem esse vniuersalium exsistentium in singularibus & singularium, secundum id commune quod est in eis. Et omne vniuersale au-

fertur a singulari, intellectus opera. *Greg. Arimin. 1. sent. dist. 3. quæst. 3. E. prius singulare cognoscet.* Ablatum enim ab aliquo non potest cognosci, nisi ante cognoscatur id, vnde est ablatum. *Zab d. l. de ord. int. c. 5.* II. Quæ sensui sunt propinquiora, sunt nobis (*intellectui nostro naturaliter procedenti*) notiora. *Arist. 1. post. t. 5.* At omne singulare est sensui propinquius. *Arist. ib. E. & intellectui naturaliter notius. A sensib. enim ad intellectum tanquam per pontem statim defertur singulare, adeo vt necesse sit prius ipsum singulare apprehendi, quam vt naturam communem, quæ intus est, contempletur. Propositio altera.* Singulare promtius & citius apprehēditur, quam vniuersale; *V. g. citius Socrates, quam homo. Rationes.* I. Omne confusum facilius apprehenditur, quam distinctum. *Zab d. l. c. 5. At singulare respectu vniuersalis, est quiddam confusum. Sensius perceptio id confirmat. Nam in sensu tota alicuius facies prius nobis occurrit indistincte, quam oculus, aut nares, aut reliqua faciei partes. Cæsalp. l. 1. q. Perip. quæst. 1. At intellectus in ordine cognoscendi, sibi naturaliter insito, imitatur sensum.* II. Id quod per lineam rectam ad mentem perfertur, id facilius apprehēditur & intelligitur, quam id quod per lineam obliquam. *Ratio; quia ibi intellectus statim excipit rem ad se transuectam, hic autem, non statim, sed reflectit se quodammodo ad intuendum etiam id, quod intrat in eo, quæ directa deferebatur. At singulare per lineam rectam cognoscitur, vniuersale per obliquam Arist. 3. de ani. t. 10. III. sic est:* Vniuersale intellectus non cognoscit, nisi cognito singulari. *At singulare percipit etiam non percepto vniuersa-*

uersali. E. singulare facilius percipietur. Quicquid n. minus negotii facessit, facilius factu est, quam id quod plus. At cognitio vniuersalis plus exhibet negotii. At minus cognitio singularis. E. Sciendum est, alium esse ordinem, quem intellectus sibi & apud se seruat naturaliter, & alium illum, quē in scientiis & disciplinis. In illo imitatur sensum, & suam ipsius naturā sequitur. In hoc imitatur res & rerum naturā & ordinem. Ille naturalis est intellectui, hic artifi iosus eidē, sed naturalis rebus ipsis. Quo spectat Scaligeri. Intellectus ordo sequitur ordinē entium. *ex.2. Et hoc eiusdē*; intellectus ordo *scil.* naturalis alius est ab ordine naturæ. *ib. & alibi.*

4. Quodnam primum vniuersalium ab intellectu cognitione naturali apprehendatur?

P*Ropositio*: Magis vniuersale prius, quam min⁹ vniuersale, ab intellectu naturaliter & facilius cognoscitur. *Ratio. I.* Quicquid sub totius notione sese offert, prius cognoscitur, quā eius partes. *Scal ex 307. s.21. Quia omne totū, qua totū, est quiddā cōfusū. At omne cōfusū nostro intellectui in cognitione originali pri⁹ occurrit, quā distinctū. Arist. 1. Phys. con.4. Quia prius cognoscimus naturaliter vnitatem, quam multitudinem. Cæsal. d.l.1.q. Per. q.1.* Vnum enim est mensura multitudinis, ipsa autem mensura in vnoquoq; genere notissima est. *At totum & confusum vnitatē significat, multitudo autem distinctionem & partes. E. genus omne sub notione comprehensionis & prædicabilitatis notius erit, quam species. E. omne integrum erit notius nobis, seu intellectui*

nostro, q̃ eius partes. E. omne indiuiduũ erit etiam notius nobis, q̃ eius partes. E. etiã omnis species, sub ratione cõprehensionis, erit notior, q̃ indiuiduũ. Species n. in indiuidua secatur. E. omnis species constituta prius, q̃ cõstituentia. Sic homo ex lõginquo veniens. 1. cognoscitur vt hoc ens. 2. vt hoc corp⁹. 3. vt hoc animal: tandẽ vt hic homo. Zab. d. l. c. 3. E. quicquid ita ab intellectu primũ cognoscitur. vt ad singularitatẽ restrictũ cognoscitur. E. quo quid est magis totũ & plus comprehendit, id prius semper naturaliter cognoscitur. *E. prius ens, quam corpus. prius corpus quam animal, prius animal quam bestia, prius bestia, quam equus, prius equus, quam Bucephalus, Alexandri equus:* omnis n. intellectio originalis a sensu dependet. Et talis est ordo intelligendi, qualis ordo sentiendi. *Zab. d. l. c. 2. E.* quod sensus primũ accipit, id intellectui primũ offertur. *At sensus pri⁹ accipit hoc corpus, q̃ hoc animal, & pri⁹ hoc animal, q̃ hunc hominẽ, & prius hunc hominem, quam Socratem. Possum enim hunc percipere & ignorare, Socratesne sit, an alius.* 3. Quicquid est facilioris ablationis, vt Scaliger ait, seu abstractionis, vt alii, id etiam est facilioris perceptionis. *Scot. 1. sent. dist. 3. q. 2. At* genus est facilioris ablationis, quam species. *Zab. d. l. cap. 12.* In omni enim specie pluressunt aggregatæ conditiones, & plures differentiæ, quam in genere. *Zab. ibid. E. genus enim erit facilioris intellectionis, quam species. Quicquid autem facilius est intellectui, id ei est naturalius & prius perceptui. In naturali n. cognatione a faciliorib. semper incipit.* 4. *Quia* professione omniũ citius cõuenientias rerum percipimus, quam differentias earundem.

At conuenientia in communioribus, differentia in specialiorib. E. Et tamen verissimũ: Singulare natura prius vniuersali cognosci, ex q. 3. disp.b. Applices ergo distinctionem. Vniuersale aut est absolute vniuersale, vt ens, corpus, animal: aut restrictum per conditiones, vt aiunt, indiuiduantes; vt hoc ens, hoc corpus, hoc animal, &c. Sic etiam singulare aut est absolute singulare, vt Socrates, aut restrictum ad singularitatem, vt hic homo, quod quodammodo vniuersale. In hac quæstione loquimur de vniuersali restricto; in illa, de vniuersali absolute.

Ζήτημα Ethicum.

I. Num amicitiæ mater sit indigentia?

APud Epicureos vox hæc in honore: μισθοῦ γὰρ ἄνθρωπός τις ἄνθρωπον φιλεῖ. Aperte enim profitebatur, amicitias suo quemque commodo ac voluptate metiri, adeo vt ne filios quidem patribus caros esse dicerent, nisi propter voluptatẽ fructũq;, quem ex iis aut caperent, aut se aliquando capturos sperarent. At rectius Stoici, qui dicebant, hominem esse animal natura congregatiuum & appetens societatis; imo ab ipsa natura esse amicitiam inter omnes constitutã. Rectius Aristot. qui veræ amicitiæ caussam honestatẽ facit, atq; magna cum virtute cognatione teneri docet. 8. Eth. c. 2. Rectius Plato in Lyside, de amicitia agens, eã ex indigentia oriri facit. Et in symposio in oratione Socratis πενίαν asserit amicitiæ matrẽ. Quod Cic. lib. de amicitia reprehendit. Nos pro Platone sic philosophabimur: Amicitiam nõ esse indigentiã, sed ex indigentia ortum traxisse ostendimus, Homo amicitiam honestã iuncturus optat vitæ coniunctionẽ, & coniunctæ vitæ conseruationem. Quicunq; aũt optat aliquid, appetit aliquid. Quicunq; aũt appetit aliquid, in-

diget eo quod appetit. *Omnis n. appetitus rei absentis est, non præsentis, & qua frui potest. Scal. ex. 307 E. Omnis amicitiam iuncturus indiget vitæ coniunctione. Hic oritur statim indigentia coniunctionis vitæ. Et si quæras, cur amicitiam honestam cum ipso tibi conciliare aggrederis? pulcre respondeas, vt vitæ sit cõiunctio & conseruatio, qua eges. Ecce caussam finalem. Quæ tantopere est caussa, vt omnium caussarum prima & vltima censeatur. Fons. 5. Met. c. 2. q. 16. s. 4. Egẽtia igitur caussa per accidẽs amicitiæ, qã veræ caussæ adhæret. Conf. Pic. g. 7. ph. mor. cap. 2. quem tamen omnino non sequor.*

Ζήτημα Logicum.

1. An præter tres syllogismorum species, sit concedenda quarta?

PEripatetici tres duntaxat syllog. figuras agnoscunt. Galenus autem, & qui cum ipso, quartam addendam censuere. Et sic definiri potest: Quarta figura est, in qua medius terminus in maiore sequitur affirmate, in minore præcedit vt libet, vt complexio particularis efficiatur. Maior quidem etiam negata esse possit, sed certius est, vt sit semper affirmata, sicut in figura tertia minor affirmata requiritur, cum etiam queat esse negatã. Exemplum. Homo est animal. Animal est corpus. Quoddam igitur corpus est homo. An iste processus admittendus vti necessarius, & naturali argumẽtationis modo conueniens? Affirmant, qui cum Galeno: negant Peripatetici, & imprimis Zab. l. de 4. syllog. fig. c. 8. & seqq. Ego admittendam censeo. I. igitur ostendam dari figuram. 4. II. Eã esse necessariam. III. Processum in ea esse naturali collectioni conuenientẽ. 4. Peripatet. fundamentũ esse infirmum. Dari quar-

tam figuram manifestum. Datur quarta sedes argumenti. E. & 4. Syllogismorum figura. Dispositio n. argumenti tertii seu medii termini cum quæstionis partibus efficit figuram. At ea quadruplex. Aut enim medius terminus præcedit, & sequitur in præmissis, vt in prima, aut vtrobiq; sequitur, vt in secunda, aut vtrobiq; præcedit, vt in tertia: præcedit deniq; & sequitur in quarta. E. etiam quadruplex figura. Necessaria est. I. Quia necessitas eius per figuram primam ostenditur & manifestatur, quodne ipsi quidem Peripatetici inficias ierint. II. Quia Sorites iuxta figuram quartam informatur, & ita procedit, vt figura quarta. Quare si Soriten non reiiciunt Peripatetici, nec reiicient figuram quartam Fundamentum enim Sorita est in figura quarta. Nec illatio naturæ repugnat. Quod sic ostendo. Homo est animal: animal est corpus. Quidam igitur homo est corpus: illatio naturalis. Hæc enim est, quando id, quod in propositionib. prædicatur, manet etiam prædicatum in conclusione. Zabar. d.l.c.10. At hic tale fit. E. & ex consequenti, quoniam quidam homo est corpus, etiam quoddam corpus erit homo. Omnis enim particularis affirmatiua conuertitur simpliciter. *Zab. tab. log. pr. an. p. 46. Sic in figura tertia etiam concludo. Aristot. fuit Philosophus. Aristot. fuit Ethnicus. E. quidam Philosophus fuit Ethnicus, & ex conseq. quidam Ethnicus fuit Philosophus. Funmentum deniq; Peripateticorum instabile. Dicunt: illatio illa est naturalis, quando prædicatum in præmissis manet etiam prædicatum in conclusione. Hæc autem non seruatur, quando sic infertur. Homo est animal: animal est corpus. E. quoddam corpus est*

homo. Resp. 1. Si ea est vera illatio naturalis, seruatur quidem non directe, sed oblique, & per conuersionem. 2. Nego eam esse veram illationem naturalem, quando prædicatum præmissarum manet etiam prædicatum in concluso: id erat probandum non ponendum. Sed illa est illatio naturalis in syllogismo artificioso, quæ naturali non repugnat. *At illa in 4. figura non repugnat. Ex naturali enim ratione sequitur, & naturalis ratio concedit, vt sic concludam. Homo est animal: animal est corpus. Quidam homo est corpus. Et conuerse, quoddam corpus est homo.*

Theo-

Theoria Physica,

DE COELESTI LVCE AC LVMINE,

Cuius veritatem

FRETVS

Supercœlestis luminis præsentia,

ET

PRÆSIDIO EXCELLENTISSIMI PHILOSOPHI M. Rodolphi Goclenii, Logicæ & Mathematicæ in inclyta Marpurgensi Academia Professoris celeberrimi, Exercitii gratia

Disputationi publicæ exposuit Mense Ianuario Anno 1601.

IOAN. PINCIER EPSTEINENSIS.

PRÆCLARÆ ORIGINIS, PRÆSTANTIS INDOLIS

animiq; & summæ exspectationis cognatæ Soboli.

Ioanni Casimiro Gernando, Clarissimi & Consultissimi viri Ioannis Gernandi I. V. D. & Consiliarii Palatini F.

Ioanni Adolpho Pinciero, Reuerendi, Clarissimi ac consultissimi viri, Ludouici Pincieri I. V. D. Cathedralis Ecclesiæ Lubecensis Decani, & Holsatiæ Consiliarii F.

Henrico Eberhardo Pinciero, Clarissimi Experientissimique viri Ioannis Pincieri Medicinæ Doctoris, Generosissimorum Comitum Nassouiæ Archiatri, & in eorundem illustri schola Herbornensi Physicæ Professoris F.

Illi quidem ornamento & incitamento: sibi vero grati & amantis animi documento, hanc suã de cœlesti luce ac lumine contemplationem inscribit Respondens.

THE-



THESIS I.

DEO præferente lumen gratiæ suæ, ingrediar contemplationem cœlestis lucis. Nulla enim, si Seneca credimus, inter omnes omnium naturalium corporum affectiones scientia dignior est, quam Lux cœli; propter insignem, tum essentiæ, tum etiam affectionum ipsius, præstantiam & obscuritatem.

II. Et quia ordo gerendarum rerum lumen est, ne sine lumine verser in inquisitione luminis, hanc insistam viam, ut vocum distinctionem præmittam, mox indistincte luminis & lucis, postremo etiam distincte 1. lucis. 2. luminis naturas evoluam.

III. Exorsus a primo, animadverto, quod hæ voces Lux, Lumen, interdum improprie, interdum proprie usurpentur. Improprie, veluti cum dicimus lumen gratiæ, lumen gloriæ, lumen naturæ, lumen mentis. Proprie autem hæ voces modo indistincte capiuntur, ut lux lumenve appelletur qualitas luminosa, nulla ratione ducta ei, cui inest: modo distincte, ut hæc qualitas lux vocetur, quatenus lucenti corpori: lumē quatenus illuminato inhæret. Hæc de primo.

IV. In secundo capite hunc sequar ordinem. 1. Lucis generalem definitionem & distinctionem tradam. 2. cœlestis lucis definitionem construam. 3. duas ad definitionem datam quæstiones expediam. 4. Octo lucis ac luminis affectiones considerabo.

Quid sit lux in genere.

V. *Lux* in genere est forma, quæ est perfectio lucidi, secundum quod est lucidum.

VI. *Est autem lux alia cœlestis, alia elementaris. Elementaris rursum vel est proprie dicta lux; vel est proprie dictus nitor. Lux dicitur proprie luminosa qualitas ea, quæ igneam: nitor ea, quæ aqueam & aeream conditionem insequitur. Et tamen* omne lumen, qua lumen, ratione vnum est, vnitate aũt ab vno: interim principiis lumina variant. *Tametsi enim nullum non sapiat conditionem a terrea fece immunem; tamen aliud in natura cœlesti, aliud in natura ignea, aliud in natura aerea, aliud deniq; in natura aquea huius conditionis suæ principium habet. Et quoniam a terrea fece longissime distat ratio quintæ substantiæ, quod ex ea prodit lumen, maxime est lumen, omnium aliorum mensura luminum, a cuius excellentia hoc magis quodq; eorum declinat, quo propius terreæ sordi originis suæ fontem constituerit. Mihi autem nunc tractatio suscepta est de luce tantum cœlesti; quanquam vtriusq; scientia cohæreat, propter communem, quam inter se habent, licet gradu eminentiæ distinctam, rationem.*

Quid sit lux cœlestis.

VII. *Lux* ergo cœlestis est qualitas prima, fluens ex peculiari natura quintæ illius substantiæ, quæ cœlo materiam præbet, includens conditionem a terrena fece, quæ obscuritatis parens est, quam longissime remotam.

VIII. *Ad hanc definitionem quæro.*

I. Sitne

I. Sitne lux substantia & forma substantialis, aut vero sit accidens? Fuerunt n. qui eam putarent corpus esse: & alii quidem materiatum, ut Democritus, Leucippus, Epicurus: alii materiæ expers, ut Academici. Fuerunt et qui substantialem esse formam lucentium corporum contenderent. Sed hæ opiniones in errorem ducunt. Nam si lumen esset substantia, aut corporea esset, aut incorporea. Incorporea non est 1. quia inest corporibus, & ex corporibus prodit. 2. quia sensu per se capitur. Nec etiam est corporea, inhæret enim in corporibus: aut in materia cœli cõpactiore: aut in perspicuo. Sed & lumen corpus non esse amplius patet. 1. quia meat per corpora. Neq; enim ad illatum lumen aerem cedere deprehendimus: quod si lumen est corpus, habet dimensiones, unde lumine per aerem diffuso eveniret dimensionum penetratio, a qua natura abhorret; cumq; lumen etiam transeat aerem illuminatum, sequeretur corpus unum subire in aliud corpus, quod eiusdem sit cum eo generis; lumen videlicet unum in aliud lumen. 2. quia spatio temporis non desinibili maximum internallum motu conficit, quod est alienum a natura corporum, quæ per plenum moveri non possunt, nisi tractu temporis, ob medii corporis resistentiam. Et in summa nec substantiam, nec formam substantialem esse porro probatur. 1. quia per se adspectu tantum percipitur · cum nulla substantia vel forma substantialis per se sub sensum cadat, *nec magis hoc sensu, quam illo deprehendatur. 2. quia in aere suam formam retinente recipitur, cum* duæ tamen formæ substantiales non queant subsistere in eadem simul materia. *3. quia intensionem & remissionem patitur.* Sub-

ſtantiæ autem & formæ ſubſtantiales gradus non capiunt.

II. Quæro. Cuius ſpeciei qualitas lumen ſit, & in quo propria eius ratio conſiſtat? Quam quæſtionem non nulla cauſſa moueri ii intelligent, qui animo repetierint diuerſitatem definitionum lucis ac luminis, quæ paſſim apud philoſophos occurrunt & frequenter vſurpantur. Scholaſtici quidam lumen ſic definiuerunt, quod ſit qualitas, ſiue virtus actiua, primi alterantis, id eſt, corporis cœleſtis, qua agit & influit in hæc inferiora, quæ virtus eſt viuificatiua viuorum, & calefactiua & motiua ad eſſe generabilium, in quantum eſt inſtrumentum intelligentiæ, quæ per motum luminarium lumine mouet ad eſſe omne, quod hic generatur. Alii definiuerunt lucem, quod ſit qualitas prima, ex ſingulari conditione quintæ naturæ orta. Alii definiuerunt eam, quod ſit qualitas patibilis, viſum primo & per ſe afficiens, alii quod ſit actus lucidi: præſentia lucidi: actus perſpicui: actus medii: actus coloris. Quæ quidem definitiones omnes inter ſe bene conueniunt. Subiacet enim etiam lumen communi illi omnium accidentium ſorti, qua in rationibus ſuis reſpectum includunt. Lumen itaq; vt ad varia refertur, ſic variam ſortitur ſpeciem. Veluti ſi ad formam lucidi, eſt actiua, ſi ad materiam, eſt prima, ſi ad viſum, eſt patibilis qualitas. Rurſum ſi ad lucidum formaliter, eius actus eſt, ſi ad idem cauſſaliter, eius præſentia eſt, ſi ad perſpicuum, eius quoq; actus eſt, ſi ad medium videndi, & huius eſt actus, deniq; ſi ad colorem, ipſius quoq; actus exſiſtit. Ex perſpicuo enim potentia actu tale facit: & ex medio potentia actu facit medium: & colorem viſibilem potentia,

tia, actu visibilem reddit. Lux enim hoc modo varias relationes induit, estq; alio & alio respectu qualitas actiua, prima patibilis, deniq; actus. Ceterum propria ipsius ratio in eo consistit, quod includit conditionem a terrena fece penitus immunem.

9. *Restat vt indistincte considerem affectiones, quæ luci luminiq; competunt: quæ etsi multæ sint, cum earum supra triginta Dionysius cap. 4. de diuin. nom. retulerit, tamen has octo nobis considerasse sufficiat.*

I. Luminis & lucis affectio.

LVx & lumen omnium in mundo qualitatum excellentissimæ sunt. *Tantis enim passim ornantur laudibus, quantis alia nulla qualitates. Hinc Iulianus Academicus ex sententia Iãblichi & Phœnicum, lumen actum scripsit esse purum, ab actu diuinæ mentis per cuncta diffusum. Et Iamblichus, lucem* ait esse facultatem cuncta nectentem & conciliantem cum principio corporum. *Excellentiam autem tantam lux lumenq; ducunt, tum a suo principio, quoniam prodeunt ex conditione quinta illius essentiæ, & longe alienæ sunt ab impuris & terrea fece inquinatis corporibus, tum ab effectis, quoniam instrumenta sunt & vehicula, quibus cœlestis virtus in hæc inferiora exseritur & influit: vnde lumen Iamblichus dixit nectere corruptibilia cum incorruptibilium rerum orbe. Ac luminis quidem summa præstantia in eo cernitur, quod calorem facit omnis præstantiæ, si quæ in mortalibus rebus inest, auctorem ac conseruatorem. Et quanta sit huius diuinæ qualitatis excellentia amplius apparebit ex iis, quæ subiecturi sumus.*

II. Luminis & lucis affectio.

2. LVx & Lumen sunt omnium qualitatum in mundo pulcerrimæ. *Lucis equidem luminisq; pulcritudo miris laudibus apud scriptores extollitur. Notum enim est vetus illud, quod Victori adscribitur: quid potest esse luce pulcrius? quæ cum in se colorem non habeat, omnium tamen rerum colores ipsa quodammodo colorat. Itaq; lumen Ambrosius* primam appellat mundi gratiam, quæ tanquam aurea veste circumfundatur. *Nimirum propter ea ante alium omnem ornatum mundi a Deo lux fuit condita, & ab ipso hac laude insignita, quod valde bona esset, hoc est, vtilis, benefica, pulcra & decora. Pulcerrima autem iure habetur, non tantum quia visui amicissima est & conuenientissima, propter eã cognationem quam cum radiis habet & spiritibus visoriis, sed etiam, quia caussa est omnis in mundo pulcritudinis, faciendo eam, tum vt sit, tum etiam vt appareat. Pulcritudo enim omnis fere cernitur in coloris suauitate & partium proportione: quod* si lumen non esset, neque color, neque vlla partium congruentia in rebus visu deprehenderetur.

III. Affectio.

3. LVx & Lumen sunt omnium qualitatum lætissimæ maximeque delectabiles. *Nam quia pulcerrimæ, ideo delectabiles,* Omne n. pulcrum amabile, *inquit Plato. Hinc apud Græcos sæpe legitur* γλυκὺ φῶς. *Et Plato* ἡμέραν *ait dici* ἀπὸ τοῦ ἱμείρειν, *quod significat desiderare, conuerso ι in η. omnes enim amant diem. Sicut contra* νύξ *dicitur a* νύω *cado.*

Ferit

Ferit enim hominis animum tristitia. Et Latinis Nox fertur dicta a nocendo. Ac lumine quidem valde animalia affici experimur. Sic enim ægritudinem, non solum corporis, sed animi quoq; dies minuit: nox auget. Eius aūt rei caussa est, quia animales spiritus instrumenta affectuum ignea & lucidæ sunt substantiæ, vnde fit, vt per lumen magis ignescant ac purificentur, tanquam per amicum ac cognatum sibi quid & simile. Contrario n. euentu spiritus impuri ac terrestres, quos faciunt tenebræ & opacitas, tristitiam gignunt. Cognitum est enim noctu ac nubilo cœlo animantia tristiora & languidiora esse: Interdiu aūt & cœlo sudo ac sereno hilariora & excitatiora. Ex eadem caussa tenebræ terrent. Vnde eiulari infantes ad tenebras audimus: ad lucem inductam gaudere rursum & exhilarari. Hinc etiam est, quod nigredo, quia lucis nihil habet, tristitiæ vt auctor, sic index vulgo habeatur.

IV. Affectio.

4. LVx lumenq; sunt omnium qualitatum purissimæ. *Est omnino quædam diuinitatis imago in luminosa hac qualitate, quam etiam exprimit summa eius puritas. Neq; vero ea est puritate, qua aurū, quia sit defecata bene, & a sordibus expurgata, libera ab admixtione alienæ materiæ: sed puram dicimus eam. 1. quia corpori inest simplici & purissimæ substantiæ, hinc enim fit vt lumen non ingrediatur corpora terrea fece valde inquinata. 2. quia ab aliis qualitatibus quibus cum subiecto iungitur, non inficitur ac læditur in tantum, vt integritatem suam genuinam perdat, ex qua caussa dici solet, spurcissima quæque loca solis radios pmeare, ipsos nihilominus purissimos.*

Nec solum affectu purum est lumen, sed effectu quoque, quoniam valde attenuat perspicuum in quo recipitur, *aliaq; quæ tangit calore suo corpora, eaq; sic purificat.*

V. Affectio.

5. LVx lumenq; inter omnes qualitates patent latissime. *Hanc luminosæ qualitatis proprietatem inter alias enumerat auctor cœlestis hierarchiæ. Meminit eiusdem Ambrosius, qui amplitudinem huius qualitatis per excellentiam sic auget, ut dicat, Deum* cum alia omnia crearit cũ numero, mensura & pondere: solam lucem condidisse sine his. *Quod, vt Thomas inquit, non est intelligendum simpliciter, cum lux non minus, quam alia etiam, habeat finitam essentiam & potestatem; sed facta comparatione ad alias qualitates, quas Deus angustioribus subiectis constrinxit, cum luminosam qualitatem per immensa diffuderit cœli aerisq; spatia.*

VI. Affectio.

6. LVx lumenque inter omnes qualitates ad declarandas res diuinas accommodatissimæ sunt. *Sacri libri & Patrum monumenta in illustratione diuinarum rerum frequenter vtuntur similitudine ducta a natura luminis. Hinc legimus, Deũ Lucem vocari, & patrem Luminum, & eum habitare lucem inaccessam. Filius ẽt Dei lucem se Mundi appellat. Idemq; in Symbolo antiquo Lumen de Lumine dicitur. In declarando aũt SS. Trinitatis & æternæ filii generationis mysterio patres non raro similitudines petunt ex natura luminis. Electi etiam lux vocantur.*

cantur. Caussa autem ob quam luminosa qualitas apprime apta est illustrandis diuinis rebus, sita est in admirabili ipsius natura, puritate, subtilitate, pulcritudine, origine ortuq; ac generatione, beneficentia, commoditate & vi virtuteq;, qua pollet, illustrandi, fouendi, purificandi, calefaciendi, exhilarandi, aliisq; affectionibus quæ Deo & diuinis rebus valde affines & congruentes sunt.

VII. Affectio.

7. LVx & Lumen sunt primum visibile. *Sic statuit Aristot. 2. de anim. c. 9. quo loco cum duo faciat visus obiecta, lucem & colorem, tamen lucem præfert. Lumen enim colorem facit visendum propter summam suam subtilitatem ac puritatem, qua permeans omnia pellucida, facit vt colorũ speciebus pingantur. Præterea cum magnam habeat luminosa qualitas cognationem & affinitatem cum visiuis spiritibus, ideo per eam tanquam cognatum suum augentur & excitantur ad officium sensus faciendum. Propterea enim color albus & oculos perstringit, & aerem illustrat: habet enim nonnihil lucis. Contra nigredo spiritus condensando visum constringit & aerem obscurat, inepta ad visionem, cum lucis inops sit.*

VIII. Affectio.

8. LVx Lumenque vt reliquæ qualitates gradus capiunt. *Omnes enim qualitates successione quadam gradibus variantur. Et in luce quidem hoc manifestum est. Nam cœleste corpus aliud alio lucet magis & vehementius. In lumine quoq; patet.*

Perspicuum enim luminis incrementa ac decrementa patitur. Siquidem obscurius crepusculo paulatim intenditur ad meridiem; inde per gradus remittitur iterum dum noctu lumen deficiat. Caussa aut intensionis & remissionis eadem est in his, quæ in aliis qualitatibus. Nam sicuti quo plus caloris hæserit in aere hypocausti, hoc erit calidior: & sicuti quo fuerit ignis vnitior & densior, hoc erit calidior: sic quo fuerit compressior cœlestis materia, hoc magis lucebit, & quo plus luminis in perspicuo hæserit, hoc erit luminosius. Ex hac caussa ergo prodeunt ea, quæ distinctis vocibus appellamus lumen, fulgorem, splendorem, radium, vmbram, quæ quidem formaliter inter se non discrepant, sed tantum materialiter. Nascuntur enim ex luminis varia in perspicuo receptione & collectione. Atq; hic secundo etiam capiti finem impono.

X. *In tertio capite proposui me distincte tractaturum. 1. de Luce 2. de Lumine. Nam quia duo hæc communi ratione conueniunt, quædam habent communia, rursum quia subiectis differunt, a parte subiecti eueniunt quædam cuiq; peculiaria.* Lumen enim cœleste aut in corporibus cœli lucentibus hæret, & distincta voce dicetur lux: aut in perspicuo, & distincta voce dicetur lumen, *a diuersis autem hisce subiectis diuersas affectiones trahit. Quia* quod in alio recipitur, non recipitur per modum sui, vt nec per modum inferentis & imprimentis, sed per modum excipientis. *Lucis igitur. 1. definitionem constituam. 2. quasdam ad definitionem dubitationes resoluam. 3. nonnullas eius proprietates considerabo.*

Quid

Quid lux?

11. LVx est qualitas actiua cœlestium corporum densiorum, quintæ illius naturæ, quæ est materia cœli, compactionem secuta, per quam lumen illa, similem suæ qualitatem, & per lumen calorem producunt, pro decore mundi & eius incolumitate.

XII. *Ad definitionem hanc tria quæro.*

I. Quæstio.

1. AN Lux insit cœlo secundum aliquas tantum partes, an vero secundum omnes. *Arbitrati sunt quidam, vt Phœnices, & cum his Academici, quin & Simplicius, cœlum omnib. sui partib. lucere, tametsi propter subtilitatem lux vbiq; in cœlo nō cernatur. Non deflecto a recepta sententia, quæ tenet lumen non omnes cœli partes, sed eas tantum illius occupare, q̃ ob materiæ cohæsionē aliis densiores sunt: reliquas pellucidas esse potius, q̃ lucidas: vt quæ tantum recipiendo transmittendoq; lumini apta sint, non etiã faciendo, exsistentes in obedientia, tam ad tenebras, quam ad lucem. Vsurpo enim hic propriè lucem, eam qualitatem, qua aptum est corpus lucens lumen facere. Hæc aũt in aliis cœli partibus nulla visu percipitur: & est verisimile, cum per orbes stellarum in luce varietas, distantia, moles, sine errore deprehendatur, natura gloriosa hac sua opera non occultante, eos non teneri a luce. Oportet enim medium hac specie, quam bona fide ad sensorium deferre velit, vacuum esse. Et ex sacris quidem libris non obscure licet colligere ante condita astra cœlum non luxisse.*

II. Quæstio?

2. QVæro, An vt soli, sic etiam reliquis astris cuique propria sit & natiua lux? *Fuerunt enim, qui omnia astra præter solem, aliena: fuerunt, qui solum propria: fuerunt deniq;, qui partim sua, partim aliena ea luce, quam a sole mutuarentur, lucere dicerent. Atq; horum sententiam amplector. Nam cum Sol primum corpus sit in eorum genere, quæ lucent, iure censetur aliquo modo auctor & fons lucis.* Deueniendum enim vt in aliis, sic etiam in lucentibus ad vnum primum, quod sit caussa reliquorum. *Hoc tamen quod dico, non est accipiendum de virtute, sed de actu. Neq; enim vim lucendi suam astra a sole habent extra se: sed a densitate materiæ, qua constant, quia vero obiectu suo lumen solis colligunt, hinc fit, vt eius lucere luce perhibeantur, per eam non virtutis, sed actus intensionem consecuta. Ceterum hoc quod dicimus apparet in Luna, quam lucis aliquid mutuari a sole videre licet in eius deliquio, quod patitur, propter solaris luminis subtractionem, non per insitæ virtutis defectum, sed actus remissionem. Patet hoc ipsum ex varietate quam subit pro vario solis adspectu. Lunam vero non lucem omnem, quam fundit, a sole mutuari argumento est, quod in defectu, cum est in vmbra, etiamnum rubet. Non enim hoc eueniret, nisi germanam sibi & genuinam lucem obtineret: etsi aliorum hic euasiones mihi non sint ignotæ.*

III. Quæstio.

3. QVæro, Vnde prodeat, & ex qua caussa in cœ-

in cœlo exſiſtat lux? *Sunt enim qui ideo aſtra lucere exiſtiment, quod igneæ naturæ ſint, imperite perturbantes ordinem rerum, & indigne mortalium orbem immortali miſcētes. Ego Peripateticos ſecutus, ſic* ſentio, lumen in vniuerſa ſuæ eſſentiæ latitudine cōſideratum immediate fluere ex ſingulari cœleſtis materiei, quintæ illius, quam dicimus, eſſentiæ, conditione, *cuius aliis qualitatibus ſubſtantiæ ſimplicitati, puritati, ſubtilitati, tenuitati maxime affinis eſt natura lucis. Vnde fit, vt quo quæque mortalium rerum ad affectiones haſce propius accedat, hoc affinior ſit generi lucidorum. Sic ignis, quia ſubtilior, purior, ſimplicior, tenuior, quam aer, plus habet de luce, quam aer, & ex eadem cauſſa hic quam aqua. Terra autem quoniam ab hiſce longiſſime diſtat, nihil lucis obtinet. Lux ergo in vniuerſa ſua eſſentia latitudine conſiderata hinc prodit. Lux autem ſtrictius & proprie accepta de ea qualitate, qua apta ſunt corpora cœleſtia ſimilem ſuæ aliam producere, prodit ex denſitate & compactione illius eſſentiæ quintæ, quæ cœleſtibus præbet materiam. Ea enim quo preſſius vnita hæſerit, hoc lucidior euadet, denſitate & ſitu partium propinquiore pelluciditatem auferente. Hinc nempe fit, quod videmus in luna partes alias eſſe magis, alias minus lucidas: rariores enim hæ fortiter lumen, nec faciunt, nec reflectunt. Hinc etiam fit vt Sol omnium aſtrorum maxime luceat, quia materia in eo fortiſſime compacta hæret. Et cernitur huius euentus imago in igne, qui non lucet ſub Luna concauo, ſed pellucet, quia tenuior & rarior: in cometa lucet, quia in eo denſior hæret & craſſior &*

situ partium propinquiore, per quem tollitur pelluciditas.

XIII. Lucis affectiones peculiares duas considero.

I. Lucis Affectio peculiaris.

1. LVx non habet quicquam sibi vel contrarie vel priuatiue oppositum. Neque enim potest vel contrarietas vel priuatio stare simul cum incorruptibilitate,& immutabilitate ea,qua pollent cœlestia. *Lumen vero etsi non habeat aliquid oppositum sibi cõtrarie ex priuilegio πείνπως & originis suæ; tamen quia mortalibus miscetur euenit illi, vt iugum etiam inimicitiæ, quod illæ patiuntur, proportione quadam subeat. Habet enim oppositas sibi priuatiue tenebras.*

II. Lucis Affectio peculiaris.

2. LVx non calet. *Nam etsi lumen coactum actu caleat semper: lux tamen non calet; propterea q, cœlestia corpora calori, qui sibi contrarium frigus habet, non sunt obnoxia.* Accidens aũt nullum afficit subiectum suũ præterquã patitur natura ipsius. *Itaq, affectio hæc accidit luci, nõ aũt a parte sui: valet n. ex sese per naturam calefaciendi virtute, sed a parte subiecti; vt sic accipiendum sit, quod dico, lux non calet in effectu, calet tamen in virtute. Secus non esset productiua calidi luminis. Neq, est in natura insolens hæc ratio. Pari n. modo virtus torporis effectrix in pisce torpedine hæret, tanquam primo subiecto suo, torpedinem tamen non afficit torpedine; nec hamum aut baculum, sed manũ piscatoris. Quæ caussa?* quia accidens recipitur per modum, non sui, sed subiecti.

XIV. Atq,

XIV. Atq; sic etiam de luce distincte actum est, circa lumen distincte eodem ordine progrediar, vt 1. definitionem tradam. 2. dubitationem soluam. 3 proprietates exponam.

Quid lumen?

XV. Lumen est qualitas actiua, pellucidi, luce cœlestium corporum lucentium in eo producta, perspicuum potentia faciens actu perspicuum, & salutarem calorem pariens, pro decore mundi eiusq; incolumitate.

XVI. Ad hanc definitionem duo quæro.

I. Quæstio?

1. Sitne lumen vera qualitas, in perspicuo a luce producta, *vt color*; id quod appellant ens reale; an vero lumen sit lucis species, veluti coloris imago in speculo, quam dicunt intentionalem? *Ad quam quæstionem difficilem valde discrepantes feruntur Doctorum sententiæ. Alii enim lumen habere dicunt esse tantum spirituale, vt Ægidius, alii tantum reale, vt Thomas: alii partim reale, partim intentionale, vt Scotus. Ego cum Thoma & secta eius* sentio, quod lumen sit vera & realis qualitas, a luce vera & reali qualitate in perspicuo producta. *Nam* qualis actio talis forma: *lumen producit actiones reales & materiatas, calefacit, extenuat, purgat. Est itaq; forma realis in materia recepta, non autem intentionalis, tantum delata per medium. Hac ratione fortissima, neq; ab vllo, quod sciam, soluta, permotus, non possum cū Ægidio statuere.* Nec n. potest vlla ratione fieri, vt a forma intētionali per se producatur forma realis: *siquidem caussa & effectus eiusdem sunt rationis, & nihil potest supra quā est. Scoti etiam*

opinionem nolo amplecti. Non enim potest fieri, vt lumen forma praeditum sit simul reali, simul intentionali. Vnum siquidem specie & numero duorum foret generum, quemadmodum Iauellus ratiocinatur.

II. Quaestio.

QVomodo lumē per lucem producatur? *Nonnulli putarunt lumen per decisionem & effluxū e corporibus lucidis extēdi, non secus atq; aqua ex fonte fluit; quam opinionem Priscianus Lydus in Theophrastum derivat. Sed est in ea falsitas. Iamdudum n. corpora lucida defecissent cum nutritione aut alitione nihil absumto in iis sufficiatur. Itaq; cum Peripateticis sentiens dico, astra, nulla sui mutatione, aut alteratione successiue producere per lucem sibi inhaerentē, quae est actiua eis qualitas qualitatem sua illi similem, quae lumen dicitur, in corpore potentia pellucido, vt sit pellucidum actu. Natura enim conuenit, vt sicuti elementa, sic etiam coelestia corpora actiua aliqua qualitate polleant, qua producant sibi similem aliam. Hoc tamen notandum, actiones elementorum ab actionib. coelestium multum discrepare, quo ad caussandi rationem, quae singularis coelestibus competit, propter eminentiam, qua sunt inter naturalia corpora. Non enim vt ex igne in aerem, quem illustrat, sic ex lucentibus coeli corporibus aliquid influit in perspicuum, quod illuminant. Vtrumq; enim aeque* absurdum in Natura, accidens vnum numero migrare de subiecto in subiectum: & aliquid decerpi de substantia caelestium corporū. *Sed sic res habet vt dixi: astra* producunt lumen in aere luce sua, sine vlla vel accidentis vel substantiae suae mutatione. *Sunt enim*

coele-

cœlestia & quodammodo etiam iis ἀνάλογα sine mutatione sui mutantia: sicuti elemētaria mutantia sunt cum mutatione sui. Prima enim illa sunt, quæ mutant. Quod si vicissim ipsa mutarentur, prima non essent. Itaq; ad productionē luminis sola sufficit lucis præsentia. Quare & Aristoteles lumen definiuit præsentiam lucidi corporis, & actum perspicui. Præsentia quidem est corporis lucidi per modum caussæ: actus autem perspicui per modum formæ. Neq; hæc producendi ratio creatio est, sed est eductio seu immersio formæ de potentia materiæ. *Nam producitur lumen virtute naturalis corporis dependenter a perspicuo, præexsistente & habente potentiam ad illud. Hoc a. est educi formam e materia. Tametsi vero luminis productio non fiat per aliquam valde notabilem perspicui transmutationem, tamen fit per aliquā, dum quod potentia tale antea fuerat, tale fit actu: ita* vt luminis productio non possit simpliciter referri ad illud effectionum genus, quo res egrediuntur e caussis suis per emanationem. *Pari modo, tametsi lumen non producatur cum aliqua valde notabili mora, ita vt multis existimetur in instanti exsistere, tamen cum aliqua producitur. Videmus enim lumen quadam graduum successione aerem altare, intendi paulatim vsq; ad meridiem, inde paulatim rursum deficere. Illuminatio 1. cum sit alteratio, & hæc sit motus: cumq; graduum successione peragatur. 2. nequaquam sine tractu fiet, quamobrem nec sine tempore. Omnis enim motus & omnis intensio mora quadam agitur tractuq;. Ceterum hoc in illuminatione euenit, non ex parte subiecti, quod instructissimum semper est ad luminis sine vlla mora receptionem, sed ex parte*

caussa, qua, quia est finitæ virtutis, ideo necesse habet prius agere in propinquiorem subiecti partem, tum etiam in remotiores. Natura enim, vt aiunt, non facit saltum. *Hæc itaq; circa generationem luminis teneo, quod sit eductio formæ de potentia materiæ: quod fiat sine effluxu & decisione: quod per transmutationem quandam non simplicem emanationem: quod in tempore, non in instanti peragatur.*

XVII. Peculiares luminis affectiones considero quinq;.

I. Peculiaris luminis affectio.

1. Lumen est actus perspicui. *Hæc singularis est affectio luminis, per quam discrepat ab omnib. diuersi generis qualitatib. adeo, vt loco specificæ differẽtiæ in definitione ipsius a philosopho fuerit vsurpatum, quod perspicuum potẽtia reddat actu perspicuum. Est enim perspicuitas qualitas corporum a terrea aliquatenus fece immunium, per quam apta nata sunt vel luminosa esse, vel tenebrosa. Cum enim tenebræ priuationem inferant, lumen autem formam: &* omnis forma actus *sit, hinc est intelligere, quod lumen actus sit perspicui.* Insuper omnis perfectio actus est: *At lumen perfectio est perspicui: tum ratione formæ, quæ in ea conditione cernitur, qua a terrea fece immune est, in qua perspicuitatis defectum lumen compensat: tum ratione finis, qui in receptione delationeq; specierum coloris consistit. Ratio autem huius affectionis nulla potest a priore reddi, quoniam immediate ex natura luminis profluit.*

II. Affectio peculiaris luminis.

2. Lumen intensum salutari calet calore. *Hæc*

quoq;

quoq; admirabilis est luminis, & longe præstantissima affectio, quod salutarem nobis illum calorem gignit, quem cœlestem appellamus, qui propter summam temperiem omnia producit & conseruat. Neq; enim diuinissimarum effectionum, quas cœlestia exsequuntur in hisce mortalibus, opus est quærere occultas influentias: *solum lumen omnes eas exsequitur diuino hoc, quo calet, calore, varie modificato elementarium qualitatum contrarietatibus, easq; vicissim varie modificante. Ceterum hac quoq; affectio, qua lumen calore pollet, sine medio fluit a natura luminis, nec est eam a priore demonstrare. Constat tamen sensu & experientia. Percipimus enim lumine præsente interdiu calorem, noctu absente eo frigus deprehendimus. Itaq; & noctes sub plenilunio tepidiores sunt, experientia & philosopho docente, lib. 4. de part. anim cap. 5. quia tunc luna largiore lumine vberiorem calorem inferioribus imprimit. Ex quo euenit, vt id temporis animalia exsanguia & frigidioris temperiei, ostrea, conchilia, & echini, corpulentiora exsistant: quoniam pleniore lumine vel calefiunt intus, vt rectius alimenta concoquant, vel rarefiunt, vt substantiæ incrementum patiantur. Atq; hoc sensu Aristoteles 2. cap. eodem lib. id inquit, quod sol suo accessu & recessu per annum facit, luna præstat per mensem. Sed & rationi congruens est, vt lumē, excellentissima qualitas, caussa habeatur qualitatis præstantia ei secundæ: cum effectui parem oporteat caussam quærere. Quod autem lumen intensum dixi calere, id de actu, non etiam de virtute accipi debet. Quamuis enim cum lumine exiguo nullus calor sentiatur, tamen cum eo aliquis est,* Quæ enim natura insunt qualitati

intensæ, etiam remissæ insunt, cum gradus ingenium non mutet. *Non sentitur autem cum pauco lumine calor, vel quod ei præualeat contraria in subiecto qualitas, vel quod nulla intercedat proportio inter sensibile & sensoriũ, itaq; illud non mutet, & propterea nec sentiatur. Sine mutatione enim sensio non fit. Cum lumine autem intendi calorem patet æstate, qua lumen recta in terram demissum, circa illam magna copia in aere coit & colligitur, terra vlteriorem progressum negante, quod directe & e regione soli sit opposita. Patet etiam in conuallibus, in quib. obiectu montium, aeri effluxum negante, lumen collectum, denso agmine perspicuum occupat, & propterea vehementem æstum concitat. Neq; natura solum compertum est, cum lumine calorem intendi, sed etiam arte. Neq; enim vlla alia caussa adferri potest, cur concaua specula ignem pariant, præterquam, quia in iis lumen receptum magna copia, collectumq;, dissipationem concauitate impediente, aerem primum eum, qui est in concauo speculi, deinde hic vicinum, & sic porro successiue & gradatim alius alium, vehementer calefaciendo, adeo attenuat, vt tandem abeat in ignem, & commodo fomento obiecto, flammam pariat. Notum est quid de speculo Archimedis Galenus narret, quo hostiũ ille classes, lõgo interuallo dissitas, inflammauit. Notũ est quid de speculis æneis Procli referat Zonaras, quibus ille, e muro suspensis, ignem in hostiũ naues tanquam fulmine iaculato, ter Constantinopolin seruauit. Ex quib. colligi potest id, quod volumus, lumen quidẽ calere in se semper, sed magis tamẽ si intendatur. Non n. hic euentus rarus est in natura. Nam* & ignis

nisi

nisi coactus sit, non calefacit. *Itaq; in vino vrente inflammato vix tactu calor percipitur. Et de luce iam ante diximus, quod, nisi vnita sit bene, non luceat. Similis e. ratio est in lumine, quod, cum sua natura calorem faciat, vbiq; & semper facit, sed eum non sensilem & alteratiuum, nisi intensum fuerit: Velnti in suprema & media aëris regione, sapienti Naturæ instituto, quoniam illic inutilis diutinus calor foret, vbi nulla viget generatio ac corruptio. In infima autem aëris parte intensiorem calorem facit; dum obiecta terra, circa illam sese colligit. Atq; hæc disputata sint de re apprime dubia apud Philosophos, & variis sententiis agitata; inquirentes caussam, à qua prodeat cœlestis calor apud nos: aliis dicentibus à calore aliquo actuali cœlo inhærente eum produci; aliis ab igne elementari luminis comite: aliis ex aliis caussis eum deriuantibus.* Longe tutius est, vt dicamus, lumen calorem per se facere, mediam caussam non posse dari. Qui enim effectus prodeunt à sua caussa immediate, eorum nulla alia afferri potest ratio. *Et sane, si multum luminis multum caloris facere potest, fateamur simpliciter, lumen calorem facere, quando intēsio & remissio non mutant qualitates in sese; etsi eas mutent quo ad alia.*

III. Luminis Affectio peculiaris.

3. LVmen, obiecto corpore opaco, circa id sese colligit, & sic intenditur. *Lumen a cœlestibus corporibus lucidis productum in perspicuo, corpore fluido, in aëris magisq; profunditur, quæ est insignis huius quæstionis mobilitas, vsq; dum obuciatur ei impedimentū a corpore opaco: tū enim in sese collectū ca-*

flectitur. Et ad hanc affectionem magis cognoscendam quæstionem oportet illam excutere, quid sit, quod dicitur, lumen reflecti, refrangi, allidi. Neq; enim proprie hæc dicuntur de qualitatibus, quæ corporum sunt, quorum tantum motus est. Loquendi autem modum hunc pepererunt nobis Mathematici, consulentes facilitati intellectionis fictis hypothesibus, Physico autem spectanda rei veritas. Quando ergo lumen, vt est maxime mobile, nondum exsoluta ea facultate, qua instructum a caussa sua prodiit, porro alteraturum, inhibetur ab opaco corpore, dicitur allidi: cum ita ad corpus opacum siccum & solidum allisum, & propterea non diffusum ac dissipatum, producendam prorsus alterationem retrorsum facit, dicitur reflecti. Cum vero a corpore pellucido crassiore, vt aqua, exceptum, propter crassitiem eius, nec prorsum, nec retrorsum, vnitum actionem suã reducit, sed dissipatum in eo funditur, refrangi dicitur. Caeterum caussa pendet ex summa luminis fluxibilitate, & ad producendũ lumen aliud propensione, qua fit, vt non subsistat, sed alterãdo semper progrediatur, donec sphærã suæ actiuitatis cõpleuerit, cuius antequam attigerit terminos, si obiectũ illi fuerit corpus opacius in eundem aerẽ actionẽ reducit, quem iam permeauerat. Omne enim alterans naturaliter alterat pro virili sua, si non potest hac, at qua potest. *Sic enim lumen, speculo concauo exceptũ, cum ob speculi soliditatem & opacitatem non potest vim suam, qua pollet, exercere in aerem eum, qui extra speculum id ambit, omnẽ vertit in hunc qui speculi concauitate continetur, quo fit, vt summam in eo intensionem lumen consecutum vehementer aerem calefaciat & attenuet. Etenim*

vt Iambico vtar Poeta: Vnita virtus est dispersa fortior.

IV. Luminis affectio peculiaris.

LVmen inæqualiter recipitur in perspicuo. *Accidens enim pro inæquali subiecti dispositione, & agentis applicatione, inæqualiter recipitur. Hinc. 1. fit, vt lumen aliis quidem perspicui partibus copiosius influat, aliis parcius: & in his non mutat nomē suum. Cum autem copiosum valde & bene collectum est, si angustiis continetur; fusum secundum longitudinem dicitur radius, si amplo spatio, continue & latius diffusum, dicitur splendor. Ex quo arguuntur variorum errores circa radii naturam, existimantium, non qualitatem, sed substantiam esse. Nihil enim aliud radius est, quam lumen copiosum pressumq́, exigua latitudine in aere secundum longitudinem fusum. Splendor autem est lumen magna copia vnitum, & quadam latitudine in aere diffusum. Lumen autem stricta significatione dicitur, cum non est intensum valde, quēadmodum radius & splendor; sed remissum; & fere immediate a splendore & radio producitur. A fortiori enim luce radius gignitur & splendor: lumen autem stricte sic dictum a lumine debiliori. Propterea luna, ob lucis debilitatem, radium non facit aut splendorem, sed tantum lumen.*

V. Affectio.

5. LVmen non est durabile: insensibili mora fit, & rursum desit. *Omniū affectionū, quæ insunt lumini, mirabilitate hæc longe superat, per quā imaginē quandā æternitatis sustinet, videturq́, præter sortem aliarum rerum, extra mensuram temporis*

positum, siue eius productionem, siue eius defectionem, siue exsistentiæ consistentiam intuearis. Eius tamen veritatem est sensu deprehendere. Immisso enim per apertam fenestram in obscurum conclaue lumine, non potest hiatus fieri, iam lumen aerem occupauit: non potest occlusio fieri, iam lumen eundem aerem deseruit. Neq; vt calor manet, exstinctio igne, sic sui vestigium lumen relinquit, lucis præsentia interclusa. Hinc quæsitum fuit, in quo entium censu sit reponendum: anne eorum, quæ, nisi fiant, nusquam sunt, quod multi putarunt, aberrantes a veritate. Neq; enim eam essendi rationem habet lumen, quam motus, Estq; aliud ab illuminatione opus productum per eam. Caussa autem huius passionis e pellucido eruenda est. Id enim quia nulla inimica qualitate infectum, in vltima semper exsistit obedientia, insensibili temporis spatio lumen recipit, nullam moram obiiciente, quæ introducendã præcedat formam, alteratione. Pari ratione, quia in vltima semper obedientia exsistit ad tenebras, insensibili temporis tractu lumen amittit, moram nullam iniiciente qualitatis alicuius contrariæ, quæ expellat lumen, restauratione. Quæ cum ita sese habeant, manifestum est, perspicuum in vltimo semper exsistere potentiæ actu ad luminis tam generationem, quam corruptionem. Quæ autem formæ in huiusmodi subiecta introducuntur, si sint indiuisibiles, vt substantiales, nulla penitus: si sint diuisibiles, aliquo quidem, propter graduum successionem, sed non definibili temporis spatio introducuntur. Quod autem nullius durationis sit ex eadẽ euenit ratione, quoniã cõtinuatio essentiæ ipsius omnis pendet ex lucis præsentia: nulla ex subiecti cõditione, quod pariter se habet ad lucem & tenebras.

Luce enim absente, necesse est lumen desinat. Accidens enim exsistentiam quidem suam habet a subiecto: essentiam autem eiusque continuationem a caussa. *Hinc in accidentibus subiectum vice materiæ; caussa formæ fungitur. Atq; hæc de luce & lumine cœlesti disserere placuit, quæ occasionem ampliori contemplationi & accuratiori dare, non quæ illam explere possint.*



INDEX QVÆSTIONVM.

14. V-

7. Vtrum anima in definitione naturæ Aristotelica contineatur? Disput. II
8. An arti præstet natura?
9. An cœlum sit materiæ expers? III.
10. An cœli materia sit eadem cum hac nostrati?
11. An cœlestis machinæ motus sit voluntarius, & ab intelligentiis assistentibus?
12. An elementorum numerus quaternario vel sit superior, vel inferior? IV.
13. Quodnam elementorum præstantissimum,
14. An primæ qualitates elementorum sint formæ essentiales, & constitutrices? V.
15. An symbolæ elementorum qualitates sint eiusdem speciei?
16. An qualitates binæ in singulis elementis sint summæ?
17. Leuia & grauia a quo principali motore proximo, & per se iam genita moueantur in suum quæque locum? VI.
18. Vtrum motus leuium & grauium in principio sit tardior, in medio velocior, in fine velocissimus, & si est, quamobrem?
19. Vndenam lapis in altum proiectus moueatur.
20. Quænam sint caussæ communes generationis & interitus rerum? VII.
21. An plures sint substantiales formæ in eodem composito?
22. Vndenam sint formæ rerum singularium? IIX.

meque delectabilis. IV. Quod purissima. V. Quod latissime pateat. Quod ad res diuinas declarandas accõmodatissima. VII. Quod sit primũ visibile. VIII. Quod gradus capiat. Quid lux siue lumen cœleste. An insit cœlo secundum aliquas tantum partes, an vero secundum omnes. An vt soli, sic etiam reliquis astris cuiq; sit propria & natiua lux. Vnde prodeat, & ex qua caussa in cœlo exsistat. Eius affectiones peculiares. I. Non habet quicquam sibi vel contrarie vel priuatiue oppositum. II. Non calet. Disput.

Quid lumen. Sitne vera qualitas, in perspicuo a luce producta. Quomodo per lucem producatur. Eius peculiares affectiones. I. Quod sit actus perspicui. II. Quod intensum salutari caleat calore. III. Quod obiecto corpore opaco circa id sese colligat, & sic intendatur. IV. Quod inæqualiter recipiatur in perspicuo. V. Quod non sit durabile.

III. Ethicarum.

1. An beatitudo sit pars Ethices? I.
2. An Ethices subiectum internum sit modus recte viuendi?
3. An in Ethicis a beatitudine, vt, fine, sit auspicandum?
4. An summa hominis beatitudo ἐν τῇ πράξει, an comtemplatione potius consistat?
5. In quonam consistat summi boni essentia? II.